*Fb 4. 2

R404844

~~N. 1194~~

Phyon 2

46 1/20

~~R. J. 4—10~~

67/20

APPARATVS MEDICAMINVM

TAM SIMPLICIVM

QVAM

PRAEPARATORVM ET COMPOSITORVM

IN

PRAXEOS ADIVMENTVM

CONSIDERATVS.

VOLVMEN PRIMVM.

AVCTORE

IO. ANDREA MVRRAY D.

MEDICINAE ET BOTANICES IN ACADEMIA R. GOTTING. PROFESSORE PVBL. ORD. HORTI R. BOTAN. PRAEFECTO R. ACAD. SCIENT. GOTTING. ET STOCKHOLM. VTI ET SOCIETATVM OECONOM. BERNENS. ET CELLENS. MEMBRO.

GOTTINGAE

Apud JOANN. CHRIST. DIETERICH

1776.

Populi, quibus praees, prout in TE Regem ſapientem, iuſtum, mitem, rerum geſtarum magnitudine et numero ſanctum, adorant, vnde communem, quousque nominis ſacratiſſimi TVI gloria pertingat, admirationem et venerationem TIBI conciliaſti: ita litterae earumque cultores TVO ſub ſceptro ea tutela laetantur, quae principem arguit non fauentem modo litteris, ſed intimo earum ſenſu et cultu ſollertiſſimo imbutum. Non

indignum maieſtate ducis, litteratorum conuentibus crebro intereſſe, horum ſermones patienter et indulgenter exaudire, quaeſtionibus eosdem et plauſu ad aemulationem et ſpem excitare, et Ipſo TVO acerrimo iudicio doctiores reddere. Hanc felicitatem huncque honorem Academiae ſcientiarum, TE Protectore, illuſtriſſimae vel inde praecipue videris TE impertire voluiſſe, vt, quum varietatem inſignem diſciplinarum commendatam ſibi habeat, membris quoque inſtructa multiplicis digni-

ta-

tatum gradus, conſtaret inter omnes, nullum eſſe ſcientiarum genus, cuius incrementis non delecteris, nullique, cuiuscunque officii vel ordinis ſit, homini, modo de re publica bene mereri annitatur, aditum ad indulgentiae TVAE ſinum eſſe interſeptum.

Patere igitur, DIVE GVSTAVE, *vt ego, qui,* FRIDERICO *et mitiſſimo Regum,* PARENTE *TVO, gentis TVAE fata regentibus, in Suecia beatam quondam vitam degi, et cui, reui-*

ſenti ante paucos annos, inſtar hoſpitis, patriam, venerabundae pietatis oſculo tangere purpuram TVAM contigit, TIBI, hoc, vtut exiguum, venerationis TIBI deuotiſſimae monimentum offeram, quod ſi quid pretii habeat, id a veri ſtudio repetit. Eadem enim ſoles clementia eorum conamina, qui TVIS in terris orti apud exteros Sueci nomine ſe dignos praeſtare geſtiunt, excipere et fouere, qua auguſta TVA mens ciues oculis TVIS ſubiectos beat.

PRAEFATIO.

Si absque accurata morborum cognitione medicus ne cogitari quidem possit: non minor certe, vt felix in praxi medica successus contingat, exactae medicaminum notitiae est necessitas. Hinc tot de materia, vt solet dici, medica conscripti libri, tot numerosorum voluminum series, vt, si quis in arte nostra rudis, vel eandem a limine modo salutans, quin vnice HERMANNI, GEOFFROY, ALSTONI ex pluribus tomis conflata opera vel amplum POMETI, HILLII similiumque volumen conspiciat, eorundemque vel formam vel molem metiatur, stupeat impensis eidem laboribus, monstrato autem illi toto singularium librorum, quin breuiariorum academicarum medicamenta prosequentium, apparatu, discedat attonitus nihilque in hocce agro supereſſe, quod colat, persuasus. Equidem detestor illorum morem, qui aliorum existimationem, propriae velificantes, arrodunt, hic errores latentes

malitioſe in lucem producunt, ibi lacunas defectusque relictos moroſe reprehendunt, et aliorum humeris inſilientes, fauni ringentis inſtar, cachinnos edunt. Ingenuus contra ea fateor in libro, quem mihi concinnandum ſumſi, inſignia praecedentium ſtudiorum meritis me debere, et multa eorum eſſe, quae opus ad id faſtigium perfectionis euexerunt, ad quod pro temporum ratione et ſcopo, quem auctor quilibet ſibi praefixerat, potuerint. Aſt ita omnia hactenus de medicamentorum natura eſſe pertractata et exantlata, vt nihil in effatis emendari, nihil praeter rem et occaſionem prolatum dici poſſit, nihil denique vel ex propria penu vel recentioribus inuentis addi, iam dudum, de penitiori eorundem notitia ſollicitus, dubitaui, vlteriusque diffiſus ſum, quum ante plures annos ipſe operi manum iniicere inciperem.

Non mirum putabit, qui in horum aliquo momento defeciſſe auctores offenderit, aequior iudex, ad hunc campum dimetiendum non vnius diſciplinae, ſed plurium earundemque grauiſſimarum luce opus eſſe perpendens, ſcien-

ſcientiae naturalis, chemiae, praxeos medicae hiſtoriaeque artis, et accedere debere patientiam fere ferream in luſtrandis obſeruationibus et experimentis, ac iudicium ſubactum, nulli ſectae vel opinioni addictum, in iisdem diiudicandis.

Quae quum ſint eiusmodi, vt, qui in ſingulari quodam medicamento trutinando circa haec omnia ſollerter verſati fuerint, ſicuti TRALLESIVS in Opio, MEYERVS in Calce, GIRARDI in Vua vrſi, LETTSOMVS in Thea, HARTIVS in Zinco, plauſu communi excipiantur, quin qui particulam modo virtutum medicamenti cuiusdam vlterius ſtabiliendam vel nouam detegendam duxerunt, honorifica commemoratione celebrentur: quanto difficilius erit in omnibus, quotquot vel iure ſuo vel opinione tantummodo remedii titulo condecorata ſint, ſingulorum deſideriis votoque ſatisfacere!

Copia potius medicaminum quam inopia laborare pharmacopolia, vetus querela eſt eaque merita. Inſignis numerus a Graecis ad

Ara-

Arabes et ab hiſce ad nos, variis additis, promanauit. Auctae ſenſim diuitiae pyxide nautica, quae viam ad remotiſſimas terrae regiones monſtrauit, et magna copia aromatum, balſamorum, reſinarum, gummi ſpecierum, radicum, corticum, lignorum rel. nobis proſpexit. Chemia vlterius culta multa alia ſubminiſtrauit. Noſtrique praecipue ſeculi meritum eſt, quod ad indigenorum naturae productorum ſollertius attenderit. Medicaminum numerus quantum recentiorum induſtria adauctus fuerit, vel comparatis vnice notiſſimis b. VOGELII (a. 1758. edit.) et ill. SPIELMANNI (a. 1774.) libris, inter quos vix ſedecim annorum intercapedo intercedit, euincitur. Hiſce ſi varia adhuc notatu digniora adiicienda videantur, adſcribas id velim humanae mentis infirmitati, cui numeroſis obiectis circumfuſae quaedam facile ſeſe ſubtrahunt, vel et eiusdem noua in dies detegendi ſagacitati. Quis vero ſanioris iudicii negabit in vbertate iſta pharmacopoliorum multa exſtare, quae ſubigi ab humoribus non poſſunt, alia inertia virtuteque omni caſſa, alia ſuperflua, vtpote eiusdem cum aliis virtutis; quae ipſa tam de

ſim-

ſimplicibus quam praeparatis compoſitisque valent. Sed in recenſu ſuppellectilis medicae vitio haec ipſa abundantia caret, niſi quis ad ſelectum medicaminum, in ſingulari regione collegii medicorum auctoritate probatum, in quo Britanni, Sueci, Dani plurimum operae ſibi ſumſere, reſtringere ſermonem pro lege habeat. Ceterum mirifice iudicia de pretio remediorum variant. Multa quoque ideo commemoranda, vt alios de inertia moneamus, ne praeiudicio auctoritatis occaecati tempus ſub decurſum morbi perdant, et alia efficaciora praebendi occaſione praecludantur. Alia multa, etſi ſola non vſurpentur, ob miſcelam tamen, quam ingrediuntur, attingenda. Venena omnino huius loci ſunt, quippe quum medicum non ſolum ſcire, quae proſint, ſed quae noceant, deceat; et deſiit veneni nomen terribile eſſe.

Hiſtorica medicamentorum ſimplicium cognitio, quae baſis eſt reliquorum omnium, quae de medicamento ſcitu ſunt neceſſaria, valde incerta fuit, donec ill. A LINNÉ (*Mat. med. a.* 1749.) eadem immortali merito ad ſpecies

cies ſuas referret. Quam neceſſe vero fuerit, in hocce ſcrutinio pergere, tam nouis luminibus, quae de origine quorundam recentius affulſerunt, vt Ichthyocollae, Ialappae, Spigeliae alterius, Ipecacuanhae, Theae viridis, Rhei, Polygalae, Sanguinis draconis, terrae Catechu, quam dubiis, quae adhucdum de quibusdam obtinent, edocemur. Nam poſt tot cum remotiſſimis regionibus commercia, poſt tot itinera a ſcitis hominibus inſtituta, a quibusnam plantis ſemen Santonici, Oleum Caieput, Myrrha, Gummi ammoniacum, Faba Pichurim, rel. deſumantur, et quid Tutia praeciſe ſit, ignoramus. Ita et multa adhuc momenta de iſtis artis adminiculis nos latent, quibus haud pauca ſimplicia opus habent, antequam vſui idonea ſint. Non dudum eſt, quod veriora de Salis ammoniaci et Ichthyocollae natalibus reſciuimus: vtinam aeque eſſet explanata Boracis et Spermatis ceti hiſtoria. In hac inſtitutionum de medicaminibus parte crederes, cl. GEOFFROY plurimum praeſtitiſſe; nam quis eo ſatisfieri in practicis, ſerio profitebitur? Vtne vero dicam, multa eum in medium protuliſſe, quae

po-

potius inſtar commentarii in hiſtoriam naturalem ſunt, quam ad materiam medicam proprie ſpectant: moleſte fero, quod fontes ſuos rarius ſignificauerit, haud pauca aliter, quam curatius ſcrutinium poſtea explorauit. Quae vero varia culpa in eos iuſtius cadit, qui opus poſt mortem auctoris continuandum ſibi ſumſerunt, quam eum ipſum. Eadem praeter neceſſitatem prolixitate peccarunt ſubinde ii, qui in chemica diſquiſitione medicamentorum deſudarunt. In hiſtorica autem cuiuslibet eorum expoſitione requiro, vt, praemiſſo nomine pharmaceutico et ſyſtematico, talis ſpeciei deſcriptio ſuppeditetur, qua ab affinibus dignoſci poſſit; ſubiectis ſynonymis probatioribus; icone ſelecta; cum patria; et ſaepe quoque ſoli genio, quod inſignem vim in mutandis ſtirpium viribus habet, exemplo Valerianae officinalis manifeſto; et ſi qua cum alia ſpecie ſimilitudine arctius iungitur, et huius etſi apud medicos non vſitatae, notae, diſcriminis vtriusque cauſa, enumerentur. Porro character illius partis, quae in vſum vertitur, ſuggeratur; dein criteria, quibus medicamentum bonae notae a vitioſo vel factitio diſcerna-

natur, recenſeantur; tum fata, quae ſubiit colligendo, transmittendo et vſui adaptando; adiunctis, ſi quae adſint, praeparatis et compoſitis. Male haec ipſa, operoſius acquiſita, remedia, a multis auctoribus omittuntur, a qua labe doleo b. VOGELII compendium non liberum eſſe: quaſi non ad materiae medicae doctrinam, ſed ad pharmaciam eſſent referenda, quae tamen potius deſcriptione encheireſium ſimilium, vt extractorum, conſeruarum, aquarum deſtillatarum, ſublimatorum rel. et ratione tam praeparationis et compoſitionis in vniuerſum, quam ſingularum formularum expendenda, occupatur. Siquidem vero hi libri tanquam promptuarium omnium praeſidiorum, quae ad arcendos et ſanandos morbos faciunt, conſiderandi, aegre feres, nihil de tartaro emetico, ſalibus, ſaponibus totque aliis, eorundemque multiplici egregia virtute, ibidem exponi; quum tamen horum vis ab iſta corporum, a quibus conflantur, ſaepe inſigniter diſcrepet, et miſcela ſaepe emergant virtutes, quas in ſimplici medicina fruſtra quaeris.

Ego

Ego ad ſpecies plantarum determinandas non dubitaui ill. A LINNÉ tam nomina quam deſcriptiones in fronte cuiusuis vegetabilis praefigere, vtpote a quolibet intellecta et aſſenſu plerorumque auctorata, ſicque taedio peperci, quod prolixior in deſcribendo dictio legentibus parere ſolet. Nulla quidem differentia ſpecifica absque generis cognitione ſtabiliri poteſt: ſed et huius characteres praemittere et amplum nimis fuiſſet, et ſuperfluum, quum hiſtoria naturali praeparatos lectores ſupponam, non muta iſta, quae ex libris diſcitur, ſed viua et diſerta, quae naturam ipſam doctorem habet. Synonyma adiunxi hinc inde proprio ſtudio collecta, et ſcripta indicaui, ex quibus amplior ſtirpis notitia peti poſſit. Icones malui eas allegare, vtut in libris diſperſas, quas meo iudicio naturae conuenientiſſimas cognoui, quam vnico operi inhaerere, e. c. BLACKWELLIANO, quod ſtirpes nimis coarctatas ſaepe ſiſtit, et in forma coloribusque inſignia multis exemplis vitia committit. In locis natalibus non deſcribendi *Species plant.* LINN. officio me vnice perfunctum eſſe, ſed adduxiſſe multa ex propria multiplici lectione haud

paucis documentis apparebit. Nomina pharmaceutica et ea notanda duxi, quae Anglis et Gallis peculiaria sunt. Amplius negotium, si quod in colligendo vel vsui adornando medicamen sibi vindicat, vt multa exotica huius census sunt, sollicite et fusius quam solet fieri, ex fontibus, quorsum itineraria in primis faciunt, indicaui. Praeparata et composita non ea modo adduxi, quae apud Germanos, qui Pharmacopoeae Wurtenbergicae (cuius Editio vlt. a. 1771. praestat) praecipue rationem habent, et ad cuius normam Heluetica, Vindobonensis, Palatina, Argentoratensis in plerisque sunt concinnatae, vsu veniunt, sed et Londinensium et Edinburgensium thesauros pharmaceuticos vbiuis consului. Edinburgenses dum nomino, non vltimam (a. 1774.) editionem Pharmacopoeae eorundem intelligo, quam nonnisi post inceptum et longius iam prouectum opus legi, sed illa priorem, in qua et per reliquum operis studio deditaque opera subsistam, non conformitatis modo causa, sed et ideo quoniam prioris in libris practicis creberrima fit mentio, in nouissima autem tam in titulis medicaminum, quam praeparationis et mixtio-

num

num ratione tantae mutationes obtinent, vt ſubdubitem, an aſſenſum medicorum proximis hiſce luſtris ſibi ſit conciliatura. Danorum et Suecorum nouiſſimas Pharmacopoeas perſequutus ſum, et comparaui cum aliis, quoties in encheireſi vel connubiis priuas ſibi laudes vindicare credidi. Multis inſuper locis inſerui vel ſubiunxi miſcelas, hinc inde in practicis libris memoratas et experientia vel auctorum vel aliorum medicorum, horum veſtigiis incedentium, celebratas, etſi nondum in pharmacopoeis iure ciuitatis condecorentur.

Et haec quidem ad hiſtoricam partem medicamentorum attinent. Verum iniunctum aliud auctori de materia medica libri graue officium, vt virtutes medicaminum expendat. Multiplici ad illas detegendas inceſſerunt via. Poſthabita illa varia, quae credulam antiquitatem tenuit, qua vel ex figura, colore, duritie ſimilibusque aliis coniecerunt, cuinam malo tollendo eſſet idoneum id, quod pro medicina habuerunt; vel ſideris cuiusdam influxu opitulari labefactae corporis noſtri parti hoc vel illud ſibi perſuaſerunt; vel inſtinctibus ani-

mantium nimium dederunt; vel ex temperie varia medicaminum abditas vires hariolari annisi sunt: certius quibusdam longe adiumentum afferre chemica analysis visa est. Nolo repetere, quae contra hocce criterium scite ab aliis monita sunt. Nec refellit dicta mira ista virtutum conuenientia, quas chymici ex analysi deduxisse se sustinent, cum iis, quas experientia manifestauit. Vereor enim, ne in hisce proferendis tacite ad experientiam potius, quam sua in laboratoriis tentamina, respexerint. Multa alia tamen ex chemia in materiam medicam redundant commoda. Huius ope eruimus miscelam abditam multorum medicaminum, cuius de mineralibus nominatim vix vlla exstitura notitia; discimus, quaenam solui a corpore nostro possint, nec ne; et quibusnam menstruis subigenda sint, vt vim exserere desideratam queant; haec subministrat artificium segregandi noxias partes et ita corpora compingendi, vt noua miscela efficaciora fiant. — Pluris longe faciendum arbitror in enucleandis viribus abditis cognationis adiumentum, quod de vegetabilibus praecipue valet. Nam etsi in combinandis stirpibus tam

quoad

quoad genus quam ordines naturales saepe botanici differant, et superfint quaedam, quibus in naturali serie nullus aptus etiamnum locus possit adsignari, vt comparantibus ROYENI, LINNEI, ADANSONI, SCOPOLI, OEDERI molimina liquet: plerisque tamen tantam natura similitudinem impressit, vt nihil opponi possit. Si quae vero discrimina virtutum in vno eodemque genere vel ordine locum habent, non tot eorum exempla exstant, vt subsidium hocce in vniuersum reiiciendum putem. Saepe gradu modo differunt, saepe altera pars iners omnique vi orba, altera efficaci quin venenata. Id ad minimum cognationum scientia emolumenti affert, quod nouis experimentis ansam praebeat, et cautiores obseruatores in iisdem subeundis reddat. — Quod idem de indiciis ex solo stirpium petendis sentio; et de gustus olfactusque vario adminiculo.

Optimus vero virtutum medicaminum magister experimenta sunt, nec haec vnice in hominibus vel brutis instituta, sed etiam extra corpus viuum capta. Quis pretium istis cll. virorum REDI et TORTI cum anthelmin-

ticis, PRINGLII cum antiſepticis, LOBBII cum lithontripticis, WALLERII cum Cinnabari ad ſolubilitatem eius demonſtrandam, ALEXANDRI cum nitro ad vim eius refrigerantem confirmandam, audet denegare? quippe quorum euentus eximie cum phaenomenis in corpore obuiis congruunt. Sit vero in hiſce is caloris gradus, qui corpori humano naturalis eſt, menſtruaque haud abſimilia illis, quae corpori competunt. Simulque meminiſſe conuenit, haud parum vires mutari miſcela liquorum primarum viarum aliorumque alluentium, multasque ſufflaminari, antequam medicamen ad locum affectum perueniat.

Plus igitur tributum experimentis in animalibus brutis. Hiſce prout multa noua in phyſiologicis detecta, vel vlterius confirmata, ita horum ope haud minoris ponderis momenta de efficacia medicamentorum primum innotuerunt bene multa. Aptiſſima huic fini animalia habentur quadrupedia et aues, quoniam haec ipſa propius ſtructura ad noſtrum corpus accedunt. Dubiam vero fidem reddit diuerſa multarum partium in hiſce ſtructura, defectus

alia-

aliarum in nobis obuiarum, perfectior rurſus quarundam in nonnullis brutorum ſpeciebus indoles, et haud exiguus numerus phaenomenorum, quibus brutorum quidem corpora, non vero noſtrum, patent. Sicuti vero ſtructura et indole a nobis animalia diſcrepant, ita et euentus experimentorum cum remediis et venenis captorum differant, neceſſe videtur. Id quod et obſeruationibus vlterius confirmatur. Nempe bruta, quae magnitudine et pondere humanum corpus fere exaequant maiori ſaltim doſi medicamentorum quam homo, egent, cuius cauſa niſi fallor in minori ſenſilitatis et irritabilitatis gradu quaerenda. Multa homini innoxia labem inferunt animalibus; alia rurſus nonniſi certis brutorum ſpeciebus infeſta ſunt, et contraria vice quaedam impune a brutis ingeruntur, quae maxime homini deleteria exiſtunt. Mirum adeo, quod tenerrima quaedam animalia acribus variis ſine damno idque haud inuita veſcantur, quae fortiori, vt creditur, corpori humano veneno ſunt. Id praeterea moleſtum eſt, quod bruta non poſſint diſtincte ſignificare ſenſus et mutationes, quas ex ingeſtis percipiunt, et etiamſi quaedam,

vehementius affecta, irrequieto suo motu, clamoribus vel eiulatu, variis euacuationibus, vim illatam effectusque declarent, loquela tamen destituta et de gradu affectionis et de loco ignaros nos relinquunt, nec subtiliorum sensationum, vt tensionis, vertiginis, anxietatis, nauseae, torminum, indicia apta suppeditare possunt. Sciendum quoque, facilius affici animal iunius, quam aetate prouectum, multa ingerere bruta fame vexata, quae spernunt pabulo alio iam deuorato, multa repudiare suppetente alio pabulo conuenientiori, nec, ventriculo repleto cibis et sordibus, tam facile percipere effectum, quam eodem vacuo. Verum de hisce succincte et summatim modo hic ago, quum alibi *) fusius in pretium huius generis experimentorum inquisiuerim.

Colligitur inde, antistare omnibus reliquis inuestigandi vires medicaminum modis experien-

*) Factum hoc est in Disquisitione, *Tal om de på Djur anstäldte Röns och Förföks opålitelighet vid tillämpningen på Menniskans Kropp, år 1772.*, praelecta R. Academiae scientiarum Suecicae, sub clementissima Regis GVSTAVI III. praesentia.

rientiam in ipſo humano corpore ſuſceptam. Leue crederes negotium eſſe, illam ſubire ex iactantia empiricorum, qui multitudine aegrorum, quos adeunt et varietate formularum eam metiendam ducunt, an iudicio adfuerint nec ne, parum curantes, nec agnoſcentes ipſa aegrorum obſtrepentium frequentia obnubilari obſeruandi vim iudiciique acumen frangi. Aſt accuratam ſupponit cognitionem morbi eiusque graduum et omnium eorum, quae eius curſum dirigere vel mutare poſſunt, quorſum pertinet aegri natura, idioſyncraſia, complicatio morbi, et epidemica conſtitutio, aëris climatisque ratio, anni tempus, ſexus, aetas, rel. Scitam quoque deſiderat applicationem medicamenti, quoad doſin, miſcelam, corporis praeuiam praeparationem, diaetam iungendam. Nemo autem horum omnium rationem habere poteſt, niſi obſeruandi dono inſtructus, conſuetudine res obuias per momenta ſingula ſcrutandi, et miſcela quadam ingenii alacris tenacisque, acquiſito, et pertinaci in repetendis experimentis conſtantia vſus fuerit. Cultum inſuper iudicium opus eſt, vt ſuper obſeruatis cogitari poſſit et ex phaenomenis ad cauſas, ex

cognitis ad ignota et ſenſibus noſtris abdita concludi, et mens ab omni praeiudicio et affectibus aliena. Vide, an haec cadant in Practicum proletarium, lucro vnice et ambitioni litantem, minis vel fauore plicatilem, ex vno lecto ad alium in noſocomio vel praxi priuata volatilem. Hiſce dotibus ſi opus eſt in medicamentis, quorum virtus iamiam explorata ſatisque cognita eſt, applicandis: quanto minus abeſſe hae poſſunt, ſi ipſi ad noua tentamina noſmet accingimus, et vel ignotis viribus rimandis vel dubiis confirmandis animum aduertimus. Quorum normam eleganter expoſuit ill. AB HALLER (in *Pharm. Heluet. Praef.* p. 12.). Nempe primum in corpore ſano medela tentanda eſt, ſine peregrina vlla miſcela, odoreque et ſapore eius exploratis, exiguâ illius doſis ingerenda, et ad omnes, quae inde contingunt, affectiones, quis pulſus, qui calor, quae reſpiratio, quaenam excretiones, attendendum. Inde ad ductum phaenomenorum in ſano obuiorum tranſeas ad experimenta in corpore aegroto, paruis pariter praebiis, et horum euentus ſollicite notandi, aucta dein doſi. Nec iuſta repetitio negli-

gen-

genda, vt pateat, quid medicina, quid circumſtantes aliae conditiones praeſtiterint, nec ex vno vel altero ſingulari caſu generalis vel laus vel vituperium formetur.

Vtinam hiſce ſolis fulcris materiae medicae ſcientia eſſet ſuperſtructa. Quod ſi eſſet: cum matheſi ipſa certitudine dimicaret. Sed vnius hominis vita tot experimentis cum tot naturae productis ſubeundis non ſufficit, et niſi aliorum conamina in noſtros vſus vertere vellemus, inchoare oporteret denuo operoſos labores anteceſſorum, eosdemque in ſcopulos pro humana imbecillitate impingere, quos praeuio eorum curſu admoniti, feliciter iamiam praeteruehimur. Agite igitur, grati excipiamus, quicquid veri et euicti praeteritae aetatis vel coaetaneae vitae ſollertia de medicaminum efficacitate, poſt multos errores iterataque ſtudia, nobis reuelauit.

Verum autem vnice quum hacce in re ſecter, tot fateor difficultates mihi obueniſſe, vt fere deſpondens animum valedixiſſem operi.

Fa-

rem, malui teſtimoniis eundem interrumpere, quam ambitioſa vel ingrata omiſſione auctorum mihi vindicare, quae aliorum ſunt. Teſtes, dum videant allatos, non dubito fore multos, quibus diſplicebit parca eorum citatio. Sed multa non egent peregrino ſuffragio, quum quotidianus vſus rem euicerit. Quis enim dubitabit de Ialappae vi purgante, Ipecacuanhae emetica, Opii ſomnifera, Scillae diuretica. In aliis mihi perinde eſt, an DIOSCORIDES, vel alius quidam genius tutelaris, eadem dixerit, modo vera ſint, quae ediſſeram. Diſſenſus vero ante omnia ſignificandi fuerunt, ne partibus duci videar, et vt poſtera aetas iterato tentamine in errores commiſſos inquirat. Varios ipſe conciliare anniſus ſum, vel vitium ab alterutra parte patratum detegere. Iam et in patulo erit, cur longe pauciores virtutes de medelis recenſeam, quam ipſi breuiariorum ſcriptores plerique, etiamſi pro confirmanda re loca ipſa allegent. In hac re non diffiteor ZORNIVM me longo poſt ſe intéruallo relinquere. Allectus ſubſidiaria eorum ope, ſaepe redii ad fontes, quos indicant, ſed ſaepe infidos inueni, ſaepe male intellectos. Quis cautior

tior ex vno vel altero ſingulari caſu in vniuerſum ita eſſe colliget? Quis veri auidus vni remedio adſcribet virtutem, quae in ampla et variegata formula, vel aliis ſimul in auxilium tractis inter plura diuiſa manet? Quae hominis, de cuius fide vel obſeruandi dote niſi fama nominis, quae ſaepe ambigua, narrationis tamen modo declarata, non conſtat, auctoritas? An mihi vitio vertendum, quod mendas feſtinatione nimia lectionis commiſſas non recoquam? quod non pariter, vt illi ex perperam intellecto ROSENSTEINIO ſinapiſmum faciei imponendum, vt inde arceantur variolae, commendem? quod taceam de excitato ſaliuae eiusque violacei odoris ex Terebinthina capta profluuio, quum locus ex HAHNIO (*de podagra Cardinalis* DE ZINZENDORFF) citatus modo indicet, narrantem Cardinali amicum de efficacia Terebinthinae in podagra ſaliuam illi mouiſſe, h. e. deſiderium eiusdem vſurpandae excitaſſe? quod non valere infuſum Linnaeae florum ad morbos cutaneos addiderim, quum haec laus ad flores Linariae pertineat? vt centena exempla alia taceam. Perplacet igitur mihi in virium medicamentorum

rum recenſu ill. SPIELMANNI moderatio. De quibus ipſe nondum ſatis conuictus fuerim, dictionis genere facile cognoſcetur. Nec neglexi numerum experimentorum ſignificare, ſi paucitas fidem minueret. Subinde in hiſtoriam inuentionis deſcendi: fateor tamen me potuiſſe plura de hac dicere, ſi practici medici intereſſe haec ſcire putarim. Rarius modum, quo vim exſerant medicamenta, explicare tentaui. Praeſtat enim ſcire, quid remedium efficiat, quam quomodo effectum edat.

In huius diſquiſitionis locum, fidam omnium momentorum, quae ad curationem ſpectant, commemorationem ſubſtituendam duxi. Quid iuuat indicare, Valerianam mederi epilepſiae, corticem Peruuianum gangraenae et inflammationi, Onopordon cancro, Boletum igniarium haemorrhagiis externis, Moſchum maniae, Alumen febribus intermittentibus, ſpiritum Vitrioli ſcabiei, extractum Saturni GOVLARDI ophthalmiae, niſi ſpeciem naturamque mali determines? quod Ipecacuanha dyſenteriam tollat, aſthma ſpaſmodicum

cum ſoluat, vteri haemorrhagiam compeſcat, niſi tempus morbi opportunum doſinque aptam edoceas? quod Antimonium arthritidem, martialia affectiones neruoſas, mercurius luem veneream, Cantharides rabiem caninam ſanent, niſi praeuiam corporis praeparationem tradideris et miſcelas aptas modumque, ne nocere poſſit vtiliſſima alioquin medicina?

Diſpertiendi medicamenta non vna arriſit auctoribus ratio. Commodiſſima vulgo cenſetur et praxi aptiſſima, quae virtutum praecipuarum reſpectum habet, hacque vſi ſunt e. c. cll. CHOMEL, LÖSECKE, CRANZ, SPIELMANN, et cuius librum nondum, quod doleo, legere mihi contigit, cl. CVLLEN. Id vero incommodi habet, quod neceſſitatem ſaepe iniungat dirimendi remedium in plura quaſi fruſtula pro varietate morborum, quibus medetur, et quod pro genio auctoris vario

ſubinde ſummam dicendorum collocatam cernas, vbi omnium minime quaeſiuiſſes. Alii diſpertiuerunt medicamenta ſecundum partes, quae in officinis ſeruantur, radices, folia, flores, reſinas rel., vt catalogi diſpenſatoriorum, HILL, BÜCHNER, VOGEL, TRILLER; alii ſecundum eas particulas, quas chemia eruit, vt cll. HERMANN, CARTHEVSER, GERHARD, GLEDITSCH. Alii primum regna naturae, dein ordinem alphabeticum ſibi filum elegerunt, vt GEOFFROY, ALSTON. Alii mixta omnia ordini alphabetico conuenienter propoſuerunt, vt ZORN, LEWIS, BOVRGELAT. LINNEVS inſtitit ſyſtemati ſuo. DALIVS ordines naturales proſequutus eſt. Cur et ego ſeriem naturalem in vegetabilibus, quam in vniuerſum, ſi quis vnquam, ego magni facio, amplexus fuerim, ſupra iam expoſui. Qua in re etſi multa ad venerabilis praeceptoris ill. A LINNÉ mentem adornaui,

in

in haud paucis tamen ex propria obſeruatione deflexi, quorum rationem reddere huius loci non eſt. Habet quoque haec partitio id emolumenti, quod omnia, quae de medicamento noſcenda ſunt, vno loco tradantur, et in tabula quaſi ſiſtantur, quod quantum memoriam adiuuet, dici non poteſt. In expoſitione autem ſingularum partium, agmen ducant eae, quae efficacia antecellere reliquis experientia docuit. Si quos Florae ſacris minus initiatos offendit ille ordo, tanquam non ſatis commodus ad hoc vel illud medicamentum vel ſingularia de illo momenta exquirenda: hiſce indice alphabetico ad finem operis, vna cum aliis neceſſariis, ſubiiciendo in poſterum fiet ſatis.

In continuando eodem et tempeſtiue abſoluendo impiger laborabo. Expedito igitur vegetabilium complexu, cui quaedam incertae originis ſerius detecta ſubiungam, e. c. Radi-

cem Lopez, Columbo, Caſſuminiar, Semen Ajavae, Gummi adſtringens FOTHERGILLI, Corticem Pocgerebae etc. ad animalia, tum ad mineralia, procedam. Peculiare caput remediis deſtinaui, quae lucrum plerumque inuentorum arcana eſſe olim voluit, vel etiamnum vult. Horum quaedam, vt puluis febrifugus CLOSII, puluis antiarthriticus Ducis Portlandiae, iam data quidem occaſione commemorata, vel commemorabuntur in poſterum, ſicuti lithontripticum matronae STEPHANS, pilulae tonicae BAKERI, ſpecificum HERRENSCHWANDII contra taeniam, lithontripticum IURINI et CHITTICKII. Aliarum natura etiamnum tenebris obuelatur prout puluis AILHAVDII, oleum Harlemenſe, Elixirium STOVGHTONI, Guttae BESTVCHEFFIANAE ſ. LAMOTTIANAE, puluis PLVNKETI et GVYII contra cancrum, puluis IAMESII, hinc ſeorſim tradenda, quo, etſi

non

non de miſcela, tamen de viribus adſcriptis, iudicium ferri poſſit. Proximum locum occupabunt aquae, ſiue ſincera illa ſit, vel forma fluida vel in niuem glaciemue condenſata, vel in vapores diſſoluta, ſiue medicata. Quam claſſem excipient curationes per aërem, in qua eiusdem vis reſtaurans, vel ſi mauis, balſamica, vapores ſalutares et noxii, machinae variae ad depurandum aërem excogitatae, medicina Aegyptiorum per inflationem medendi, conſiderabuntur. Si muſicae praeceptis imbutus penitius eſſem, quaedam et de vſu eiusdem in medicina commentari non alienum a ſcopo foret. Nec ignem adiumentum ſuum denegare medentibus, quum per ignem electricum factae curationes, tum nouiſſima in Gallia cum candente carbone contra vlcera capta experimenta aliaque demonſtrant; de quibus vltimo capite agetur. Quae ſerius detegentur, quam vt ſuis locis inſeri poſſint,

prout iam quaedam de vſu fumigationis colophonii in phthiſi ex Commentariorum academiae chirurg. Pariſinae Tomo 5., et de Arnica ex COLLINI Obſeruat. practic. T. 5., adiicienda, Supplementi inſtar opus claudent.

Et haec quidem omnia tribus vel quatuor voluminibus ad finem me perducturum ſpero.

VO-

VOLVMEN PRIMVM

STIRPES.

Coniferae.
Amentaceae.
Compoſitae.
Aggregatae.
Conglomeratae.
Vmbellatae.
Hederaceae.
Sarmentaceae.
Stellatae.
Cymoſae.
Cucurbitaceae.
Solanaceae.
Campanaceae.
Contortae.

A. POLYCOTYLEDONES. *)

ORDO I.

CONIFERAE.

PINVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 719. Gen. plant. p. 499.*

I.

Pharm. PINI *Turiones; Succus; Cortex. Pix.*

α, *Pinus ſylueſtris;* foliis geminis, primordialibus ſolitariis glabris. LINN. *Spec. pl. Variet. α, p. 1418.* Pinus ſylueſtris CASP. BAVH. *Pin. p. 491.* Pinus foliis geminis, conis pyramidatis, ſquamis oblongis obtu-

*) Ita voco congeriem inſignem ſtirpium, quas *Dicotyledones* in vniuerſam dici mallem, ipſe adhuc dubitans, an duabus plures vlli ſemini cotyledones contingant, praeeunte inprimis cl. MEESE (*plantar. rudimenta Explic.*

obtusis. DUROY *Harbk. w. Baumz. T. 2. p. 13.**) V. SCHOELLENBACH *Abbild. Tab. 1 — 4.* Arbor. Crescit vbiuis in syluis borealibus siccis, peregrinatorum in abietis sodalitio omni anno oblectamentum gratissimum, proceritate et ramorum densitate venerabilis.

Ligni vsus in vita communi multiplex ad malos ob rectitudinem, aquaeductus, asseres, focos, candelas, carbones, suliginem, rel. *Corticem*, *Terebinthinam*, *Picem* medica res cum oeconomica communes habet.

TVRIONES. Sunt amenta tenera, cylindrica, nondum expansa, extrinsecus squamis rufis tecta, interne viridia, pinguis ob resinam, qua turgent, attactus, saporis balsamici amari, odoris grati. Male vulgo *Strobili* vel *Coni* dicti. In Germania vix rite cogniti; nam in pharmacopoliis variis, horum loco, abietis vel propagines

p. 3.), cuius hac in re non spernenda auctoritas. Quum vero ill. a LINNÉ aliique et pluribus locum dent, vtor voce neutri differentium parti molesta; quos pini exemplo cl. ADANSON (*Fam. des plantes Pref. p. 305.*) conciliat, binas illi modo cotyledones tribuens, sed ad basin vsque in sex lobos diuisas. Variare vero numerum (si placet dicere) loborum in diuersis pini speciebus aliae obseruationes (Vid. LINN. *Sp. pl. p. 1420.*) docent.

*) Grauis in huius ordinis plantis auctor, quum probe rationem strobilorum habuerit, sine quibus americanae praecipue species distingui nequeunt.

nes folioſas vel eiusdem ſtrobilos duplici errore inueni. Et deſcriptiones pleraeque, in libris materiae medicae obuiae, pariter mancae ſunt. Primaria eorum in ſcorbuto laus, eaque non noua (HERM. *Cynoſ. mat. med. T. 2. p. 193.*). In Suecia magni etiam nunc hoc nomine fiunt (LINN. *Flor. Suec. p. 874.*); in Sibiria pariter (GMEL. *Fl. Sib. T. 1. p. 178.*). Nec ſpem fruſtrantur, malo iam inueterato doloribusque ſtipato, ſero lactis decocti, cuius bis de die vnciae quatuor ebibantur (SCOP. *Fl. Carn. p. 402.*); quod idem praedicatur de veris ſtrobilis, eodem modo vſurpatis (*loc. cit.*). Verum non priua hiſce haec virtus eſt, ſed et folia et cortex viridis et lignum pini vel et abietis praeſtantiſſima in hoc malo exſtiterunt, praeſertim addito tantillo abſynthii et radicis armoraciae (LIND *on ſcurvy p. 176.*). Hinc et in arthritide vaga ſcorbutica omnia ex pino, aquam, eſſentiam, extractum et ſimilia praeeunte WALDSCHMIDTIO commendat BAGLIV (*Oper. p. 117.*). Laudantur praeter ſcorbutum etiam in tumore leucophlegmatico et tuſſi catarrhali in connubio radicum baccarum et ſalis iuniperi aqua vel cereuiſia decocti (DARELII *Socken-Apot. p. 52.*). Placuit et lac turionum, praeſertim recentium, verno tempore paratum ex turionibus, armoraciae radice, ſaccharo vel melle, contuſis, aqua infuſis, dein exprimenda et lactis vel ſeri eiusdem tantillo commiſcenda (*loc. cit. p. 100.*). In lue venerea decoctum

ctum eorum fero lactis factum et ad menſuras duas vel tres quotidie epotum, iunctis iniectionibus vel gargariſmatibus, quando fauces exulceratae fuerunt, ſucceſſiſſe viſum eſt (HIRSCHEL *Betracht. üb. d. Merc. Subl. u. d. Schierl. pag. 9. 16.*).

Vel ſimplex eorundem infuſum theaeforme ſiue decoctum, ex cereuiſia vel aqua, in morbis prius dictis ſaepius ſuffecit. Sicque non vitia humorum ſolum corrigunt, ſed lotio copioſo educunt.

Externe decoctum ſcabiem abſtergere et a prurigine membra defendere lego (VOGEL. *mat. med. pag. 79.*).

Extractum eorum reſinoſum vix differre a balſamo peruuiano (HIRSCHEL *l. c. p. 9.*) De oleo infra.

SVCCVS, ſub cortice latens, vere ad alui ſolutionem vsque ſuctus, aſcarides expellit (ROSENSTEIN's *Barnſjukd. p. 353.*).

EX CORTICE *interiori* albo, molliori et fibroſo dura neceſſitas panem (Barkbröd) conficere Lappones (LINN. *Flor. Lapp. p. 276*) aliarumque ſeptentrionalium regionum Sueciae incolas, non in ſuum modo ſed et hominum vſum, docuit; in Kamſchatka pariter (*nat. Hiſt. p. 47*). *Exterior* rudior ruber (Suec. Flarn), doliis obturandis, retibusque, ne fundum petant, ſuſtinendis, inſeruit. Huius vero in primis loci eſt, noſſe, eundem, in puluerem redactum et cribratum, in infantibus inteſtinum rectum prolapſum, ſi eidem inſpergatur et accedat

dat reductio, ſitu ſuo retinere. (ROSENST. *l.c. p.24.)* Idem puluis ambuſtis profunde eroſis auxilio fuit (WICKELGREN in *Provinc. Doct. berätt. 1761. p.78.*).

Haec, vt reliquae pini ſpecies, ſucco reſinoſo ſcatet. Quoniam vero non in ſingulis eadem vbertate adeſt, nec eaedem vbiuis arbores ſuppetunt, et vna hoc, alia aliud, reſinae genus copioſius ſuppeditat: hinc diuerſis ab auctoribus ſpeciebus Terebinthinae et Picis et Reſinae natales aſſignantur. Noua difficultas naſcitur exinde, quod limites in hoc genere non ſatis exacti inter ſpecies et varietates, ne a clariſſimis botanicis quidem, poſiti ſint, nec vtrarumque characteres rite indicati. Quae querela legenti de hac re librum alias eximium ill. DU HAMEL (*Traité des arbres et arbuſtes Tom. 2. Art. Pinus p. 121. ſq.*) iterum recurrit. Terebinthinam communem iuſtius Pino piceae, quam ſylueſtri L. tribuimus; de Pice autem agere huius loci eſt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM TVRIONVM DESTILLATVM. Ex turionibus, aqua paratum (HAARTMAN *gångb. Sjukd. p. 372.*), vulgo in officinis non occurrit. Illitum dolores rheumaticos pacauit (*l. c.*)

ESSENTIA PINI *Pharm. Wurt. p. 84.* Fit extractum turionum cum ſpiritu cochleariae digerendo. In ſcorbuto et arthritide vſurpata ad guttas ſexaginta ſupraque.

PIX. Hanc huc refero, quum ſaltim largiſſimus eius in Suecia, Heluetia aliisque regionibus ex pino ſylu. prouentus ſit. Abietem autem aſſignat perill. A MVNCHHAVSEN (*Hausv. Tom. 5. p. 224.*), in Germania altera frequentiorem, hinc et pici ibidem colligendae aptiorem et *Pechtanne* a Germanis, ab Ipſo vero ideo piceam, dictam. Diſtinguendum inter *picem liquidam* et *ſolidam.*

Pix liquida ignis ope ex fruſtis ſiccis pini, ad medullam vsque commodis anni temporibus caeſae, per deſcenſum eliquatur. Simpliciſſimus modus eſt fruſta coaceruata et muſco terraque tecta in colle decliui accendere, focum per follem alendo et augendo: ſic in foueam inferius foſſam et foliis abiegnis veſtitam defluit, ibidemque colligitur. (LINN. *Skånſka reſa p. 54.*) Maiori lucro in peculiari furno ouato, vtrinque detruncato, infra intus craticula et ad latus canali, per quem in dolium ſuppoſitum effluit, inſtructo, vt fit in Gallia et Hiſpania (V. *Fig.* furni in DU HAMEL *l. c. p. 168.* qui modum ibidem et in Canada vſitatum deſcribit), vel furno figurae coni detruncati vel alius, eliquatur. Sic primum deſtillat phlegma, dein pix ipſa, h. e. liquidum tenax, nigrum, fragrans plerisque ingrate olens, ſaporis amari. Suecica, Noruegica, de quibus egit ill. WALLERIVS (*A. N. C. Vol. 9. Obſ. 64.*) et Thuringica, quarum proximas duas dictas comparat BEVRER (*A. N. C. Vol. 10. App. p. 159.*) inter

picis

picis ſpecies praecipue celebrantur. Hoc liquidum, licet eiusdem originis ac terebinthina, ab hac tamen manifeſte differt, quum igne empyreumaticum euaſerit, et ſimul partes gummoſae et mucilaginoſae fuerint elicitae. Sic dum terebinthina aquae ſolutionem reſpuit: pix liquida quoad partem ſoluitur. Pix deſtillatione exhibet aquam acidam, quae acidiſſima eſt omnium ex vegetabilibus absque fermentatione paratarum, oleum album aliudque obſcure rubrum, denique caput mortuum lithontraci fere ſimile. (WALLER. *l. c. p. 246.*) Oleum tenuius, quod pici liquidae ſupernatat, pix liquida lutea (gelber Thaer) Germanis dicitur.

Vſum oeconomicum eiusdem ad ligna funesque contra putredinem tuenda, curruum curſum accelerandum, vel in morbis pecudum, hic linquo. In dyſenteria autem aliquando picem cum cera in pilulis datam lego (HERM. *m. m. T. I. p. 660.*). Nec magis placet recenſere fidem, quam eidem cum cereuiſia potae in malignis febribus Norvegi tribuunt (TH. BARTHOL. in *Act. Haſn. T. I. p. 41.*). Contra taeniam Weſtrobothnienſes illam cum lactis aequali quantitate miſcent et per hebdomadem mane huius miſcelae cochlear vnum ebibunt (*Prov. Doctor. Berätt. Fortſ. 2. p. 263.*). Singularem in ſcabie efficaciam pilulae ponderis granorum trium ex herba conii et pice liquida comprobarunt. Initium ſcilicet pilulis

duabus fit, quae doſis quotidie pilula vna augetur, donec 24 per diem conſumtae fuerint. In pertinaciori malo balneum in auxilium adhibetur, et lotio ex decocto foliorum nicotianae ſaturato iis in locis, quae ſcabies conſpurcat. Valuit etiam haec medicina ad variolas malignas arcendas, in oedematibus pedum, contra varos faciei rel. (*Inrikes tidning 1766. n.52.*). Efficacior pici vis ineſſe videtur in variolarum contagio debilitando. Domeſticum hinc inde in Suecia eſt, febre varioloſa ingruente infanti tot picis liquidae guttas exhibere, quot annos agit, cuius medelae virtutem ipſe WALLERIVS (*l. c. p. 252.*) affirmat aliquoties ſe expertum, non credulus alioquin auctor. Maximum autem in re medica rumorem excitauit

Infuſum picis liquidum ſ. *aqua picea, Ph. paup. p. 9.* ex picis liquidae libris duabus et aquae fontanae congio. Haec per tria vel quatuor temporis minuta prima bacillo agitantur, et poſt moram binorum dierum, qua fundum petiit pix, decantatur et clara pars ampullis excipitur. Sic inſtar vini hiſpanici albi translucet, odoris empyreumatici et ſaporis aceſcentis eſt, qui manifeſtior fit inſtituta eiusdem quoad partem aliquam exhalatione; tum quoque ſyrupum violarum rubrum reddit et alcali inſtillatum efferueſcit. Conſtat ex oleo tenui, quod ſolutum per acidam partem aqua miſcibile euadit. Pix ſemel uſurpata vlteriori extractioni inepta eſt. Poſtquam primo infuſum hoc in A-

merica

merica vſurpatum fuerit, Anglorum potiſſimum opera, Epiſcopi BERKELEY (*Siris or Inquiries concerning the virtues of Tar-water 1744. 8.*) et cl. PRIOR (*Narrative of the Succeſſ of Tar-water 1746. 8.*) inclaruit, qui in variolis praecauendis et mitigandis, in ſcorbuto, vlceribus mali moris, fiſtulis, rheumatismis, aſthmate, tuſſi, numeroſiſſimisque morbis aliis laudarunt. In variolis tantum valuit, teſte cl. CANTWELL, vt et irritam redderet inſitionem; eiusque ope epidemia funeſtiſſima infeſtante multis ſubſidio venit ill. A ROSENSTEIN (*loc. cit. p. 158.*). Sic in tuſſi ſicca pariter ac humida quin purulenta ſucceſſit cl^mo RAMSPECK (*Biga remediorum praeſtantiſſ. 1745.*). Vnicum efficax remedium inter tot alia fruſtra tentata in ſcorbuto ELLISIO (*Voyage to Hudſons Bay 1748.*). fuit, etiamſi confirmato malo; quo per lotii vias vim exſeruit (LIND *on ſcurvy p. 440.*). Leproſis quoque ſubuenit (LEWIS *mat. med. p. 457.*). Vim anthelminticam adſcribit, etſi non expertus, QVELLMALZ (*Progr. de infuſo pic. liqu. aqu. p. 13.*), qui multum virium illi derogat. Dolendum ob praeconia nimia in morbis natura ſua valde diuerſis, vt ſolet fieri, in deſuetudinem abiiſſe vtiliſſimam medicinam. Multos quidem deterret ſapor, ſed gratior fit addito ſaccharo vel paucis guttulis olei nucis moſchatae inſtillatis vel vini tantillo affuſo. Pulſum erigit ſudoremque mouet, lotiumue. Quibusdam emeſin catharſinque exciliauit,

citauit, (QVELLMALZ *l. c.*) an ſola nauſea? Pinta, h. e. vnciae ſedecim, in vniuerſum ſufficit per diem vacuo ventriculo hauſta, niſi diuturnitas mali maiorem quantitatem expoſcat (BERKELEY *l. c. p. 3. 56. 100.*). Infantibus varioloſis vitrum pro vino minus mane et veſperi conducit, vſu non ante ingruentem morbum tantum facto, ſed et, eo iam praeſente, continuato. (ROSENST. *l. c.*)

PILVLAE PICEAE *Ph. paup. p. 35.* Ex pice liquida et puluere radicis Helenii.

VNGVENTVM E PICE *Ph. Lond. p. 115.* Ex pice liquida et ſeuo ouillo. Inſtar digeſtiui et inprimis in efflorescentiis ſcorbuticis aliisque cutis vſurpatum.

Pix ſolida obtinetur liquidam in peculiari lebete ſub continua agitatione in compagem ſpiſſam coquendo (LINN. *Skånſka reſa p. 56.*). Si lignum reſina valde diues eſt, ex furno dicto ſtillans pix iuſtam iam craſſitiem habet; alii reſinam vna cum ligno probe reſinoſo in furnum immittunt, nec effluxum per tubum concedunt ante ſufficientem coctionem; alii rurſus acquieſcunt picem liquidam cum reſina liquando (DU HAMEL *l. c. p. 166.*). Vſus in commiſſuris nauium obturandis *picis naualis* nomen dedit; nec minus notum illud *picis ſutoriae.* Cuti applicata tenaciter adhaeret, eandemque rubefacit. Clauis pedum impoſita eosdem delet (BARTHOL. *in Act. Hafn. Vol. I. p. 41.*). In iſchia-

de

de emplaſtrum picis aromatizatum dolores ſopiuit (SCOPOL. *Flor. Carn. p. 401.*). Emplaſtris variis, tenacitatis praecipue cauſa, additur. Horreo crudele dropacis genus, quo in tinea puerorum capiti picem linteo illitam chirurgi applicarunt, violenta dein manu illud auferentes.

Pix, aſphalto commixta, PISSASPHALTVM dicitur. De PICE BVRGVNDICA infra ſub abiete.

Fuliginem, quae vel ex furnis, in quibus pix vtriusque generis coquitur, vel reiectaneis maſſarum reſinoſarum quarumlibet accenſis, intra camaram clauſam linteoque vel papyro veſtitam colligitur, artificibus relinquo.

Pharm. BALSAMVS HVNGARICVS.

β, Pinus ſylueſtris Mugo MATTHIOLI (*Oper. p. 98.*), apud HALLERVM (*Hiſt. ſtirp. P. 2. p. 319.*), cui modo varietas ſpeciei praefixae, aliis autem, vt MILLERO, SCOPOLI, peculiaris ſpecies. Pinus montana, foliis geminis, conis pyramidatis, ſquamis oblongis obtuſis, trunco ramisque flexuoſis. DU ROY *Baumz. T. 2. p. 31.* Cfr. SCOPOL. *Ann. hiſt. nat. 2. p. 65.* Icon rami in BRVCKMANNI *Epiſt. itin. 23. Tab. 3. fig. 1.* Arbor pumila, ramis ſuis mire contortis, quibus venatores facile irretiuntur, ſingularis. Vnde et nomen *Krummholzbaum* tulit. Creſcit in montibus carpathicis Hungariae procerius

rius, in Tyrolia, ducatu Wurtembergenſi, Heluetia.

Mihi hic ob balſamum dicenda, qui vt alius, de quo infra (V. Pinus Cembra) Hungaris inſtar panaceae eſt. Frutex carpathicus DAN. FISCHERO (*Bresl. Samml. Verſ. 2. p. 331.*). Balſamus ſponte exſudat ex apicibus ramorum et ampullis vitreis colligitur, vel expreſſione eorundem elicitur. Inuentor eiusdem fertur CHRISTIANVS AB HORTIS M. D. et ciuitatis Käsmarkienſis olim phyſicus eſſe, qui fruticem circa annum 1650. detexerit. In ſchedula, manu exarata etPharmacopolae loci tradita, varia de eiusdem virtutibus reliquit, eximium nimirum ſub vſu externo eſſe in vulneribus, vlceribus manantibus, rheumatismis, contuſionibus, obſtructione menſium, paralyſi, ſpaſmis, item in podagra; ſub interno autem a 2. ad 9 vel plures guttas cum aqua vitae in viſcerum obſtructionibus, ad lotium et ſudorem pellendum, in gonorrhoea, calculo, ad referandum fluxum menſtruum et haemorrhoidalem, in cephalalgia, quin imo in tuſſi et phthiſi, adeo vt Balſamo de Mecca parem exiſtimauerit (FISCHER *l. c.*); quae eadem fere memorata occurrunt a BREYNIO (*Eph. N. C. Cent. 7. p. 5.*). Conferantur inſuper de hoc Balſamo BRVCKMANNI *Specimina duo, 1727.* Quis non videt huic nimium laudum tributum eſſe, et ob calidam ſuam naturam arbitrario vulgi vſu illum damnum ſaepe parere?

re? Nec vllum dubium, oleo terebinthinae viribus proxime venire. Balſami loco hodie *Oleum deſtillatum*, quod etiam probat AB HORTIS; dum FISCHERVS balſamum verum praefert, venditur, et ſaepe oleo Terebinthinae adulteratum. — In vſum quoque tractum *lignum cum cortice, eſſentia* et *ſpiritus* (FISCH. *l.c.*), quibus omnibus non indigemus.

Oleum templinum, quod circumforanei in Germania nomine *Krummholzöhl* vendunt, quantum liquet, nihil quam oleum dictum ex ramis tenellis deſtillatione paratum eſt. Ex conis viridibus arboris deſtillari, innuit HERMANNVS (*mat. med. T. 2. p. 194.*). Sit viridiuſculum, aurei coloris, odoris grati, ſaporis oleoſo-acris (*Id.*). Recenſitae igitur vires huc trahendae. Huius praeterea guttas aliquot cum vino aduſto ante paroxysmum ingerit plebs Brunſuicenſis, febrem intermittentem ſudoribus et lotii profluuio curatura, ſed nonnunquam, vt reliquis in morbis, fatali euentu. In tendinum vero et neruorum puncturis ſub connubio ſpiritus formicarum non contemnendum, prout a veterinariis in vlceribus pecorum manantibus frequentatur (LANGE *Brunſv. dom. p. 138.*).

2.

Pharm. PINEAE *nuces*, *nuclei pinei ſ. pineoli.*

Pinus Pinea; foliis geminis, primordialibus ſolitariis ciliatis. LINN. *Spec. pl. p. 1419.* Pinus ſatiua C. B.

Pinus

Pinus foliis geminis, conis pyramidatis ſplendentibus ſquamis oblongis obtuſis, nucibus ouatis ala membranacea deſtitutis. DU ROY *Baumz. T. 2. p. 39.* Icon in BLACKWELL *Herbar. Tab. 189.* Arbor, creſcens in Hiſpania, Gallia auſtrali et Italia, noſtras hiemes non fert. Fructus cauſa in variis Galliae prouinciis colitur.

NVCLEI huius albi ſunt, oblongi, compreſſi, altera parte paullo latiores, pollicem dimidium longi, tenui epidermide veſtiti, intra putamen ligneum reconditi, quod vero ante venditionem ſeparatur; ſaporem ſubacidum, dulcem, amygdalarum aemulum, prae ſe ferunt, oleo pariter foeti, vt ad tertiam ſui ponderis partem fundant (SPIELM. *mat. med. p. 121.*). Recentes, vt amygdalae vel piſtaciae, cibis admiſcentur, vel crudi eduntur, vel ſaccharo condiuntur. Vires nutrientes, demulcentes, relaxantes, lubricantes cum hiſce communes habent. Nec inepti ſunt ad emulſiones, vel reſinoſis ſoluendis. Facile vero ranceſcunt, quod factum rufeſcens color indicat ſaporque. Hinc nullus hodie eorundem in medicina ſerius vſus fit; etſi iam Graecis antiquis probe noti fuerint.

3.

Pharm. BALSAMVS CARPATHICVS *e Libano.*

Pinus Cembra; foliis quinis laeuibus LINN. *Spec. pl. p. 1419.* Pinis foliis quinis, conis ouatis erectis, ſqua-

ſquamis oualibus concauis, nucibus cuneiformibus ala membranacea deſtitutis. DU ROY *Baumz. T. 2. p. 51.* Conf. SCOP. *Ann. 2. p. 65.* Der Limbaum BRVCKMANN *Epiſt. itin. 89.* Icon: BREYN. *Eph. nat. cur. Cent. 7. Tab. 1.* quam recudit BRVCKM. a latere inuerſam. Arbor in montibus carpathicis Hungariae et alpinis Helvetiae, montanis Tyrolinenſibus, creſcens.

Lignum grati odoris, quod in ſcrinia formatum contra tineas veſtimenta certiſſime tueri affirmatur. (SCHOBER *in Hamb. Magaz. Vol. II. p.* 595.) *Semina* erogat copioſiſſimo oleo ſcatentia eaque dulcia eo loco, quo creſcit arbor, edulia. Sed huc praecipue arborem refero ob

BALSAMVM CARPATHICVM, quem mallem ſemper dici Balſamum Libani, vt diſtinguatur a Balſamo arboris Mugho (v. ſupra p. 11.) in Hungaria praeſertim celebris, vnde ſubinde transfertur. Eſt pellucidus, albus, valde liquidus. Odore et ſapore propius ad oleum iuniperi accedit (DAN. FISCHER in *Bresl. Samml. 2. Verſ. p. 334.*). Huius prima notitia pariter CHRISTIANO AB HORTIS debetur. Multus eſt in recenſendis eius virtutibus DAN. FISCHERVS, prioris ſucceſſor, qui illo praeeunte in vertigine illitum temporibus, in ſuſurru aurium et difficultate auditus guttatim inſtillatum, in calculo interne cum aqua vitae, in malignis, quin adeo externe in eryſipelate

pelate et vtroque modo in pleuritide &c. laudat. Facile patet nimium et huic balſamo calido, etſi populari errore, datum fuiſſe. Praefert tamen ille eum balſamo arboris Mugho. *Lignum* cum *corticibus* inſuper ob antiſcorbuticam et reſoluentem vim adhibuit, et *Eſſentiam Ligni* vti et *Spiritum per fermentationem* inde parauit. Quae BREYNIVS (*l. c.*) de balſamo carpathico recenſuit, ad fruticem carpathicum ſ. Pinum Mugho potius pertinent.

4.

Pharm. TEREBINTHINA VENETA; AGARICVS.

Pinus Larix; foliis faſciculatis obtuſis. LINN. *Sp. pl. p. 1420.* Larix C. B. Pinus foliis faſciculatis deciduis, conis ouato oblongis, ſquamis ouatis ſubſcabris margine laceris. DU ROY *Baumz. T. 2. p. 61.* Icon: V. SCHÖLLENBACH *Abbild. Tab. 17-21.* Arbor, creſcens in montibus vel alpibus mediocris altitudinis (HALL.) Heluetiae, Galliae, Bohemiae, Hungariae, Tyroliae, Styriae, Sibiriae. Haec et Cupreſſus diſticha L. quantum conſtitit, vnicae ſunt aceroſae, folia autumno deiicientes, quae prior, quum ſucci reſinoſi ferax ſit, patet, perpetuum virorem non inde deriuari poſſe.

Lignum eius ob elegantiam coloris rubri, compagem firmam, et vi qua putredini reſiſtit, qua ad opera aquae immittenda idonea euadit, in pretio. Erogat

et

et carbones bonae notae, et foco inſeruit. *Cortice* iuniorum arborum cerdones coria denſant. Mox, vt aliae quaedam aceroſae arbores, poſtquam folia eruperunt, Mannam quandam arbor ſudat, quae *Manna laricea* ſ. *Brigantina* (Manne de Briançon) dicta, grana coriandri ſemini ſimilia, ſole denſata. In Heluetia non prouenit, vel negligitur (HALL. *Hiſt. n. 1658*). In Gallia lego vix vllam aliam mannam ſuppetere (LOBEL *aduerſ. p. 26.*). An hoc olim modo locum habuit? alibi enim negatur in vſu eſſe (CHOMEL *Uſuelles T. 1. p. 65.* DU HAMEL *Arbres I. p. 339.*). Debilius aluum mouet (CHOMEL). Gratum odorem arbori impertit reſinoſus, quo ſcatet, ſuccus, Terebinthinae nomine.

TEREBINTHINA, VENETA male dicta, iuſtius ſemper *larigna* dicenda, quum non per Venetos ſolos transferatur. Sponte quidem exſudat per corticem, ſed copioſius longe fundit illam arbor, binos pedes ſupra terram vel altius perterebrata, cui ſupponunt doliola, quae per canalem foramini admotum liquidam recipiunt. Brigantes ſecuri ſegmenta ex trunco ſeparant et terebinthinam ex vulnere ſtillantem colligunt. Maximum prouentum exſpectes ab arboribus mediae aetatis. Et in hiſce in receptacula peculiaria larga intra lignum trunci confluit. Terebinthina quisquiliis inquinata cribro transmittitur. Collectio per 40 ad 50 annos continuatur (DU HAMEL *T. I. p. 331. ſqq.*).

Liquidum hoc ſpiſſitudinem ſyrupi habet, clarum, pellucidum, odoris grauis ingrati, ſaporis pungentis amaricantis, coloris albidi vel pallide lutei. Minus acre eſt terebinthina communi (DU HAMEL *l. c. p. 339.*). Locus hic eſt generatim de Terebinthina dicendi; cuius triplex vulgo aſſumitur ſpecies: *1.*) *cypria* ex Piſtacia Terebintho L., *2.*) *communis*, plerumque ex Pino Picea, cui et originem ſuam tribuit *argentoratenſis*; et *3.*) *Veneta* ex praefixa arbore. Celebris etiam euaſit recentius *canadenſis*. Larignae quidem vulgaris in medicina vſus, licet communem alibi, vbi maior opportunitas, ſaepe ſubſtitui probabile ſit. Cypria poſtponitur ob charum pretium, quo venit; non vero inferiorem larignam eſſe vi, experientia docuit (FALLOP. *de vuln. p. 286.*). Quaelibet harum nihil fere aquae impertit, ſed ſubigitur ab eadem, ope vitelli oui vel mucilaginis, colore lacteo. In integrum autem absque peregrino adiumento et ſine igne ſpiritu vini ſoluitur.

Calida medicina eſt, et antiputredinoſa, largius ingeſta aluum ſoluit, vrinam violaceo odore imbuit, idque non ſolum, quando ingeritur, ſed et manibus tractata (KAAUW *de perſpir. n. 430*). Haec proxime dicta prout in vias lotii vim inſignem exſerere docent: ita largius, quod ciet, eiusdem profluuium. Balſamis indicis nulla in re poſtponenda. Sed, vt hi, parem ſaepe noxam peperit in vlceribus internis, quae

abſit,

abſit, vt depuret et conſolidet, pro vt credulum medicorum vulgus, imponente forſitan primum DIOSCORIDIS laude, exiſtimat, vt potius febrem accendat, et augendo inflammationem et obſtruendo tenacitate ſua affectum locum, malum natum deterius reddat. In gonorrhoea crebro a chirurgis adhibetur emulſionis forma, quum abſtergat et ardorem vrinae mitiget, ſed male; reprobante hinc merito hunc morem et ſcito harum curationum iudice cl. THEDEN (*Unterr. für Unterwundärzte* p. 255.). Nephritidis calculoſae medela fuit, dum per ſex menſes mane nucis magnitudine ingereretur (AMAT. LVSIT. *curat. med. Cent. I. Cur. 63. p. 309.*). In affinibus malis autem podagra et chiragra, profuit eadem cum Chamaepite iuncta (CLAVDINVS *Conſult. 19. p. 49. et Conſult. 39. p. 93.*). Eiusdem naturae eſt, quod in Italia remedium inclaruit, ex Terebinthina Veneta et Polio montano ad ſpiſſitudinem maſſae pilularis coctis, quo et vſus cum fructu Cardinalis A ZINZENDORF in podagra ſua, ſumto ad drachmam vnam quouis mane (HAHN *hiſtoria podagrae p. 10. recuſ. in Act. N. Cur. T. 9. p. 11.*) per integros ſeptendecim menſes. Colicam ex pituita collecta cochleare eius cum ſyrupo grato epotum compeſcuit (HAMILTON *prax. reg. p. 46. ſq.*).

Doſis eiusdem varie aſſignatur, a ſcrupulo dimidio ad drachmam vnam vel alteram, et a GEOFFROY (*M. m.*) in variis formulis ad vnciam dimidiam.

Extrinsecus crebrius longe adhibetur. Nempe emollit, digerit, putredinem arcet, et consolidat vulnera et vlcera; hinc permulta vnguenta et emplastra ingreditur. Vapor terebinthinae prunis candentibus iniectae inueteratos alui fluxus, dysenteriam, tenesmum, ani relaxationem coercuit (BAGLIV *Op. p. 108.*). In diarrhoea autem phthisin excipiente et intestinorum exulceratione clysma proficuum fuit ex Terebinthinae purissimae vitello oui solutae drachma vna, Theriacae Androm. vncia dimidia, lactis vaccini vnciis quatuor (SWIET. *Comment. T. 4. p. 112.*).

Agaricus, species boleti, in hac generatur, de quo infra inter fungos pluribus.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM TEREBINTHINAE *Ph. W. p. 132.* SPIRITVS TEREB. *Ph. W. p. 199.* Est oleum essentiale destillatione Terebinthinae cum aqua paratum. OLEVM TEREB. AETHEREVM *Ph. Lond. p. 32.* dicitur, si olei destillatio iteratur. Sextam partem olei erogari cel. SPIELMANN (*M. m. p. 330.*), alii quartam ad decimam, indicant. Caue, ne spiritus ex resina (V. infra Abies) cum aqua destillatus loco spiritus terebinthinae vendatur (DU HAMEL *Arbres T. p. 13.*). — Interne rarissime vsurpatur, et cautionem requirit. Potenter lotium mouet; et calculum, quo sede sua pulso, perfectam lotii suppressionem cum haemorrha-

gia

gia narium effraena creauit (*Act. Wratisl. p.* 365. In femina dolorem renis et diabeten hydrope pediſſequo excitauit (STEDMAN in *medic. Eſſays and Obſ. of Ed. Vol. 2. p. 48.*); et in alia femina datum ad drachmas duas in calida cereuiſia ſtranguriam, miſtum cruentum cum perfecta lotii ſuppreſſione, febre, ſiti vehemente et vomitionibus (*l. c.*). Plebis domeſticum eſt in malo iſchiadico et rheumatismis, melle exceptum vel liquido quodam; quod ſi concedatur, incipiendum ſaltim a parua doſi, ſenſim eandem augendo (*l. c.*). Formulam, ſed non temere imitandam, quam intrat, ſibi in iſchiadico malo inueterato laudatam exhibet CHEYNE (*on the gout §. 71.*) ex olei aetherei drachma vna ad vnciam dimidiam et triplo pondere mellis, ſuperbibito ſero lactis vinoſo et ſubiuncto veſperi opiato. — Doſis huius olei in vniuerſum pro vſu interno, guttis aliquot ad duodecim circiter conſtitit.

Praeſtantior et tutior externus. Vulnerarium egregium et ſufficiens in vulneribus minoribus (HEISTER. *Chirurgie p. 41.*). In puncturis praecipue neruorum et tendinum calide oleum infunditur ſucceſſu efficaciſſimo, omnium chirurgorum conſenſu (e.c. PAREI apud DIONIS in *Cours d'oper. p. 681.* PLATNERI *Chirurg. p. 279.*) Non minor vis olei calidi in ſiſtendis haemorrhagiis arteriarum et membrorum praeciſorum, quod JAMES YONGE (*Currus triumphalis e terebintho or an account etc. Lond.*

1679. 8.) neruoſe inculcauit. Tumores cyſtici, hydrocele et ſimiles tumores eius ope diſſipati; nocet vero inflammatione vel ſuppuratione praeſente. Ganglio ad carpum exorto quotidie illitum, hoc ipſum dispulit (PLENCK *chir. Mat. p. 453.*). Contra putredinem tuetur, vt in collectionibus rerum naturalium experimur. Cadauera, quorum vaſa oleo terebinthinae repleta, glutinoſa potius degeneratione quam putredine deſtruuntur (HALL. *hiſt. ſt. helv. n. 1657.*). Quanti igitur in vulneribus et vlceribus terebinthina vel hoc nomine facienda! Quin gangraenae putredinem, ſcarificatione praegreſſa, parti illitum coercuit, adeo vt ſit, qui illud ipſo cortice peruuiano et ſpiritu vini hac virtute ſuperius pronunciat (PLENCK *l. c. p. 454.*). — Calculi biliarii ſoluuntur in oleum terebinthinae alcohole ſaturatum immiſſi; nec in hacce concretione vſus internus efficacia omni deſtitutus fuit (PERCIVAL *Eſſays Tom. 2. p. 232.*). In febribus intermittentibus, quando dolores in dorſo praecipue percepti fuerunt, profuit inungere hoc oleum ſecundum ſpinae vertebralis longitudinem (REMAUDIN in RICHARD *Recueil d' Obſerv. T. 2. p. 45.*).

TEREBINTHINA COCTA. *Ph. W. p.* 222. RESINA FLAVA *Ph. Lond. p. 32.* Ex terebinthina cum aqua ad ſpiſſitudinem cocta, quae, refrigerata, dura euadit. Paratur etiam ex reſiduo poſt deſtillationem ſpiritus tereb. *Ph. W. p. 199.* Simili ſcopo ac

Tere-

Terebinthina adhibetur, qua tutior et minus calida ob oleum aethereum difflatum (*l. c. p. 222.*) exiſtimatur.

COLOPHONIVM ſ. COLOPHONIA *Ph. W. p. 199.* RESINA NIGRA *Ph. L. p. 32.* Vlteriori coctione reſidui dicti absque aqua paratur, vnde brunum colorem obtinet. Impurior modo, et ex variis partibus reſinoſarum arborum (V. infra Abies) et reiectaneis coctione parata, eſt RESINA COMMVNIS *Ph. W. 1. p. 127.* A fidicinum et artificum vſu in medicum tranſiit. Tolerari poterit ſuffitus in prolapſu ani et vteri. Haud ita pridem vero (*Hannov. Magaz. 1771. St. 52.*) litteris principis ſereniſſimae Haſſiaco-Darmſtadienſis in phthiſi celebritatem quandam obtinuit. Fuit ſcilicet vir poſt haemoptyſin pectoris moleſtiis continuis vexatus, qui, dum poſt vinum ex dolio in ampullas transfuſum easdem miſcela ex aequali parte colophonii (*Harz*) et cerae obturaret, inſigne leuamen et faciliorem ſcreatum percepiſſe fertur, quae adhuc manifeſtiora euaſerint continuata per quatuor vel quinque dies mora in conclaui clauſo vaporibus huius miſcelae foeto. Aliud narratur ſuppurantis pulmonis exemplum, eadem medela intra ſex hebdomades ſanati. Paucitas experimentorum ſcrupulum merito ciet de efficacia remedii, quod exſiccandi potius et irritandi pulmones vim habere videtur in morbo, qui, ſi quis vnquam, peritiam medicam eludere ſolet. — Emplaſtris additur e. gr.

EMPLASTRO DIASVLPHVRIS RVLANDI *Ph. W. p. 64.*; EMPL. DIAPHORETICO MYNSICHTI *l. c.* &c.

BALSAMVM TEREBINTHINAE *Ph. L. p. 32.* dicitur liquidum craſſius, quod deſtillatione reſinae flauae eruitur, ablato oleo tenuiori primum prodeunte.

PIX BVRGVNDICA OFFIC. (Poix de Bourgogne) eſt reſina ſolida mollis, coloris flauo bruni, ſaporis odorisque eiusdem ac Terebinthina. Miror diſſenſum deſcriptionum in modo illam parandi. Eſſe reſinam albam ſiue Thus (ex abiete) terebinthina et oleo Terebinthinae liquatum, GEOFFROY (*M. m. Traité T. 3. p. 437*); verum reſinam modo (ſponte ex arbore ſtillantem) coctam ſed exemtam vtprimum bullire incipiat, DALE (*Pharmacol. p. 303.*). Huc inclinat HALLERVS (*l. c. n. 1656.*). Haec pix ſpiritu vini contrita putredinem a carne auertit (*Eſſai ſur la putrefaction. p 398.*). Quin in puluere ſuperior hac in re cortice peruuiano viſa fuit (*p. 211.*). In tuſſi pertinaci ex rheumate pulmonibus illapſo, modo abſit vlcus, efficaciam eximiam, emplaſtri inſtar corio ad magnitudinem manus illita et loco inter ſcapulas impoſita, omni triduo vel quatriduo mutanda, et per duas vel tres hebdomades adhibenda, praeſtat (BVCHAN *domeſtic. medic. Verſio germ. p. 440.*). Optimum illam tantillo cerae commiſcere (*l. c.*).

VNGVENTVM DIGESTIVVM *Ph. W. p. 243.*

Ex

Ex terebinthina vitello oui ſoluta addito oleo hyperici et reſinoſis. Vſitatiſſimum et praeſtantiſſimum in digeſtione et alenda ſuppuratione vulnerum et vlcerum.

BALSAMVS ARCAEI *Ph. W. p. 28.* Recipit terebinthinam, Gummi Elemi, ſeuum ceruinum etc.; auctore FRANC. ARCAEO, chirurgo hiſpano (*de recto vulnerum curandorum ratione*). Blandus, emollit labia vulnerum et carnis generationi fauet; hinc frequentis vſus.

BALSAMVM VVLNERARIVM *Ph. W. p.* 32. Ex Terebinthina ſpiritu vini ſoluta. In primis in neruoſarum partium puncturis.

BALSAMVS VVLNERARIVS STAHLII, *loc. cit.* Ex eſſentia ſuccini, myrrhae, oleo tereb. Conducit in laeſionibus partium aponeuroticarum, neruoſarum, cartilaginearum, et denudatis oſſibus, et vbi ſuppuratio nimium increſcit (THEDEN *Unterr. für Unterwundärzte p. 256.*).

BALSAMVS VVLNERARIVS MINDERERI, *l. c.* pariter recipit terebinthinam. Vulneribus nouiter inflictis deſtinatus.

AQVA ANHALTINA *Ph. W. p. 8.* rectius SPIRITVS ANHALTINVS. Farrago plurium aromatum, balſamicorum et terebinthinae, ſpiritu vini deſtillatorum. Calida, et palato diſplicens ob ſaporem terebinthinaceum. Extrinſecus in paralyſi, ſyncope, vomitu et torminibus tutior.

AQVA BALSAMICA AD GONORRHOEAM RIVERII *Ph. W. p. 10.* Caue ne nomen imponat.

5.

Pharm. TEREBINTINA COMMVNIS.

Pinus Picea; foliis ſolitariis emarginatis LINN. *Sp. pl. p. 1420.* Abies conis ſurſum ſpectantibus ſ. mas c. B. Pinus (Abies) foliis ſolitariis emarginatis, conis oblongis erectis, ſquamis ſubrotundis planis baſi acuminatis DU ROY *Baumz. T. 2. p. 95.* v. SCHÖLLENBACH *Abbild. T. 5-8.* Arbor, creſcens in montibus elatioribus Heluetiae, Germaniae et Sueuiae, Franconiae, Bohemiae, Morauiae, etiam Sibiriae.

Lignum huius leuius flexiliusque eſt, putredini magis quam pineum et abiegnum obnoxium. Elaſtica eius natura inſtrumentis muſicis aptum reddit. Nobis vero arbor notanda venit ob

TEREBINTHINAM COMMVNEM. Adſcripſerat hanc ill. A LINNÉ (*Mat. med. p. 204.*) Pino ſylueſtri; quum vero ab illa, vtut vulgari arbore, in Suecia non eliciatur: non dubito praeeuntibus illuſtribus DU HAMEL (*Traité des arbres T. 1. p. 8.*) et AB HALLER (*Hiſt. ſt. helv. n. 1657.*) Piceam praefigere. *Argentoratenſem* nominatim huic tribuit, *communem* autem dictam Pino ſylueſtri cel. SPIELMANN (*Mat. med. p. 329.*). Tantum vero ea diues arbor eſt, vt veſicas rotundas

vel

vel ouales in cortice formet, quas corniculo disrumpunt alpicolae terebinthinam collecturi. Partes aduentitias filtratione per ramuſculos intra infundibulum ex cortice ſeparant. Inciſionibus in cortice factis nonniſi parcus prouentus fit, vt operae pretium non cenſeatur. Arbor eiusmodi veſicas format vere ſolum et autumno; vt igitur duplex eius fiat collectio. Increſcente autem cortice adeo indureſcit, vt veſicas non amplius producat (DU HAMEL *Arbres T. I. p. 9. ſqq.*).

Haec ſpecies ſpiſſior eſt, mellis conſiſtentiae, ſordida, opaca, coloris bruno albi, odoris ſaporisque ingratioris. *Argentoratenſis* pronunciatur pellucens, flauicans, odoris grati abiegni (SPIELM. *Mat. med. p. 329.*). An depurationis modo ſollertia differt? Larignae iſtam ex Picea praetulit MATTHIOLVS (*Oper. (p. 103.*).

De vi et praeparatis variis ſupra (*p. 18. ſqq.*) prolixe egi.

6.

Pharm. ABIETIS *Turiones*; *Coni*; *Ramuſculi*; *Thus*; *Reſina.*

Pinus Abies; foliis ſolitariis ſubulatis mucronatis laeuibus bifariam verſis LINN. *Sp. pl. 1421.* Picea Matthioli, Camerarii MVNCHH. *Hausv. T. 5. p. 223.* Pinus (Picea) foliis ſolitariis ſubulatis bifariam

riam verſis, conis oblongis pendulis, ſquamis ouatis planis marginibus vndulatis et laceris DU ROY *Baumz. T. 2. p. 110.* V. SCHÖLLENB. *Abbild. T. 9-16.* OED. *Flor. Dan. Tab. 193.* Arbor in borealibus Europae et Aſiae regionibus vsque ad gr. 60. lat. boreal. creſcens.

Ad opera topiaria apta arbor, et vtiliſſima in oeconomia ob *lignum*, quod pro foco et carbonibus comburitur, malis et opificiis variis inſtrumentisque muſicis inſeruit; ob *reſinam* et *terebinthinam* quam erogat, ob *corticem* annonae caritati in ſeptentrionalibus regionibus ſubuenientem, rel. Vt igitur multa in hanc quadrent, quae ſupra de Pino ſylueſtri recenſui. Quaedam tamen peculiaria habet.

TVRIONES ſ. CYMAE (HERM. *Cynoſ. T. 2. p. 190.*). Et hi vi antiſcorbutica clarent, etſi laude inferiores iſtis e pino videantur. Eodem modo adhibentur, aqua vel cereuiſia cocti, quod decoctum ſaporem amaricantem quaſi terebinthinatum adſciſcit. ETTMVLLERO aqua deſtillata, praegreſſa fermentatione parata, in pretio (HERM. *l. c.*). De fruſtraneo autem experimento in femina cum abiete facto queritur ill. DE HAEN (*Rat. med. T. 4. p. 252.*). Ab alia ſpecie non diſſimili cocta cum auena, adiecto poſt depurationem ſaccharo et tantillo vini, fermentatione paratur in America cereuiſia, *Sprucebeer* dicta, inſignis in ſcorbuto efficaciae (ELLIS *Voyage p. 200.*).

Conis

Conis ſ. *Strobilis* ſimilem competere virtutem etiam in noſocomio Inualidorum Pariſiis exploratum (BVCHOZ *plantes de la Lorraine T. 6. p. 400.*).

RAMVSCVLI odore balſamico gratiſſimo reficiunt, aërem renouant eique gratum refrigerium conliant. Hinc in Suecia conciſi ad digiti circiter dimidii longitudinem aeſtate in pauimenta etiam ſanorum, ruri praecipue, ſparguntur. In morbis eodem fine conducunt, tanto magis, ſi ramuli cereuiſia vel aceto, vel, ſi nimia debilitas obtineat, vino rhenano humectentur. (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p. 118.*). Prodeſt tum quoque ramos in vaſis aqua repletis in conclaui ſeruare. Cephalalgiam dispellit herba conciſa intra linteum capiti impoſita (LINN. *Fl. Lapp. p. 278.*). Ex tenellis ramis cum frumento deſtillatione poteſt parari ſpiritus aquae hungaricae ſapore odoreque affinis (LINN. (*Skânſka reſa p. 387.*).

THVS (Suec. Grankâda) quidam lacrymam vocant, ſponte ex arbore ſtillantem (HALL. *hiſt. n. 1656.*), quae fragilis pellucida, flaua, fumi, dum ardet, non ingrate olentis. Diſtinguendum vero a thure veterum ſ. Olibano, etſi virtutis aemulum. Alii citant pinum ſylu. tanquam illius primarium fontem. Huius deglutire particulam nucis auellanae magnitudinis in calculi moleſtiis vel tuſſi catarrhali, praeuio ſi placet tritu cum vitello oui, ſuadetur (DAREL. *Sockenapoth. p. 53.*).

RESINA. Haec etſi ex aliis quoque coniferis nominatim pino ſylueſtri proueniat, pinus tamen picis vberiorem copiam largitur, prout abies rurſus reſinae ſuppeditandae aptior (FVNCK in *Vetenſk. Ac. Handl. 1754. p. 49. ſq.*). Sponte quidem eam fundit arbor, ſed inciſione largior eiusdem meſſis fit. Ne iuſto praecocius emoriatur arbor, differtur illa, donec truncus diametro dimidiam vlnam aſſequatur, tumque vere vel alio aeſtatis tempore ſecuri cortex inciditur ad lignum vsque, plaga duo digitos lata et quatuor vlnas longa locis duobus et ſenſim pluribus. Vbi ſolis liber acceſſus eſt, ad terram in vas ſuppoſitum defluit, alias concreſcens cultro adunco aufertur. Sic quauis vice librae duae vel tres colliguntur. Quoniam vero ſordes varias admixtas habet: coquitur in lebete cum aqua, et dein per ſaccum cannabinum preli ope in dolia exprimitur. Forma ſicca ſeruatur; pro colore vario *Reſina alba, flaua, bruna* dicta (FVNCK *l. c.* qui figuris ſimpliciſſimum modum illam parandi illuſtrat. Conf. et ill. DU HAMEL *Arbres T. 1. fig. ad p. 18.*). Tenax, fumum accenſa ingratum edens. Praetereo vſum varium artificum ad picem inde parandam, oleum, collae ſpeciem rel. Non veritus HIPPOCRATES fuit interne in vlceribus viſcerum exhibere. Sed rectius hodie emplaſtris quibusdam ſeruatur, vt iuſtam ſoliditatem et tenacitatem inde obtineant, et aërem arceant, diſcutiant ſuppurationemque accelerent. Pertinet huc e. g.

EM-

EMPLASTRVM DE BACCIS LAVRI *Ph. W. p. 60.* EMPL. CRITRINVM *l. c. p. 61.* rel.

THVYA.

LINN. *Syſt. veget. p. 719. Gen. plant. p. 500.*

7.

Pharm. ARBORIS VITAE *Folia*; *Lignum.*

Thuya occidentalis; ſtrobilis laeuibus, ſquamis obtuſis LINN. *Sp. pl. p. 1421.* Arbor vitae CLVS. *Hiſt. T. 1. p. 36.* Conf. hiſtorica in KALM'S *Reſa T. 3. p. 389.* Icon: DU HAMEL *Arbres T. 2. Tab. 90.* Arbor, creſcens in Canada et Sibiria locis ſubhumidis.

Apud nos in lucorum arte ſtructorum ornamentum cedit. In America vero placet *ligni* vis putredini reſiſtens, hinc pro ſepibus, ſcaphis; foco quoque inſeruit ſcopisque. Odor reſinoſus recentium foliorum grauisque, et veſiculae ad baſin foliorum obuiae, balſamico ſucco turgidae, nec vi medica hanc arborem caſſam demonſtrant; quamuis apud nos vix vnquam adhibeatur.

Folia eiusdem cruda et tenera cum pane butyro oblito a quibusdam ad tenaces et viſcidos humores expectorandos vſurpari PARKINSON. Reſoluere, ſiccare, flatus pellere et ſudorem ciere notauit HER-

MAN-

MANNVS (*M. m. T. 2. p. 565.*). Conueniunt haec cum vſu in Canada, vbi in doloribus rheumaticis folia recentia contuſa axungia et pinguedine quadam miſcent, et in vnguentum coquunt, quod loco affecto applicant. Contra tuſſim decoctum adhibent, item contra febres intermittentes (KALM *l. c.*). Aqua ex frondibus deſtillata in hydrope efficax. (BOERHAAVII *Chem. T. 2. p. 68.*).

Lignum ſimilium virtutum. Nolo enim mira transſcribere, quae leguntur apud HERMANNVM (*l. c.*), qui et ex foliis aquam et oleum in podagricis doloribus vtile elici ſine dubio ex CAMERARIO indicat.

CVPRESSVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 720. Gen. plant. p. 500.*

8.

Pharm. CVPRESSI *Nuces; Lignum.*

Cupreſſus ſempervirens; foliis imbricatis ſquamis quadrangulis LINN. *Sp. pl. p.* 1402. Cupreſſus C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 127.* Arbor creſcens in Creta, in hybernaculis noſtris ornamenti cauſa ſeruari ſolet.

Funebris olim habita. Nulla eiusdem pars noſtro tempore valde in vſu eſt medico. Veteribus et galbuli et frondes et lignum et cortex in pretio, quae ipſa in morbis variis, quibus adſtringentia opportuna viſa,

ſa, in alui deiectionibus, ſanguinis profluuiis, herniis, vulneribus rel. adhibuerunt, quae in compendio expoſita legas in IO. BAVH. *Hiſt. plant. T. 1. P. 2. p. 282.* item in RAII *Hiſt. pl. p. 1407.*

NVCES, veteribus GALBVLI, ſunt ſtrobili ſubrotundi, magnitudinis iuglandum minorum, ſaporis adſtringentis amari, coloris bruni. Recenſenda hic venit vis intermittentes febres fugandi. In hisce pares fere cortici peruviano cenſuit LANZONI (*Eph. N. Cur. Dec. 3. A. 7. 8. Obſ. 74. p. 118. ſq.*) quod encomium vero poſtea reſtrinxit. Magni etiam contra has febres fecit ALEXANDER PASCOLVS, qui in puluerem redactas, vino infundi iubet, vel, quod praeſtantius, forma ſolida in bolis exhiberi et quidem ad drachmam dimidiam pro doſi. (NIGRISOLIVS, *febris chinchinae expugnata p. 276. ſqq.*).

LIGNVM pallidum aut rubeſcens, vndulis nonnihil notatum, grati odoris, ſed ſaporis expers, niſi parumper reſinoſum putes, qui tamen in cortice manifeſte eſt adſtringens cum amarore. Locis calidioribus terebinthina inde erui poteſt. Tantam craſſitiem in patria truncus aſſequitur, vt aſſeres inde parentur; qui odoris cauſa, et quoniam putredinem et vermium roſionem aegrius admittunt, placent. Hinc quaeſtuoſiſſimum ſecundum BELLONIVM Cretenſibus. Hinc mumiae Aegyptiacae in ciſtis ex hoc ligno transferuntur; quin Nohae arcam inde exſtructam, ſunt qui arbi-

trantur (V. Epiſc. PATRICK *Comment. Vol. I. p. 34.*). Vtique hoc carere in officinis poſſumus.

IVNIPERVS

LINN. *Syſt. veget. p. 749. Gen. p. 531.*

9.

Pharm. IVNIPERI *Baccae; Lignum; Frondes; Sandaracha.*

Iuniperus communis; foliis ternis patentibus mucronatis bacca longioribus. LINN. *Sp. pl. p. 1470.* Iuniperus vulgaris α, fruticoſa β, arbor C. B. V. SCHÖLLENB. *Abbild. T. 22.* α, in accliuibus exſuccis; β, in ſyluis.

BACCAE, globoſae, intra epidermidem nigram continent pulpam rufeſcentem ſubuiſcidam et ſemina tria, nonniſi ſecundo anno matureſcunt. Saporis ſubdulcis ſubamari et reſinoſi, odoris balſamici. Oleum aethereum vehunt, ad $\frac{1}{32}$ (CARTHEVS. *M. m. 2. p. 346.* item SPIELM. *M. m. p. 272.*); extracti vero reſinoſi et aquoſi, vtriusque dimidium fere (*l. c.*). Calidae naturae ſunt, incidunt, lotium efficaciter pellunt, illudque odore violaceo, vt terebinthina, imbuunt (CARGILLVS in RAII *Hiſt. T. 2. p. 1412.*), ſudorem mouent, flatus diſſipant. Diuturnus vſus pulueris granorum iuniperi vrinam cruentam reddidit (PISO *Obſ. et conſ. p. 319.*).

In

In hydropicis affectionibus crebro adhibentur. Profuit in aſcitico vinum infuſione baccarum addito centaurio minori paratum (DU VERNEY iun. *Mem. de l'ac. d. ſc. 1703. p. 172.*). SWIETENIO autem placuit ſequens formula: Rc. Rob. Bacc. Iunip. ℥iv. dilue in aquae Iunip. deſt. ℔ij. add. ſpirit. bacc. Iunip. ℥ij. Quandoque ſpiritus nitri dulc. ℥β ad ſitim ſedandam additur. Huiusque miſcelae vncia vna vel duae omni trihorio dantur (*Comment. in* BOERH. *aph. T. 4. p. 258.*). Eximium quoque exſtitit ſemen fraxini infuſum ſpiritu baccarum Iunip. (*Ibid.*). Cum Armoracia contuſae loco potus conſueti eodem fine fuere (DIPPEL. *vit. anim. et med. p. 172.*). Vtiliter in leucophlegmatia, poſt ſcarlatinam ſubinde obuia, toſtae infuſo aquoſo ad lotium pellendum infantibus dantur. (ROSENST. *Bſkd. p. 244.*). Conferas de vſu in hydrope vlterius *Act. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 9. et 10. Obſ. 18. p. 63. Dec. 2. ann. 5. Obſ. 168. p. 345.*

Proficiunt quoque in calculo. Laudauit eas contra hunc D. FRANKENFELD (*lith. med.*) item SPIESS (*Diſſ. de antinephriticis*), qui auertere calculum et ſabulum pellere ex ſua aliorumque experientia de baccis praecipue, ſed et aliis Iuniperi partibus, affirmat. Sic hominem antea calculoſum decorticatae et ieiuno ſtomacho deglutitae contra nouas inſidias praeſeruarunt. (*A. N. C. Dec. 2. ann. 10. Obſ. 142. p. 230.*). Aliis infuſum arriſit (vt cl. MECKEL in COHEN *Diſſ. de cal-*

culo p. 25.). Hoc ex quaſſatis baccis addita aequali quantitate lactis caprilli paratum, continuato per aliquot dies vſu, certe et ſine moleſtiis ſabulum renum et veſicae expulit. (LANGE *miſc. verit. med. p. 21.*).

Stomachico ſcopo quidam ieiuno ventriculo aliquas baccas ingerunt, vel infuſum aquoſum bibunt.

MVNDII (*Diaet. p. m. 354.*) narrationem de Lapponibus, iſtos infuſum baccarum calidum inſtar Coffeae vel Theae bibere, redarguit LINNAEVS (*Fl. Lapp. p. 301.*). Sed hinc inde in prouinciis cereuiſiam inde parant Sueci diureticam et antiſcorbuticam (*l. c.*) Spiritu vini infunduntur a Ruſſis (GORTER *Fl. Ingr. p. 161.*). Vinum haud ingratum ex ſucco baccarum contuſione cum aqua, ſed illaeſis ſeminibus elicito, ad tertiam partem inſpiſſato et fermentato inde obtinetur, quod in tuſſi obſtinata et initio phthiſeos profuiſſe dicitur (DECKBERG *Beſkrifn. huru et hälſoſamt vin i Sverige lätt kan tilverkas Stockh. 1755.*). Simile vinum et in Gallia conficitur (DU HAMEL *Arbres T. I. p. 325.*). Spiritus quoque ex contuſis baccis ope fermentationis in Thuringia eruitur (HALL. *hiſt. ſt. n. 1661.*).

Suffimigium vulgatiſſimum ad corrigendum aërem conſtituunt, carbonibus iectae. Panno, qui fumum earundem excepit, cutis poſt ſcarlatinam et in rachitide nimis laxa vtiliter fricatur. Contuſae diſcutiunt. Domeſtico vſu cum pane ſecalino trito miſtae ad dolores capitis mitigandos intra linteum capiti applicantur.

LIGNVM (CEDRINVM *Ph. Paris.*) grati odoris et rubedinis; fabris lignariis hinc acceptum. Eodem nomine in officinis et truncus, rami, et radices veniunt. Combustum gratiorem odorem baccis spargit. Sanguinem depurat et sordes per lotii vias eliminat. Decocto radicis et ligni vitiligo in sene superata (HENNICKE in *A. Nou. N. Curios. T. 2. 124.*). In scorbuto efficaciam pluries in Suecia praestitit, vt probe noui et in *Prov. Doctorernes berättelser* confirmatur. Rasurae radicis nominatim in infuso theaeformi in depurando sanguine et lotio pellendo multum tribuitur (DAREL. *Socken-Apot. p. 46.*). In lue venerea olim plausum tulit BRASSAVOLAE (*respons. ad quaest. Fontanae in Vogel. M. m. p. 271.*) item ETTMÜLLERI, cui pondus addit SCOPOLI (*Fl. Carn. p. 405.*) tam in hoc vitio, quam facie pustulis vlcerosis foedata, infuso cum antimonio crudo vsurpato, In catarrho senili soluit mucosam colluuiem et per renales vias euacuauit (*l. c.*). Ex instituto de efficacia radicis in scabie, ozaena, malo ischiadico, obstructione hepatis, arthritide, gonorrhoea virulenta, cataracta incipiente, suppressione haemorrhoidum casibus prolatis egit BRVCH (*Diss. Obs. pract. de radicis frut. Iunip. decocto*). Balneo ex ligno luniperi et suffimento eiusdem 8 vel 9 infantes contra variolas in epidemia maligna seruati; quin pestis iis locis peperciſſe creditur, circa quae luniperus creuit (MONRO'S *account of the inocu-*

lation of Small-Pox in Scotland p. 9.). In ſcabie manuum easdem decocto lauare per aliquot dies conuenit (ROSENST. *Bſkd. p. 468.*). Cineres ligni, vt cuiuslibet alius ſtirpis combuſtae, lotii profluuium cient; hinc contra hydropem confert eosdem et flores Abſynthii nondum expanſos vino vel cereuiſia fortiori infundere, addito colaturae ſyrupi allii vel allio (DAREL. *loc. cit. p. 46.*).

FRONDES conciſae in Weſtrogothia in pauimenta ſparguntur, inſtar abietis, renouandi aëris cauſa.

SANDARACHA. Prope nodos et inter corticem et lignum colligitur ſaepe reſina, quae dum exſudat, liquida, dein concreſcit in glebulas ſemipellucidas flaueſcentes odoris non ingrati, ſaporis fere expertes. Vtrum iſta officinalis Sandaracha Arabum ex hac ſpecie, an ex Iunipero Lycia ſit, nondum euictum (LINN. *Mat. med. p. 217.*). Quae in Suecia proſtat eſt reſina Iuniperi ex formicarum aceruis collecta (EIVSD. *Fl. Suec. p. 361.*). Maſtichi ſuppar vi diſcutiendi, roborandi. Hinc non minus confert rachiticis in conclavi verſari fumo eiusdem repleto, vel pannis eo impraegnatis, prout ſupra de baccis Iun. dictum, perfricari. Artifices ad vernicem albam adhibent.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ROB IVNIPERI *Ph. W. p. 163.* Quoniam ſicciores baccae: nonniſi praegreſſa coctione in aqua ſuccus

cus exprimi potest. Addi solet saccharum, quod superfluum, quum ipsae saccharo abundent. Maiori lucro obtinetur a residuo post destillationem olei. Morbis pectoris pituitosis et lotio sudorique mouendo dicatum, vel solum vel vino siue alio liquido solutum. In Heluetia eiusdem in variolis vsus factus (*Schweizer-Briefe v. d. Inoculation p. 47. 50* et alibi), an spe specifici, vt supra de ligno dictum?

OLEVM IVNIPERI *e baccis Ph. W. p. 129.* Gonorrhoeam et testiculi tumorem venereum saccharo ad aliquot guttas instillatum dispulit LANGE (*med. Brunsv. dom. p. 130.*). Externe cum oleo lumbricorum terrestrium et spiritu Iuniperi mixtum arthriticos dolores sopiuit membrisque contractis et paralyticis motus potestatem restituit. (*l. c.*) Flatus dissipare et lumbricis aduersum esse experientia docuit (SCOPOL. *Flor. carn, p. 405.*).

SPIRITVS IVNIPERI *Ph. W. p. 192.* Ex baccis cum spiritu vini. Respicias ad vires baccarum.

10.

Pharm. OLIBANVM *s.* THVS.

Iuniperus Lycia; foliis ternis vndique imbricatis ouatis obtusis LINN. *Sp. pl. p. 1471.* Cedrus folio cupressi maior, fructu flauescente. C. B. Icon: DU HAMEL sub articulo *Cedrus, Arbres T. I. p. 140.* Arbor in Gallia et Sibiria crescens.

OLIBANVM, λίβανος THEOPHR. et DIOSC. λιβανωτὸν HIPP. Latere etiamnum nos, an vere ab hac arbore ſit, communis querela eſt (LINN. *M. m. p. 217.*). Sub cortice colligitur (DU HAMEL *l. c.*), dein ſponte per eundem prorumpens. Conſtat haec gummi-reſina ex granis variae figurae et magnitudinis, eſtque citrina vel rufa, pellucida, fragilis, odoris grati, aliquantum acris et amara, dentibus maſticata adhaeret, et ſaliuam lacteam reddit. Aqua plurimam partem ſoluitur, quae ipſa eadem lactea euadit. Flammam facile capit. Aetate rufam fieri LEWIS (*M. m. p. 416.*). Mitterem lubenter diſcrimen inter *Olibanum marem*, quo intellexerunt granum rotundum, *feminam*, dum maiori grano minus inhaeret, et μάννα, ſiue fruſtula granorum colliſorum, niſi ad intelligentiam auctorum faceret (PLIN. *Hiſt. l. 12. cap. 14.*). Colligitur in Arabia vtraque, vnde Gieddam et inde per mare rubrum in Aegyptum transfertur, porroque Maſſiliam (HASSELQV. *reſa p. 452.*).

Vetuſtiſſimus vſus eiusdem ob gratiam odoris pro ſuffimentis in templis fuit, iam, niſi cum aliis fallor, MOSI (*Exod. 30. 34.*) cognitus; quo fine adhuc Ruſſis et Romano-catholicis celebratur. Nimii et in huius laudibus auctores fuere. In haemoptyſi enim, alui profluuiis, tuſſi, veſtigiis quibusdam veterum nixi, quin, quod vix credidiſſes, in pleuritide praeſertim epidemica multum tribuerunt (GEOFFROY *Mat. med. Traité*

Traité T. 4. p. 71.) Discutiendi et roborandi virtuti in suffitu et vulnerariae in emplastris et balsamis certius subscribe. Vix vnquam interne hodie adhibetur. Capiti infestum esse insaniam excitando, imo interficere largius cum vino potum DIOSCORIDES, (*L. 1. c. 81*), vel cephalalgiam diram creare AVICENNA, reliquerunt. Recipitur e. g. a PILVLIS DE STYRACE, EMPL. OXYCROCEO &c. Intra albumen oui pariter ac myrrha in deliquium abit, quod maculis faciei delendis et circatricibus formandis destinatur.

II.

Pharm. SABINAE *Folia.*

Iuniperus Sabina; foliis oppositis erectis decurrentibus, oppositionibus pyxidatis LINN. *Sp. pl. p. 1472.* Sabina folio cupressi C. B. Icon: DU HAMEL (*Arbres T. 2. Tab. 63.*). Arbor humilior, crescens locis excelsis Sibiriae, Heluetiae, Italiae, Lusitaniae et orientalium regionum.

FOLIA. Odorem grauem resinosum ingratum edunt, saporem amarum calidum. Copiam olei destillati continent, ita vt libra vna olei vncias fere tres erogauerit (HOFFM. *Obs. phys. chem. p. 8.*). Sanguini in decocto fluiditatem conciliant et rubedinem intensam (FREIND *Emmen. Op. 1. p. 207.*). Pellunt eundem insuper et exagitant. Ex duplici hac efficacia haemoptysis in puella qua-

dam ſine dubio ab herba exorta (HALL. *hiſt. ſt. n. 1662.*). Hinc in vterino fluxu ciendo adeo potens, qua vi abuſae ſubinde feruntur communi fere effato, a GALENO inde tempore deducto, ſceleſtae matres ad abortum excitandum, ſed haud absque proprio vitae periculo vel ante partum vel mox poſt iſtum (STORCH *Hebammenb. p. 220.*). Suſpectae huic naturae ſubſcripſit iudicium Facultatis medicae Lipſienſis (AMMANN. *med. crit. p. 414.*) metuitque LVDWIGIVS (*med. forenſ. p. 88.*). A culpa autem liberat ZITTMANNVS (*med. for. Cent. 6. Caſ. 43.*), WEDELIVS (*Diſſ. de Sabina p. 22.*) ALBERTI (*med. leg. T. 5. p. 701*); quibus accedit ill. AB HALLER (*l. c.*) exemplo peculiari nixus. Quotquot vero fuerint, qui in referandis menſtruis principatum fere illam tueri affirmarunt: ſpe tamen excidit SCOPOLI (*Fl. carn. p. 404.*), etſi nihil omiſit, quod effectum adiuuare poſſet. Minime periculoſam pronunciat RAIVS (*Hiſt. p. 1416.*). Decoctum foliorum vel applicata contuſa herba vermes expulerunt, contra quos ſucci expreſſi cochlear vnum cum lacte mixtum et ſaccharo edulcatum pariter efficax fuit (*l. c.*). In calculo pellendo audax maleque cedens fuit experimentum (*Act. med. Berol. Dec. 1. Vol. 7. p. 42.*). Noto multis agere, de vi in ſcabie, vlceribus ſerpentibus, odontalgia, ictero, aſthmate, fluore albo rel. quum deficiant certa experimenta. In puluere ad drachmam dimidiam, in infuſo ad duplam quantitatem, maiori in decocta data. Pul-

Puluis inſperſus cariem oſſium et cerebri fungum ſubigit. Nec infimum locum ſibi vindicarunt in gangraena ſiſtenda et vlceribus ſordidis depurandis, contra quae puluis cum melle illitus confert (RAIVS *l. c.*). Ex ſimplici Sabinae applicatione porri venerei diſparuerunt (FABRE *Mal. vener. T. 1. p. 365.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM SABINAE *Ph. W. p. 128.* In Anglia etiam vſitatum. Deſtillatum, calidiſſimum. Ventri inunctum vermes necat (RAY). Vlcera manantia ſanare lego (HALL. *l. c.*). Emmenagogum pariter habitum et diureticum. Rariſſime ad pauculas guttas interne admittitur.

EXTRACTVM SABINAE *Ph. W. p. 88. Ph. L. p. 27.* Odorum principium fere perdidit.

Aqua deſtillata iam obſoleuit, impenſe depraedicata a BOERHAAVIO (*Chem. T. 2. p. 68.*), vt emmenagogum, ad haemorrhoides pellendas, et ob vim neruos commouendi.

ORDO II.

AMENTACEAE.

SALIX.

LINN. *Syſt. veget. p. 735. Gen. p. 514.*

12.

Pharm. SALICIS *Cortex; Folia; Amentum.*

Salix alba; foliis lanceolatis acuminatis ſerratis vtrinque pubeſcentibus LINN. *Sp. pl. p. 737.* Salix vulgaris alba arboreſcens C. B. Icon; BLACKWELL *T. 327.* Arbor. Creſcit ſponte in ſyluis, ad pagos vero copioſe ob vſum oeconomicum plantatur.

Placent enim eius *rami* recti et flexiles ad perticas, ad circulos doliorum, ad varia vincienda, item pro foco pauperioribus.

Arbor omnibus partibus balſamica et amaro adſtringens. Veteribus vel hac natura nota, et in multis morbis vna cum aliis quibusdam ſpeciebus quoad varias partes applicata (IO. BAVH. *Hiſt. pl. T. 1. P. 2. p. 218.* GÜNZ *Diſſ. binae de cortice ſalicis Lipſ. 1772.*)

COR-

CORTEX huius magis adſtringit, quam reliquarum ſpecierum; quo adultior eo magis, decreſcente eadem proportione amaritie et balſamica natura (GÜNZ). In decocto praeſeruat contra putredinem (CAMPER *Vorleſ. üb. das Viehſterben p. 122.*), ſed debilius, quam decoctum corticis peruuiani, paullo fortius, quam cortex fraxini. Haecce experimenta aliis in lue bouina anſam dederunt, quo in morbo arcendo decoctum oleo vitrioli acidulatum haud ſucceſſu caruit. (CAMPER *l. c.* SANDIFORT in *Vet. Ac. Handl. 1769. p. 335.*)

Miſſis veterum laudibus de cortice et foliis, forſitan nimiis in neruorum morbis, podagra, ſanguinis profluuiis, hepatis obſtructione, vlcerum vulnerumque conſolidatione: corticis efficacia in febribus intermittentibus in primis notanda venit. Hanc probat ſumtus ex ramis minoribus trium vel quatuor annorum, craſſitie vnius ad quatuor pollices, in puluerem redactus, dum eiusdem ſcrupulus vnus vel duo quarta quauis hora inter paroxysmos ingeruntur. In pertinaciori morbo, vt quartana, eius miſcela fit cum quinta corticis peruuiani parte. Qui haec expertus cl. STONE (*Phil. Trans. Vol. 53. p. 195. ſqq.*) quinquaginta aegros memorat, hac ſola medicina absque vlla alia praeparatione praemiſſa ſanatos. Eodem ordine, ac chinchina ſolet, in quotidiana et tertiana feliciter illum ſubminiſtrauit CL. OSSIVS (*nov. variol. med. meth. p. 128.*).

Sic

Sic et vomitum pituitosum periodicum puluere ad drachmas sex die intercalari dato compescuit (*p. 129. 130.*), et contra lumbricos et debilitatem ventriculi praestantem inuenit. Accedat casus vnus curationis febris intermittentis GVNZIO (*Diss. 2. p. 25*) obuius. In febre tertiana scorbuto et vlceribus commendat quoque auctor libri *der Landarzt* (*p. 334*), et quidem in decocto vnciis duabus pro aquae libra vna sumtis. Balneum vero decocti corticis in debilitate crurum apud infantes conducere expertus ill. AB HALLER (*Hist. st. n. 1635.*). Praeparata si placent, infusum, decoctum et extractum locum habent.

FOLIA iuniora balsamum spirant et amara magis sunt, adultiora potenter adstringunt. Non arbitror virtute a cortice multum differre. In febribus Colchi aegros foliis salignis contegi ex LAMBERTI-HALLERVS (*Hist. l. c.*). Extractum pro vlceribus pulmonum laudatum (WELSCH *mictomim. p. 12.*).

AMENTA gratum odorem spargunt, syringae haud absimilem, quem aquae impertiunt, vt igitur suppar aquae florum tiliae, vlmariae, ceraforum vel simili aromaticae inde parari possit. Soporiferos sunt, qui flores habent (V. GVNZ *diss. I. p. 16.*).

— Salix alba vero licet prae reliquis a veteribus frequentata, et post hanc S. capraea: heic nominatim et *pentandra* et *fragilis* considerandae sunt. Experimenta chemica cum hisce instituta legere est in GÜNZII dissertationibus citatis. Cor-

Corticis *Salicis fragilis* vim antifebrilem antiſepticam et roborantem impenſe depraedicat cl. GERHARD (*M. m. §. 286.*) qui cortici peruuiano in omnibus aequiparat, quod nimium. In huius quoque decocto ſaturato carnis fruſtum per quatuor ad quinque hebdomades a putredine immune perſtitit (GVNZ *Diſſ. 2. p. 23.*). Frigidum vero infuſum diſpulit oedema ex male curata febre intermittente exortum. Et hac forma vel extracto ſeri et ſanguinis profluuia ſtipauit (*l. c. p. 25.*).

Salicis pentandrae, ob lanam ſeminum recentius celebratae, cortex magis balſamicus quam vllius alius ſpeciei (HARTMANN et reſp. CHR. HENR. SPECKBVCK *Diſſ. de Salice laurea odorata p. 14.* GVNZ *l. c.*) In viribus eius recenſendis multus eſt cl. HARTMANN vel Reſpondens eius, non abſimilibus iis, quae de Salice alba dictae, in febribus intermittentibus, cachexia, relaxatione viſcerum, putredine humorum vel. ſed exploratione per ſenſus et analyſi chemica unice nixus.

POPVLVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 745. Gen. plant. p. 526.*

13.

Pharm. POPVLI *Oculi.*

Populus nigra; foliis deltoidibus acuminatis ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 1464.* Populus nigra C. B. Icon:

BLACK-

BLACKWELL *Tab. 248.* Arbor in locis humidis et ad oras fluuiorum crescens.

Lignum molle, leue, hinc modo ad minora opera lignea idoneum. Hieme *frondibus* eius oues saginantur. *Ramuli flexiles* ad vinciendas sepes conducunt. *Seminum* denique pappus chartae ex Schäfferianis experimentis materiem praebet. Quin ex *cortice* parare panem Kamschadalenses tristior sors docuit.

OCVLI siue, vt rectius vocantur, GEMMAE, scatent verno tempore, vt in hoc genere vulgare est, succo balsamico flauo, amaro, odoro. Digestione haud aegre a spiritu vini recipitur, qui postea inspissatus fragrantem resinam storaci affinem largitur (LEWIS *M. m. p. 446.*). Tinctura hac ratione parata, in inueteratis alui fluxibus et vlceribus internis ad drachmam dimidiam vel integram bis per diem in iusculo carneo sumta, spem excitauit TOVRNEFORTII (*Plant. de Paris T. 2. p. 97.*). Olim *Oleum* inde parabatur, *aegirinum* dictum, cuius AETIVS et PAVLLVS AEGINETA meminerunt, fuitque infusum vel solo oleo vel vino simul factum. Ad cutem emolliendam et leniendos dolores arthriticos et nephriticos adhibitum. Iam pro vnguento fere vnice gemmas pharmacopolae colligunt.

Mentio hic quoque *Populi albae* L. iniicienda. Huius enim gemmae vernales pariter produnt balsa-

mum

mum praecedenti haud abſimilem, qui preſſione inter digitos mox in conſpectum venit, copioſius autem coctione gemmarum in aqua et ſubſequa preſſione intra ſaccum elicitur. Similiter ex reſiduo poſt deſtillationem cum aqua vel ſpiritu vini euocatur. Abſtractione ſpiritus reſina flaua remanet. Oleum oculorum foetidum empyreumaticum oleo tartari foetido ſimile eſt, et traumaticum nuncupatur (WEISMANN in *A. N. Cur. Vol. 3. p. 301. ſqq.*). Tinctura ſpiritu vini facta, in tuſſi ferina, vbi metus exulcerationis pulmonum, ad guttas viginti in iuſculo captas laudatur. Ita et reſiduum reſinoſum poſt abſtractionem ſpiritus tanquam optimum vulnerarium ſiſtitur, in ipſa adeo exulceratione pulmonum, fiſtulis et laeſione partium tendinoſarum. Contra mammarum affectus (an rhagades?) quoque extollit opobalſami germanici nomine auctor Diſſ. cel. SCHMIEDELII *de Oreoſelino p. 7.* cui et praedicta debentur. Fides horum eſto penes auctorem.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

VNGVENTVM POPVLEVM. *Ph. W. p. 248.* Nimis compoſitum, inter alia ex anodynis; vnde ad dolores haemorrhoidum et ambuſtorum mitigandos, ſomnum conciliandum, nec non emolliendi et refrigerandi ſcopo, efficax. In pleuritide illini pectori iuſſit BOERHAAVE.

ESSENTIA POPVLI VVLNERARIA *Ph. W. p. 84.* Gemmis ſpiritu vini digeſtis et eſſentia colata, additur eſſentia florum Hyperici. Vim exſpectatam titulus indicat. Nec ab vſu interno ſecluſa.

14.

Pharm. TACAMAHACA.

Populus balſamifera; foliis ouatis ſerratis ſubtus albidis, ſtipulis reſinoſis LINN. *Syſt. veg. p. 745.* Tacamahaca foliis crenatis PLVCK. *Almag. 360. Tab. 281. f. 2.* Icon optima: TREW *Ehret. T. 46.* Arbor. Creſcit in America ſeptentrionali et Sibiria (GMEL.).

Reſinam dictam ad mentem LINNEI (*Mat. med. p. 215.*) huic ſpeciei adſcripſi. In dubium autem vocat veram eſſe TREW, IACQVINO ex Fagara octandra L. prouenire exiſtimante (LINN. *Diſſ. Obſ. in M. m. p. 7.*), dum rurſus auctores Pharmacopoeae Danicae (*p. 93.*) ex hac Tacamahacam ſpuriam eſſe. Ex populo eſſe, primum ſimilitudo cum populo ab auctoribus tributa probabile reddidit, dein balſamicus ſuccus, quem copioſe gemmae vere iterumque confirmata aeſtate ſudant, tenacem, grate odorum, luteum, amarum et ſubacrem. Hisce gemmis vere incolae Iskutzcenſes infundunt ſpiritum vini, quo probe impraegnato vtuntur inſtar diuretici in ſcorbuto et excreſcentiis vrethrae venereis (GMEL. *Fl. Sibir. I. p. 152.*).

Taca-

Tacamahaca eſt reſina ſicca ex meridionali America transferri ſolita. Duplex eiusdem varietas obtinet. Altera (Angl. Tacamahaca in Shells, Gall. en coques) pallide flaua vel virideſcens, odoris fragrantis Ambrae et Lauandulae aemuli, ſaporis amaricantis aromatici; et haec in teſtis cucurbitarum transmittitur et ſponte ex arbore exſudare fertur, raro in officinis obuia. Altera vulgatior coloris albidi, flaui vel rufi odoris, minus grati, forma glebularum variae magnitudinis ſemipellucidarum ſeruatur, ſubinde multis ſordibus inquinata.

Celebritatem inter primos MONARDES (*aromat. et ſimpl.* CLVS. *p. 317.*) conciliauit, in noua Hiſpania ad tumores reſoluendos, maturandos et dolores a frigida et flatulenta materie ortos mitigandos, vti et in hyſterica ſuffocatione ſumma laude, idque vel ſuffimigii vel emplaſtri inſtar, illam vſurpari narrans. Simili hodie fine adhibetur, interne vix vnquam, ſed ſuffitus forma prunis iniecta in doloribus aurium atque dentium et artuum a rheumatismo chronico. Intrat quoque emplaſtra varia neruina ad ventriculum roborandum, vomitum compeſcendum, contra cephalalgiam.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EMPLASTRVM STOMACHICVM DE TACAMAHACA *Ph. W. p. 72.* Varie mixtum.

EMPL. ANTIHYSTERICVM *Ph. Ed. p. 104.*
EMPL. CEPHALICVM. *loc. cit.*
EMPL. STOMACHICVM *l. c. p. 108.*
OLEVM TACAMAHACAE *Ph. Par. p. 202.*

FAGVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 717. Gen. plant. p. 496.*

15.

Pharm. CASTANEAE *Fructus.*

Fagus Caſtanea; foliis lanceolatis acuminato-ſerratis, ſubtus nudis LINN. *Sp. pl. p. 1416.* β Caſtanea ſatiua CB. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 84.* In hac flores maſculi amenta cylindrica formant, praelonga. Arbor longaeua, creſcens in montibus Italiae, Galliae aliisque auſtralibus Europae regionibus. Ob fructum vero colitur, etſi nec fabris lignariis ignota.

FRVCTVS, remoto tegmine echinato, offert nucem ex ouato triangularem cortice badio coriaceo tectam, inter quem nucleus albus compactus ſaporis dulcis. Suauior fit inſitione. Sub torculari nihil olei emittit, ſed ſuccum, qui in fermentationem vinoſam tranſit (SPIELM. *M. m. p. 119.*). Vix alius quam cibarius vſus inualuit, etſi et hic loco natali amplior. Nam appenninorum montium incolis aliisque vnicum fere cibum praeſtat, et placentas, panem, pultem variaque

que fercula ſuppeditat; et commodam variis animantibus ſaginam (DU HAMEL *Arbr. I. p. 135.*). Nobis ſufficit nuces, cruciatim inciſo cortice ſub cineribus vel in furno aſſare vel coquere, et calidas illito butyro vel in crambe comedere. Igne quidem molleſcit et dulcior euadit, ſed vbiuis difficile digeritur — Farinam diarrhoeas ſiſtere ill. DU HAMEL (*l. c.*) auctor eſt.

16.

Pharm. FAGI *Fructus*; *Cortex interior*; *Cineres.*

Fagus ſyluática; foliis ouatis obſolete ſerratis LINN. *Sp. pl. 1416.* Fagus C. B. Icon: GLEICHEN *neueſtes d. Pfl. Tab. 17.* In hac flores maſculi in globum congeſti. Arbor in temperatioribus Europae ſyluis creſcens.

Spectabilis altitudine ramisque numeroſis coarctatis, halitibus ſuis alias plantas ſuffocans. *Lignum* multifariae vtilitatis pro foco, quae maxime vulgaris, ad opera lignea, in quibus vero pondus diſplicet et in putredinem ſub humiditate procliuitas. Cinerum inſuper fructusque inſignia in oeconomia emolumentum. De cultura vid. DU ROY *Baumz. T. 1. art. 33.*

FRVCTVS ſ. NVCES ex rotundo triquetrae coriaceo cortice badio tectae, quarum duae tres vel quatuor intra thecam quadriualuem continentur. Amygdalini ſaporis, gliribus ſciuris variisque volucribus gratae, nec minus auibus domeſticis nutriendis

ſalutares. In ſuum praecipue ſaginam cedunt, quarum vero lardum nimis inde flacceſcit (IO. BAVH. *Hiſt. pl. T. 1. P. 2. p. 121.* LINN. *Skånſka reſa p. 407.*). Qui cupediarum inſtar eas ingerunt, caueant, ne copia peccent. Virentes enim, nec ſatis exſiccatae lolii in modum caput turbarunt (IO. BAVH. *l. c.*). Temulentiam et inebriationem in ruſticis crearunt (GOTTSCH. *Fl. Pruſſ. p. 72.*). Sues ipſae temulentae inde euadunt, vacillant eundo, pigerrimae (poſt I. BAVH. LINN. *l. c.*). Grauiſſimos dolores capitis alius queritur (SIM. PAVLI *quadrip. bot. Et. 2. p. 68.*). Ex copioſe comeſtis crudis et maturis febrem lipyriam contraxit virgo (*Act. Hafn. Vol. 2. Obſ. 57. p. 160.*). Quin hydrophobiam, praegreſſa licet toſtione, pediſſequam eſus habuit (SCHMIEDEL et SELIG *Diſſ. de hydroph. ex eſu fructuum fagi Erl. 1762.*).

Cortex interior. Eſt ligno proximus nec ſemper obuius, niſi forte in vulnerata arbore cicatricis inſtar. Plebi Brunſuicenſi in hectica febre vſualis (LANGE *med. Brunſv. dom. p. 249.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM ex ſeminibus expreſſum oeconomiae potius quam medicinae dicatum. In cibos recipitur in Gallia (BRADLEY *improvem. p. 39.*), etiam in Germania, vt apud Gottingenſes pro acetario. Sed recens grauare ventriculum, non vero vaſis terreis bene obturatis per annum in terra ſeruatum

D'IS-

(D'ISNARD *Hiſt. de l'ac. de ſc. 1726. p. 35*). Olei oliuarum loco adeo commendatur (FRANCHEVILLE *Mem. de Berlin. 1766. p. 11.*). Frequentius lampadum pabulum eſt, iis praeſertim commodum, quae libero aëri patent: quum non congelet.

CINERES CLAVELLATI *Ph. W. p. 3.* Ex variis lignis, nec vbiuis eadem ratione, parantur. Conferantur de hisce SCHAEFFERVS in *Vetenſk. Acad. Handl. 1759.* et *Schrift. d. Leipz. oecon. Soc. I. Th. p. 211.* vbi Tab. 3. furnus depingitur, nec non *Anz. von der Leipz. Soc. 1772. p. 106.* Praefertur lignum durius, vt illud fagi, quercus. Quomodo in Suecia conficiantur, deſcribit a LINNE' (*Skânſka reſa l. c.*), in Ruſſia MITCHEL (*Phil. Trans. 484. art. 10.*) et WARREN (*Account of making the beſt Ruſſia Potaſhes Lond. 1753.*) in Saxonia auctor libri *Abh. vom Pottaſchſieden Dresd. 1771.*, in America LEWIS (*Experiments et Obſervations on american Potaſhes Lond. 1767.*) *Cineres clauellati crudi* dicuntur, qui ex cineribus lignorum fecunda calcinatione parantur, qua ipſa ſal alcali cinerum in cohaerentes maſſas liqueſcit. Sollers calcinatio cum ſubſequa elixiuatione requiritur, vt omne pingue auferatur et tanto plus ſalis alcali comprehendat. Quod ſi rite factum, *rafinati* dicuntur. Anglis *Pearlaſh* vocantur, ſi lixiuium coquitur in ahenis ferreis, et ſal fundo et lateribus accreſcens malleis ſeparatum in furnis ad albedinem calcinatur. Cineres clauellati interdum terra quadam corrumpun-

tur, plerumque falia varia admixta habent, quorum origo vel ex ligno, vel aqua, qua elixuatur, vel terra, qua corruptela facta, repetenda. *Ruffici* maxime corrofiui funt, coloris profundioris compagisque ex terra tam durae, vt aëre non humectetur. Et hi quidem ex calce viua addita corrofiuam naturam habent (LEWIS *M.m.p. 497.*). Non attinet hic multis de vtilitate horum cinerum in arte vitriaria, faponaria, tinctoria, pro dealbandis linteis rel. differere. In re medica pro pauperibus fali tartari fubftitui poffunt, incidendi fcopo, ad lotium pellendum, acidum infringendum et ad varias mifcelas. Sic contra acidum rachiticorum confert cinerum clauellatorum vnciam dimidiam foluere in aquae fontanae libra vna, huiusque folutionis infanti quouis mane guttas viginti, octoginta ad centum in vitro aquae dare (ROSENST. *Bfkd. p. 402.*).

LIXIVIVM SAPONARIORVM *Ph. L. p. 34.* Fit ex cinerum ruffi corum et calcis viuae pondere aequali aqua infuforum, quae poftea decantatur vel per chartam transmittitur. Eft hoc *lithontripticum* IVRINI vel CHITTICKII celebratum, cuius cochlearia duo vel plura pro Thea bis vel ter in vehiculo aquofo vel mucilaginofo vel iufculo vitulino data. Arcanum detexit cl. BLACKRIE (*disquifition on medicines, that diffolve the ftone Lond. 1768.*). Vlterius in hoc inquifiuit auctor anonymus libri *Pract. Effays on med. Subjects p. 57. fq.* probatque, fed correctius.

IV.

IVGLANS.

LINN. *Syſt. veg. p. 717. Gen. pl. p. 496.*

17.

Pharm. IVGLANDIS *Cortex fructus exterior viridis; Epidermis nuclei; Nuces.*

Iuglans regia; foliolis glabris ſubſerratis ſubaequalibus: LINN. *Sp. pl. p. 1415.* Nux iuglans ſ. regia vulgaris C. B. Icon: CRAMER'S *Forſtweſen Tab. 22.* Arborem ſponte in Perſia creſcere nuperius conſtitit, ſed vbiuis in temperatiori Europa colitur.

Non facile fert alias arbores in vicinia, et halitibus ſuis dolores capitis excitat. *Lignum* praebet obſcuri coloris et eleganter variegatum, praeſertim in radicibus, durum, nitorem admittens, hinc pro elegantioribus operibus ſcriniariorum acceptum. Taceo, quod folia, putamen exterius fructus, et radix *colorem* luteo fuſcum impertiant. *Fructus* vero vnicam partem in officinis obuiam conſtituit. Hic putamine viridi glabro ſubcarnoſo cingitur, intra quod teſta biualuis, ſcabra, oblonga, nucleum quadrilobum epidermide flauicante adſtringente tectum, includens. Vomitum excitant variae iuglandis partes, cortex interior arboris mollis, putamen fructus, et amentum de quibus varia collegit RAIVS (*Hiſt. pl. p. 246. ſqq.*) repetiit SCHROEDERVS. (*Theſ. Pharm. p. 608.*) et BVCHNER (*Diſſ. de nuce iuglande p. 24.*). *Fructus immaturus*

ſeruato putamine ſaccharo et aromatibus conditus (*Hausv. T. 3. p. 843.*) ſtomachicum gratum auſtero dulcem exhibet, et ſub varia miſcela embamma ſapidum ferculis ſuppeditat *Id.*

CORTEX FRVCTVS EXTERIOR VIRIDIS. Acerbus cum amaritie et contrectatus digitos colore luteo fuſco tenaciter inquinat. Detergentem vim in variis oris vitiis robis forma demonſtrauit. Multos praeterea anthelmintica virtus tenuit. Virides nuces ad ſatietatem comeſtas lumbricos educere iam SIMEON SETH notauit. Ita decoctum corticum viridium aqua factum lumbricos pellere PLATERVS (*Prax. med. T. 3. L. 2. c. 13. p. 798.*). Aqua, in qua cortices virides vel nuces immaturae maceratae fuerunt, in hortum effuſa coaceruatim lumbricos allicit (CAR. STEPHAN. *Agricult. lib. 3. c. 24.* ANDRY *generation des vers p. 142.* IO. GODOFR. FISCHER *Comm. de vermibus in C. H. et anthelmintico, Stadae 1751. p. 14.*) et immiſſi huic, etiamſi poſt tertiam macerationem intra duo minuta temporis prima ſub motibus ſpaſticis pereunt (FISCH. *l. c. p. 15.*). Haec experimenta anſam dedere extracto aquoſo ex immaturis fructibus ad necandos lumbricos inteſtinales parando, quod ipſum ſaporis acris, amaricantis et quodammodo aromatici non ingrati. Huius drachmae duae in vncia dimidia aquae cinamomi ſ. v. ſolutae, ex quo liquore initio infantibus biennibus vel triennibus guttae 20 ad 30 ter de die datae, dein guttae 40

ad

ad 50 pro cuiusuis aetate (FISCH. *l. c.*). Gratior redditur addito syrupo. Subiungitur sub vsu, decrescentis lunae tempore, sex vel octo dies continuato, tertio vel quinto die purgans, quod FISCHERO (*p. 24.*) placuit, mercuriale aliis commixtum. Attamen efficacia aquae corticibus viridibus impraegnatae contra vermes non constans est (ANDRY *l. c.*).

EPIDERMIS nucleum inuestiens, flauescens subamara contra colicam in puluere ad drachmam vnam cum vino vel aqua carminatiua a quibusdam laudatur (HOFFM. *in claue ad* SCHROEDER. et ETTMÜLLER). Noui etiam hodie domesticum hinc inde esse: sed distinguendae colicae species.

NVCLEIS sapor grate dulcis inest. Vnde in mensa secunda esitantur, sed ablata epidermide, ne fauces irritentur. Copiam olei vehunt ad dimidium vsque sui ponderis. Hinc copia labefactant ventriculum. Moderatius ingesti nutriunt, demulcent, inuoluunt, laxant. Memorabile, largius comestos latos lumbricos pellere HIPPOCRATEM prodidisse; quod lumen affert mox de oleo dicendis.

Omitto, nonnisi vera sectans, alias partes hodie non valde vsitatas, virtutesque varias, quas congessit BVCHNERVS in *Diss.* supra *cit.*

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ROB NVCVM *Ph. W. p. 163.* Würtembergenses ex succo nucum viridium expresso et melle conficiunt.

ciunt. Praeſtat vero ſecundum *Pharmacopoeam Brand. p. 154.* ſucco corticum viridium fructus vti, praeeunte GALENO, quum ab auſtera corticum natura efficacia dependeat. Inſignem in angina et tumore tonſillarum GALENVS percepit; crebrius hodie in aphthis aliisque oris exulcerationibus penicillo illinitur. Placuitque in aphthis nominatim linctus ex robe nucum, robe mororum et melle roſaceo, ſpiritu vitrioli acidulatus, poſt cuius vſum os ope decocti ſaluiae depuratur (ROSENST. *Bſkd. p. 43.*).

OLEVM NVCVM IVGLANDIVM *Ph. W. p. 126.* Expreſſum. Eſt flauicans, dulce. Ad cibos recipitur; lampadibus inſeruit, quibus tanto vtilius, quum frigore non coëat (DE LA HIRE *de la glace p. 499.*); et pictoribus quoque vſu venit. In Gallia taeniae ſubigendae par fuit; oleum nimirum ad aliquot vncias epotum, ſuperbibito aliquot horas poſt vino alicantino (PASSERAT *in Rec. period. T. 6. p. 305.*). Femina per tredecim dies hoc remedio vſa tertio iam die per partes taeniam deiecit (BIZET in *Journ. de Med. 16. p. 214.*). Specificum etiam ſub dicto connubio reputat DE FRANCIERE (*loc. cit. T. 18. p. 416.*). Sed non nouiter pro anthelmintico haberi apparet ex BVCHN. *Diſſ. cit. §. 42.* Videtur virtus ad communem effectum oleoſorum inſecta vermesque necantem reduci poſſe. Dignum tamen notatu, eandem vel in ſolo vino alicantino fuiſſe repertam (ANDRY *gener. des vers p. 160.*).

QVER-

QVERCVS.

LINN. *Syst. veget. p. 716. Gen. plant. p. 495.*

18.

Pharm. QVERCVS *Cortex; Folia; Glandes; Cupulae; Gallae.*

Quercus Robur; foliis deciduis oblongis superne latioribus, sinubus acutioribus, angulis obtusis LINN. *Sp. pl. p. 1414.* Quercus α, cum longo pediculo C. B. β, item cum breui pediculo C. B. Icon: VON GLEICHEN *Abbild. T. 29.* De cultura legatur DU ROY *Baumz. T. 2. p. 236.* Arbor europaea, sed septentrionale frigus fugiens.

Ex maxime longaeuis; et tam forma et altitudine, quam vsu suo multiplici, eximia. *Cortex* pro densandis coriis vsitatissimus est, cui vero scobem et folia substitui posse compertum, et nigrum colorem suppeditat. *Lignum* durum, aegrius a putredine subigendum, et ob crassitiem et robur ad maiora quoque opera, vt ad aedificia, nauigia, aptum, colore quoque grate luteo commendabile. *Gallae* colorem nigrum subministrant. Et *glandes* vulgare suum sagina sunt.

Arbor omnibus suis partibus stiptica et acida. Hinc non dubitarunt DIOSCORIDES et GALENVS librum vel folia et cuticulam tegmini glandium substratam in fluxu coeliaco, dysenteria et sanguinis per pulmo-

pulmonem vel muliebria profluuio, praecipue in decocto adhibere. Foliis contusis impositis refert GALENVS se vulnus securi inflictum sanasse. Vim diureticam quoque adscribit glandibus DIOSCORIDES. Horum auctoritate sine dubio inducti MATTHIOLVS, LONICERVS, HORSTIVS easdem vires praedicarunt, quin ad alios morbos iusto forsitan liberalius, fluorem album, calculum, gonorrhaeam, dolores dentium, imbecillitatem partium quamlibet rel. extenderunt. Febrifugi etiam nomine celebrata. Prudentiores nostri aeui medici parcius eiusmodi stipticis vtuntur, vt quae praemature et antequam causa morbi probe subacta fuerit ingesta, insignem noxam pariunt, ad finem autem morbi, roboris restituendi causa, subinde locum habent. Putrida tamen diathesis maturiorem aliquando vsum concedit. Colligenda nunc sparsa quaedam recentiorum experimenta.

Liquidum, quod quercus fundit, in podagra externe vtiliter adhibitum (HAGEDORN *Eph. N. Cur. Dec. 2. A. 5. Obs. 91. p. 197. sq.*). *Corticem* cereuisia decoctum dysenteriam coërcere (LEDEL *l. c. Dec. 3. A. 1. Obs. p. 88. sq.*). Video corticem tenellorum ramorum speciatim in hunc finem requiri, scilicet manipulum eius vnum aquae cantharo decoctum, cuius libra vna omni bihorio bibatur. DAREL. *Ap. p. 45.* Eundem in intermittentibus febribus corticem valere (SCOPOLI *Fl. carn. p. 414.*). *Folia* vero in gargarismate addito, si placet, vino

vino aduſto et melle, contra anginam obſtinatam proficua (DAREL. *l. c.*).

GLANDES intra cruſtam coriaceam, cui altero extremo calyculus adnectitur, continent nucleum ouatum inſigniter amarum et auſterum. Quae de eſu earum pro conſueto cibo apud veteres leguntur ad alias potius ſpecies ſapidiores et ſaniores pertinent, prout de Quercu virginiana MILL. et de Quercu Subere traditur. A noſtris ſapor iam auocat, vt vix niſi fame coacti ad easdem acceſſuri fuiſſent. Fieri tamen inde panem in Noruegia BARTHOLINVS refert (*Dan. dom. p. 404.*). Ad easdem ſuppetias confugere annonae caritas in Gallia a. 1709. coëgit (DU HAMEL *Arbres T. 2. p. 209.*). Sed aluus inde ſtipata, et cholera funeſta erupit (GAILLARD *Hiſt. de Franc. I. Tom. 3. p. 193.*). Coffeae ſubſtituere quibusdam placuit (*Samml. z. Beförd. d. Arzn. u. d. Naturg. 4 Band. Berlin*). Pluries puluere earum febris intermittens in pauperibus debellata. SCOP. *Fl. carn. p. 415.* Apud Brunſuicenſes domeſticum eſt, aduerſus eryſipelas ingerere puluerem glandum in cereuiſia tepida, et ſudorem intra lectum exſpectare, vnde poſt duodecim horas nulla tumoris nec ruboris veſtigia ſuperfuerunt (LANGE *verit. miſc. p. 88.*). Torrefactae glandes et contuſae diarrhoeam diriorem purulentam compeſcuerunt (ROSENST. *Bſkd. p. 94.*). Nuperrime demum prodiit decocti glandum toſtarum

in

in obſtructione glandularum, atrophia, ſcabie rel. in quibus ſudor tenax foetidus emerſit, laus; quae pluribus adhuc experimentis indiget (IOS. WILH. SCHROEDER *v. d. Wirk. d. Eicheln in Verſtopf. d. Drüſ.*).

CVPVLAE ſ. calyculi glandum extrinſecus aſperi. Puluerem in alui fluxu et dyſenteriis, ad drachmam vnam aut in vino rubro quolibet trihorio exhibitum, familiarem adeo ſibi eſſe, indicat SCOPOLI (*l. c.*).

De GALLIS, valde ſtipticis, inter animalia ſermo erit vtpote inſecti ex Cynipis genere opificio et domicilio.

VISCVM QVERNVM pro ſua affinitate collocabitur.

19.

Pharm. SVBERIS *Cortex.*

Quercus Suber; foliis ouato-oblongis indiuiſis ſerratis ſubtus tomentoſis cortice rimoſo fungoſo LINN. *Sp. pl. p. 1413.* Suber latifolium ſemperuirens C. B. Icon: DU HAMEL *Arbres T. 2. Tab. 80.* Arbor in auſtrali Galliae parte, Hiſpania, Italia, creſcens.

Glandes huius dulciores, hinc iisdem varii quadrupedes et volucres nutriuntur, et in Hiſpania quoque caſtanearum inſtar aſſatae comeduntur (DU HAMEL). *Lignum* etiam vtile. Omnium vero partium vtiliſſimus eſt

COR-

CORTEX. Absque interitu ipsius arboris aliquoties, interuallo septem vel octo annorum intercedente, deglubi se patitur. Optimus est ex vetustis arboribus et tertio detractus. Dum nimirum secunda vice succus nutritius per aestatem ascendit, securi parua prope exortum ramorum ad radicem vsque cortex trunci inciditur, tribus vel quatuor plagis longitudinalibus et ad vtrumque demum extremum vna transuersali, probe vero libro trunci parcendo. Percusso cortice manubrio securis vlterius soluitur. Separatus pro arbitrio in minora frusta diuiditur, dein rasa superficie vt glabrior fiat, eademque maioris firmitatis causa adusta, lauantur frusta et pondere pluribus iunctis impositio in planitiem comprimuntur. Minori pretio venit cortex absque igne praeparatus. Optimae notae censetur flexilis pressioni digiti cedens, elasticus, coloris rubicundi, neque lignosus neque porosus (DU HAMEL). Frequentissimus eiusdem vsus pro epistomiis est; alius, dum comburitur, pro puluere nigro, *Noir d'Espagne*. Non tamen omnino ex foro medico exulauit; adstringere ideoque haemorrhagias et alui fluxus sistere notatur (CHOMEL *usuelles T. 2. p. 332.*). Combusti puluerem ope olei ouorum vel amygdalarum in vnguentem redactum, haemorrhoidum dolores sistere easdemque dissipare CHOMEL (*l. c.*). pluries expertus est.

CORYLVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 718. Gen. pl. p. 498.*

20.

Pharm. CORYLI *nuces; Lignum.*

Corylus auellana; ſtipulis ouatis obtuſis LINN. *Sp. pl. p. 1417.* Corylus ſylueſtris C. B. item ſatiua C. B. Icon: BLACKWELL *T. 293.* Arbor, creſcit in nemoribus et ſepibus ſponte, quaedam autem eius varietates in hortis coluntur.

Vincula doliariis ſuppeditat, et pictoribus carbones. A cenſu autem medicamentorum absque detrimento abeſſe poſſet.

NVCES. Sunt biualues, oblongae, includentes nucleum album dulcem, epidermide rufa veſtitum. Ad bellaria pertinent ſaporis grati cauſa et nutriunt, ob oleum vero, quo abundant, ventriculum grauant, et niſi epidermis auferatur ad tuſſin vellicant. Oleum dimidium ponderis nucum (SPIELM. *Chem. p. 75.*) conſtituit, eſtque vnguinoſum, odoris omnis expers. Hinc odoribus variis recipiendis aptum (DE JEAN *des odeurs p. 367.*); pictoribus quoque acceptum.

LIGNVM exhibet oleum per deſcenſum, empyreumaticum, quod vero iam euiluit. In odontalgia efficax fertur (LINN. *M. m. p. 204.*). Contra lumbricos guttae tres vel quatuor ingeruntur (STOEKER in HALL. *ſtirp. helv. n. 1625.*).

Quae

Quae de vi aliarum partium, vt corticis in febribus intermittentibus, et pollinis antherarum in epilepsia (*Eph. N. C. Dec. I. Obs. 97. p. 226. Dec. 3. A. I. Obs. 120. p. 195. sq.*) recensentur; non nisi post repetitam experientiam admitti possunt.

? LIQVIDAMBAR.

LINN. *Syst. veget. p. 718. Gen. plant. p. 499.*

21.

Pharm. LIQVIDAMBAR *s.* STYRAX LIQVIDA.

Liquidambar styraciflua; foliis palmato-angulatis, lobis indiuisis acutis LINN. *Syst. veg. l. c.* Liquidambar C. B. Styrax aceris folio RAII *Hist. pl. p. 1681. 1799.* Icon: CATESBY *nat. hist. of Car. Tom. 2. Tab. 62.* Arbor crescens in syluis vliginosis Virginiae et Carolinae nec non regno mexicano.

Lignum in America magni habetur ad varia opificia scriniariorum, sed facile putrescit, et pro humiditate et siccitate varia volumen mutat. Alta arbor et odorata, vt et eminus halitibus detegatur.

Liquidambar et Storax liquida auctorum, quantum liquet, eiusdem arboris progenies sunt in eo modo discrepantes, quod in hac naturae ars subuenerit. Hinc vtrumque iungam.

LIQVIDAMBRA *Ph. Ed. p. 10.* AMBRA LIQVIDA *Ph. W. p. 130. Ph. Argent.* eſt reſina craſſa inciſione corticis proueniens, cui cortex comminutus odoris tanto diutius ſeruandi cauſa admiſcetur (MONARDES *ſimpl.* CLVS. *p. 324.*). Aetate indureſcit in reſinam ſolidam fragilem (LEWIS *M. m. p. 361.*). Parce modo in regionibus ſeptentrionalibus exundat, unde eius collectio in Virginia negligitur (KALM's *reſa T. 3. p. 103.*); ex noua autem Hiſpania ad nos transfertur (MONARD. l. c.). Reſoluere, roborare, cerebro praeſertim et ventriculo conuenire ſub vſu externo traditum (MONARD.). Olim maiori in dignitate fuit ad vnguenta coria eiusmodique alia odore eiusdem imbuenda (GEOFFROY). Hodie ob tot alia ſimilia in deſuetudinem abiit. Idem valet de Oleo Liquidambarae (MONARD.).

STYRAX LIQVIDA. *Ph. Ed. p. 16. Ph. W. p. 132.* Venalis, quantum conſtat, ramorum comminutorum coctione elicitur, ſub qua ſuperficiem aſcendit (MONARD. *p. 325.*). Purior per colum transmiſſa fuit, fere tranſparens, mellis conſiſtentiae et coloris rubri vel griſei, odoris fragrantis ſtyracem calamitam referentis, ſaporis acris. Quae in officinis occurrit quibusdam factitia videtur, ſolutione ſtyracis calamitae in vino ac oleo admiſtaque reſina laricea (RAII *Hiſt. l. c.*). Proxime accedit ad naturam balſami peruuiani,

vt

vt videatur ſubſtitui poſſe tanquam diſcutiens, conſolidans. Vnguenta vel emplaſtra ſubinde intrat.

BETVLA.

LINN. *Syſt. veget. p. 708. Gen. pl. p. 485.*

22.

Pharm. BETVLAE *Succus; Folia; Cortex.*

Betula alba; foliis ouatis acuminatis ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 1393.* Betula C. B. Icon: CRAMER *Forſtweſen Tab. 10.* Arbor in ſyluis, praecipue borealibus creſcens.

In re oeconomica celebris. *Lignum* album, tenax, ſuetiſſimum pro foco in ſeptentrionalibus regionibus eſt, nec ſpernitur a tornatoribus et fabris lignariis, quibus et ob tophos variegatos ramorum placet. *Cortice* teneriori externo albo focus facile accenditur, ad ſcaphas ſuas adhibent Americani, ad corbes minores boreales gentes, et ad calceos. Durior ſubſtratus cerdonibus proficuus. *Foliis* debemus colorem luteum, ſuntque ouium et caprum per hiemem ſalutare pabulum. Ex amentis aqua ebulliente cera elici poteſt (CARTHEVS. *pl. princ. p. 41.*). Taceo ſcopas et virgas ex *ramulis.*

SVCCVS perforatione trunci vel ramorum primo vere ante frondium eruptionem magna copia prodit; adeo vt ex ramo vulnerato vnica die librae octo aut

decem collectae (SWIETEN *Comment. T. 5. §. 1428.*). Quo inferius terebratur eo crudior et aquosior est, quo altius eo meracior et acidior (Post HELMONTIVM *de lithiasi cap. 8. p. 708. 709. §. 24.* probe BVCHOZ *Traite de plantes de la Lorraine T. 6. p. 86.*). Praefertur succus superiorum ramorum tres circiter digitos crassorum. (LANGE *misc. verit. p. 22.*). Satis diu seruari potest, oleo oliuarum tectus, vel in vase fumo sulphuris antea impraegnato, ne fermentescat (BOYLE *de vtilit. phil. experim. Exercit. 4. §. 17. p. 179.*). Inspissatus in syrupi crassitiem et frigido loco repositus saccharum vel mannae speciem format (MARCGRAF *Mem. de Berlin 1747. p. 89.*). Hic succus ad alui solutionem vsque potus ascarides expellit (ROSENSTEIN *Bskd. p. 353.*). In calculo multa praeconia sibi vindicauit, experimento saepe repetito MATTHIOLI, THEODORI TABERNAEM, SIM. PAVLLI, CHARLETONI (*de lithiasi p. 275.*) rel. Praecauet illi, et si iam praesens est, cruciatus mitigat (HELMONTIVS, BOYLE, LANGE *ll. cc.*). Vnciae sex bis vel ter de die in calculo sufficere poterunt (DAREL. *Socken-Apot. p. 42.*). Cereuisia quoque inde coquitur, vtilis in calculo (BARTHOL. in *act. Hafn. Vol. 1. p. 49.* Cf. *E. N. C. Dec. A. 3. Obs. 155. p. 277. sq.*) soluere tamen calculum non videtur, quippe in homine alio de morbo mortuo apparuit, conticescente licet per vitam morbo (BOYLE). An vnice exteriorem superficiem emollit? Ratio simul

est

eſt habenda diureſeos, quam mouet, in diabetem vsque (SPIESS *Diſſ. 3. de herb. vntinephr.*). Imo diabetes lethalis orta, ſed ex menſuris quindecim ſucci fere corrupti, per vices epotis (*Eph. N. C. Dec. I. A. 2. Obſ. 198. p. 300.*). Sanguinem inſuper depurat; vnde in ſcabie adhibetur, quam retrogreſſam reuocauit (HVNDERTMARCK *Diſſ. de ſcabie artific.*); item in ſcorbuto.

Vinum palato placens erogat, dum ſucco, coctione eiusdem cum ſaccharo praegreſſa, adduntur vinum gallicum, citrea mala aromata grata et fermentum, et haec miſcela fermentationi committitur (WARG'S *hielpreda i hushållet p. 496.*).

FOLIA tenella in decocto externe ſcabiem curant, vel horum loco ramuli conciſi decocti (SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 300.*). In infuſo theaeformi contra arthritidem (DAREL. *Socken-Apoth. p. 42.*).

CORTEX aduerſus intermittentes febres, praecipue ſi ſcorbuticam labem admixtam habent, item ad vlcera externa in decocto ad libram vnam laudatur (*Landarzt p. 26.*). Ex cortice tenuiori albo paratur oleum.

PRAEPARATA.

OLEVM BETVLINVM *Ph. Brand. p. 120.* Balſamum lithuanicum Italis, oleum Ruſſicum (Ryſſolja) Suecis. Igne ſuppreſſionis per deſcenſum euocatur. Obſoleuit fere noſtro tempore in medicina, ſed

conuenit natura ſua cum oleo fuliginis. Eo oculo illito coecitas curata (HIERON. REVSNER *in Obſ. med. a* WELSCHIO *ed.n. 42.*). In haemorrhoidibus profuit, quin ipſo cancro (*Purmann 2. p. 477.*). Parca ſit doſis calidi huius remedii, interne adhibiti, guttarum 2, 3, 6. Externe contra vermes valet. Corium bubulum Ruſſicum (Jucht) hoc oleo perungitur, vnde odorem ſuum grauem repetit.

23.

Pharm. ALNI *Folia.*

Betula Alnus; pedunculis ramoſis LINN. *Sp. pl. p. 1394. α,* glutinoſa. Alnus rotundifolia glutinoſa viridis C. B. Icon: CRAMER *Forſtw. T. 12.* Arbor in aquoſis creſcens.

Huius *lignum* vilius, mollius, putredini obnoxium, aquam tamen fert, modo aëri acceſſus denegetur. Nodi ad ſcrinia veſtienda ob colorem eleganter variegatum crebro adhibentur. *Cortex* colore fuſco vel nigro lanam tingit. *Folia* in arte coriaria vtilia, et pro pabulo pecorum.

FOLIA praeſtantiſſima ſunt, expertus loquor, ad lac puerperarum lactationem reſpuentium diſſipandum, dum, poſtquam conciſa ſuper igne in diſco incaluerunt et inſudarunt, calide applicantur; primis diebus connubium cerefolii congruit. Hoc ſimplex remedium omnibus emplaſtris, pultibus, ſpiritibus

longe

longe praeferendum eſt. Vlcera corroſiua iisdem quoque ſanari feruntur (KRAMER *med. milit. p. 21.*).

MYRICA.

LINN. *Syſt. veget. p. 740. Gen. plant. p. 518.*

24.

Pharm. MYRTI BRABANTICI *Folia.*

Myrica Gale; foliis lanceolatis ſubſerratis caule ſuffruticoſo LINN. *Sp. pl. p. 1453. Flor. Suec. p. 356.* Rhus myrtifolia belgica C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 327.* Fruticulus, creſcens in locis paludoſis praeſertim borealium regionum.

FOLIA. Odorem grauem camphoraceum (iudice LINNEO) prae ſe ferunt, ſaporem amarum. Non opus eſt hic animaduertere in errorem SIMONIS PAVLLI (*Comment. de abuſu Tabaci et herbae Theae* annexus *quadrip. bot.* in ed. FICKII), qui ex ſimilitudine quadam in foliorum forma odore ſaporeque tum et viribus Theam Chinenſium eſſe ſtatuit, quum viſus verus Theae frutex iam dudum eum ſuppreſſerit. Dolendum modo, in re tam falſa tantum eruditionis fuiſſe profuſum; et mirandum, quod vir ſagax et botanicus non in fructus ſiccos calyculo ſuo et pedunculo inſtructos, qui inter folia ſicca Chinenſis Theae ſaepe reperiuntur, inquiſiuerit, in quibus eandem diſſimilitudinem, quam in foliis ſimilitudinem, facile detexiſſet. In Suecia olim

cereuiſiae condimentum loco humuli fuit, tumque lege cautum, ne ex aliena terra peteretur (LINN. *Fl. Suec. l. c.*). Hodie vero nonniſi a pauperibus in hunc finem ſumitur, quum cephalalgiam et inebriationem bibentibus afferat. Cocta herba ſcabiem ſanat, et pediculos necat *l. c.* Veſtes a vermibus folia tuentur (DALECHAMP *Herb. Lugd. L. 1. c. 38. p. 110.*).

Fructuum coctione in aqua cera eruitur, ad candelas commoda, cuius tamen largior prouentus ex Myrica cerifera Americanorum.

PISTACIA.

LINN. *Syſt. veget. p. 740. Gen. plant. p. 518.*

25.

Pharm. PISTACEAE *Nuces.*

Piſtacia vera; foliis impari pinnatis, foliolis ſubouatis recuruis LINN. *Spec. pl. p. 1454.* Piſtacia peregrina fructu racemoſo ſ. Terebinthina indica C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 461.* Arbor Perſiae, Arabiae. Syriae indigena. Fructus vberiores et gratiores obtinentur ramis arboris huius Terebintho inſitis. (DU HAMEL *Arbres T. 2. p. 312.*

NVCES conſtant ex theca dura, oblonga, angulata, acuta, vel nucleo pallide viridi cuticula rubicunda obducto. Placet hic nucleus grato ſapore dulci, oleoſo, amygdalarum dulcium ſimili. Hinc detracta epi-

epidermide, quae adſtringit et amara eſt, ditiorum cibis additur. Miſſis veterum praeconiis verior vis eſt nutriens, emolliens, relaxans, inuoluens, vt in ſimilibus fructibus. Reficiendi et ſtimulum venereum excitandi potentiae, quam AMATVS, MATTHIOLVS alii illis adſcribunt, non multum tribuo; nam nec tantum nutrire videntur nuclei, vt haec praeſtare poſſent. Facile ranceſcunt, nec ob colorem viridem ſatis ad emulſiones aptae. Admiſcent pharmacopolae morſulis imperatoriis.

26.

Pharm. TEREBINTHINA *cypria.*

Piſtacia Terebinthus; foliis impari-pinnatis, foliolis ouato lanceolatis LINN. *Sp. pl. p. 1445.* Terebinthus vulgaris C. B. Cfr. TOVRNEF. *Voyage du Levant T. 1. p. 145.* Icon: DU HAMEL *Arbres T. 2. Tab. 87.* Arbor, creſcens in inſula Chio, India, Africa boreali, etiam in Hiſpania, inferiori Gallia, et Italia.

TEREBINTHINA CYPRIA *offic. ſ.* CHIA *Lond.* elicitur in inſula Chio ictibus cortici trunci inferiora verſus ope ſecuris omni latere a ramis vsque ad radicem ſub finem m. Iulii inflictis, et trium pollicum interuallo inter ſe remotis. Colligitur laminis lapideis circa truncum duplice ſerie ſtratis, quouis mane ante ortum ſolis, quum nocturno frigore tam condenſetur, vt ſpatula vel cultro obtuſo a laminis iſtis et trunco deradi

deradi commode poſſit. Quo vlterius ab incidentibus heterogeneis liberetur, per corbiculam transmittitur calore ſolis liquefacta. (COVSINERI apud DU HAMEL *Arbres T. 2. p. 308.*). Eodem fere modo, ſed breuiter TOURNEFORT (*Voyage du Levant T. I. p. 145.*) rem deſcribit. Parcam modo quantitatem terebinthinae pro ſua magnitudine arbor erogat, ita vt quatuor arbores 60 annorum aetatis et peripheriae trunci quinque pedum nonniſi libras duas cum vnciis nouem et drachmis ſex terebinthinae vno anno fuderint. Nonniſi in orientali inſulae parte creſcit. Inde Venetias mittitur. Ob cauſas dictas charo pretio in ipſa inſula venditur, et transmiſſa vix vnquam ſincera ſed adulterata venditur. Quin ante transmiſſionem corrumpi miſcela Terebinthinae Venetae legimus (HAMEL *l. c. p. 307. ſq.*). Vera iſta Chia ſpiſſior et tenacior eſt, grati odoris, pellucida, alba in flauedinem inclinans, acrimoniae et amaritiei fere omnis expers. In extremis ramis arborum europaearum, vt in Gallo-prouincia creſcentium veſicae formantur inſectis repletae, in quibus tantillum terebinthinae clarae et odorae reperitur (*l. c.*). Ob raram opportunitatem experimenta cum Terebinthina hacce incorrupta inſtituendi nihil praerogatiuae in illa prae Veneta detegi potuit. Sunt qui Cypriam (vt MILLER in *Botan. offic. p. 433.*) colore magis obſcuro et ſordibus admiſtis a Chia diſtinguunt.

27.

27.

Pharm. MASTIX; LENTISCI *Lignum.*

Piſtacia Lentiſcus; foliis abrupte pinnatis foliolis lanceolatis LINN. *Sp. pl. p. 1455.* Lentiſcus vulgaris C. B. Conf. TOVRNEF. *Voyage du Levant p. 143.* Icon: DU HAMEL *Arbres T. I. Tab. 136.* Arbor, in Chio inſula, Luſitania, Hiſpania, Gallia inferiori, Italia creſcens.

MASTIX vel MASTICHE. Huius cauſa arbor ſtudioſe in inſula Chio ſ. Scio colitur. Altitudinem decem vel duodecim pedum aſſequitur, diametrum pedis vnius. Eiusdem ibi folia maiora ſunt, quam in Prouincia et Languedocia. Aſt non omnis arbor Maſtichen fundit, quae vero fundit, de huius propagatione per ſurculos ſollicite diſpiciunt. Modus colligendi hic eſt, quod m. Auguſto tempore ſicco et ſereno cortex transuerſim cultro incidatur, vnde die poſtero reſina in terram deſtillat, ſenſim in maſſas, ſubinde ſatis grandes, indureſcens. Collectiones ſeriores minus lucroſae ob parcius ſtillicidium. Maſtix ſub delapſum inquinata per colum tranſigitur, vt depuretur. (TOVRNEFORT) Confer cum hisce, quae THEVENOT (*Voyage au Levant T. 1. p. 180. ſq.*) et BELON (*Obſervations de pluſieures ſingularitez p. 185.*) reliquerunt. Quibus quaedam ex HAMELIO (*l. c.*) addenda ſunt de ſubtiliori arborum Maſtichen fundentium

tium distinctione. Europaeae etiam arbores subinde tantillum huius resinae vulneratae fundunt. Tolone martio id fieri (GASSENDI in TOVRNEF. *l. c. p. 144.*) et in Italia etsi parce (STROBELBERGER in *Mastichologia Lipsi. 1628.*) quin Edinburgi in arbore quadam (ALSTON *Mat. med. T. 2. p. 415.*) notatum.

Resina est, constans ex granis fragilibus variae magnitudinis, subpellucida, coloris flauentis, odoris leuis haud ingrati, saporis vix manifesti. Masticata mollescit instar cerae, carbonibus insperſa gratum odorem spargit. Aqua cocta eam odore imbuit, sed vix aliquid eius soluitur. Spiritu vini autem vti et oleo omnino subigitur. Rarius interne quam extrinsecus adhibetur. Vxores imperatoris Turcarum aliaeque magnatum hanc continuo masticant; praesertim mane ieiunae, vt vel halitu oris placeant, et albedinem dentium conseruent, gingiuasque roborent (TOVRNEFORT item HASSELQVIST *Resa p. 523.*). Admiscent quoque aquis suis odoris super igne euaporandis et pani, antequam furno committitur (TOVRNEF.). A nobis dentifriciis additur. Masticata saliuam potenter allicit. Hinc in catarrhosis affectionibus, apoplexia seroſa, dolore dentium, solet masticari vel ore teneri et compingi effectus maioris causa cum pyrethro pipere, zingibere vel similibus; cuius exemplum videas in BOERHAAVII *Aphorism. 1025.* Blande roborat, leuiter adstringit abstergitque et balsamicam vim possidet;

ſidet; vnde ſuperata haemoptyſi, in fluore albo, debilitate ventriculi, in diarrhoeis et vlceribus internis praeſcripta. Sic in debilitate et vlceribus inteſtinorum tutiſſima pronunciatur (DEGNERI *de dyſenteria p. 201.*). Dari poteſt trita cum aliis in ſubſtantia ad ſcrupulum dimidium vel integrum, vel in emulſione trita amygdalis ſiue gummi arabico, vel ſoluta ſpiritu vini et ſyrupo admixto — Externe quoque in ſuffimigio roborat et diſcutit. Hinc inteſtino recto prolapſo adhibetur (ROSENSTEIN *Bſkd. p. 24.*). Admoto panno laneo, vel goſſypio ſuffitu eiusdem imbuto, hernia emphyſeumatica diſſipatur (*l. c. p. 26.*). Nec minus confert per rachiticorum conclaue halitus accenſae Maſtiches crebro diſpergere et cutem eorum mane et veſperi panno laneo fumo eiusdem impraegnato perfricare (*l. c. p. 407.*). Solent etiam ſuffitu ad dentium auriumque dolores leniendos vti. Emplaſtris demum variis et vnguent vulnerariis additur.

LENTISCI *lignum.* Nodoſum eſt, externe tegitur cortice bruno, interne coloris albidi vel flaueſcentis. Sapor odorque imbecillis aromaticus et reſinoſus. Aqua coctum colorem rubicundum illi tribuit cum debili odore eoque grato. Cum ſpiritu vini obtinetur tinctura fulgide lutea. Extractum remanet poſt deſtillationem reſinoſum, ſubadſtringens et parumper pungens (LEWIS *M. m. p. 348.*). Vix vnquam hodie eius amplius vſus fit, licet non omnino vi deſtitui ex

dictis

dictis appareat, dum leuiter adstringat et naturam balsamicam ipsius Mastiches participet. In dysenteria, haemorrhagiis, arthritide, qua sibi sacra anchora fuisse affirmat, imbecillitate ventriculi, flatibus, ructibus rel. infusum eius vel decoctum sub variis verborum tricis DE WENCK (*Eph. N. C. Dec. 3. A. 9. 10. Obs. 135. p. 252. sq.*) extollit. Ad praecautionem haemorrhoidalis fluxus decoctum vel infusum ligni cum vino opportunum habitum (Post FONSECAM RIVERIVS *Prax. med. L. 10. cap. 10. p. 515.*). Quoniam corroborare creditur dentiscalpia inde parantur, et decoctum pro gargarismate.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM MASTICHES DESTILLATVM. *Ph. W. p. 131.* Destillatione mastiches ex arena.

OLEVM MASTICHINVM *Ph. W. p. 126.* Ex mastiche oleo rosato soluta. In vomitu et alui profluuio.

AQVA MASTICHINA *Ph. W. p. 19.* Ex mastiche et nuce moschata spiritu vini et aqua destillatis. Aromatica et subadstringens. Hinc stomachum roborat, diarrhoeam sistit, flatus pellit, vomitum compescit. Ad vnciam dimidiam supraque. Gratior euadit syrupo quodam iucundo addito.

SYRV-

SYRVPVS MASTICHINVS *Ph. W. p. 213.* Ex naſtiche aqua maſtichina digeſta et ſaccharo.

SPIRITVS MASTICHINVS. *Ph. W. p. 193.* Compoſitus ex maſtiche et multis aromatibus ſpiritu ini et aqua fontana deſtillatis. Si huic aqua fontana accharata additur, nominatur *Elixir maſtichinum l. c.* n colica flatulenta et morbis ventriculi frigidis doſi nox indicata exhibetur.

PILVLAE MASTICHINAE *Ph. W. p. 140.* Ob garicum et aloën maſtichi admixtam purgant. Doſis int grana decem et viginti.

? CYNOMORIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 700. Gen. pl. p. 476.*

28.

Pharm. FVNGVS MELITENSIS.

Cynomorium coccineum LINN. *Sp. plant. p. 1375.* Cynomorium purpureum officinarum MICHEL. *Gen. nov. plant. p. 17. Tab. 12.* Cfr. LINN. *Diſſ. de fungo melit.* in *Am. acad. T. 4. p. 351. Tab. 2.* ex MICHELIO petita. Eſt ſtirps herbacea, paraſitica, radicibus lentiſci, myrti, halimi aliorumque fruticum in Sicilia, Melita, Italia, Iamaica, Mauritania innaſcens.

FVNGI nomen immerito fert, quum vera planſit, ſed ſtructura valde differens ab aliis. Cauli

enim ſemipedali aphyllo, digitum craſſo inſidet ſpica vel amentum longitudine ipſius caulis, ſed duplae craſſitiei. Vehit ſuccum rubicundum; ſaporis amaricantis, ſtiptici. Celebrauit illam inter primos BOCCONE (*Icones et deſcript. plant. rar. 1674. p. 82.*) et dein vlterius (*Muſeo di Fiſica p. 69.*), recenſens, vſum in dyſenteria et haemorrhagiis ſiſtendis, in ſcelotyrbe, vomitu ſanguineo, vlceribus cacoëthicis ex multorum teſtium experimentis. Et in hisce quidem vel puluis ad drachmam vnam vino vel iuſculo, vel et ſyrupus inde paratus ad vnciam vnam, exhibitus. Ad gingiuas corroborandas dentifricius puluis ex eadem cum ſaccharo odorisque variis mixta valuit. Haemorrhagiam vteri grauiſſimo caſu ſopiuit integro fungo ill. Eques BÄCK (LINN. *Diſſ. cit.*). In hoc vero videtur praeferendus aliis ſtipticis, quod vim exerceat absque ſanguinis coagulo, ſaltim ſi ab experimentis cum ſanguine recens vena miſſo factis concludere liceat (*Act. Bonon. I. p. 158.*). Decoctum profuit in vlceribus antiquis venereis vrethrae (DEIDIER *Obſ. T. 1.* VOG. *M. m.*).

OR-

ORDO III.

COMPOSITAE.

a. CAPITATAE.

ARCTIVM.

LINN. *Syst. veg. p. 603. Gen. pl. p. 407.*

29.

Pharm. BARDANAE *Radix; Semina; Folia.*

Arctium Lappa; foliis cordatis inermibus petiolatis. LINN. *Sp. pl. p. 1143.* Varietas *β.* Lappa maior tomentosis capitulis C. B. Existimant esse *αρκτιον* DIOSC., descriptionem autem plantae *αρκειον* magis conuenire ALSTON *M. m. p. 397.* Icon: MILLER'S *Figures T. 159.* Pl. biennis ad vias et locis ruderatis frequens.

RADIX perpendicularis crassa, extus cortice nigricante vestita, interne alba et spongiosae substantiae; saporis subdulcis, subamari austeri. Edulis est, cynaram aemulans (HALL. *hist. helv. n. 161.*), prout ipsi caules teneriores (RAII *Hist. pl. T. I. p. 332.*) Vis blande resoluens et sudorem lotiumque pellendi communi consensu agnoscitur; hinc et depurare san-

guinem creditur. Crebro in decoctis praescribitur. In articulorum morbis peculiarem efficaciam sibi vindicat (Cfr. SIM. PAVLLI *quadrip. p. 401.*). Ita decocto radicis cereuisia facto a podagra pertinaci post mictum lotii albi, lac referentis, conualuit quidam (FORESTVS). Quae radix etiam placet cl. CHESNAV (*Obs. med. L. 4. p. 426.*). Nec spem fefellit experientia cl. HILLII in se ipso podagrico capta (*Management of the gout with the virtues of Burdock Lond. 1758. 8.*). Huc et pertinent composita quaedam arthritidi opposita, vt decoctum compositum FVLLERI (*Ph. extemp. p. 38.*). Similia exstant de vi in calculo praeconia. Sabulum et lapilli ex decocto seceſſere (*Nov. Act. N. C. Vol. 5. p. 195.*). Par vtilitas obseruata est vno exemplo doloribus rheumaticis pertinacioribus infestantibus, dum eiusdem vncia vna et dimidia vel duae cum aquae fontanae libra dimidia ad consumtionem dimidiae partis coquerentur, dein adderetur mellis despumati vncia dimidia, hocque mane in lecto per mensem vnum et dimidium ingereretur (RAZOVX *Tables nosologiques 1767. p. 256.*). Ad lochia mouenda proficuam esse frequens felixque puerperarum vsus edocuit (LIEVTAVD *Syn. prax. med. p. 563.*).

Sunt, qui in lue venerea adhibuerunt. Decoctum solum corpore in fimum demerso fertur a Polonis eo fine vsurpari (SINAPII *absurda ver. s. parad. p. 109.*). Et decocto radicis semiuinoso cum senna iuncta insudatione

tione et decocto chinae vel ſarſaparillae pro potu ordinario eluctatus hoc malum narratur HENRICVS 3. Gallorum rex (FORMIVS in RIVER. *Obſ. comm. 41. p. 342.*); ſine dubio bona curationis pars in purgante ſenna balneo iſto et ſarſaparilla quaerenda. Attamen euenit, vt a multis aduerſus luem aliis ſubſtituta fuerit vel priuatiuo quodam iure pro decoctis, vel vna cum alia efficaciori medicina ſubminiſtrata. Subſcribit vi decocti antiuenereae etiam SIMON PAVLLI (*Quadripart. p. 402.*).

SEMINA valde amara et diuretica. In calculo etiam aeſtimata, quin a quibusdam hoc in malo ipſi radici praelata (SIM. PAVLLI). Purgare (LINN. *M. m. p. 180.*). Exhibentur vel in emulſione vel vino infuſa.

FOLIA. Deflagrare ſicca cum ſtrepitu legitur (*Eph. N. C. A. 3. Obſ. 222.*). Vnde nitrum ineſſe TOVRNEFORTIVS concludit: ſed ALSTONO (*M. m. 1. p. 97.*) experimentum non ſucceſſit. Sapor eorundem ingratus magisque amarus. Rarius vſurpantur, etſi ſimiles radicis vires adſcribantur. Diſſipare tumores genuum expertus CHOMEL (*Uſuelles T. 1. p. 306.*) in cataplasmate ex iisdem cum vrina et furfuribus cocto. Mitigant dolores cancri et vlcera mundant; ſub cineribus autem cocta podagram pacant (ID.).

PRAEPARATVM.

DECOCTVM BARDANAE *Noſ. Edimb.*

CARDVVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 604. Gen pl. p. 408.*

30.

Pharm. CARDVI MARIAE *Semina; Herba.*

Carduus marianus; foliis amplexicaulibus haſtato-pinnatifidis ſpinoſis, calycibus aphyllis ſpinis canaliculatis duplicato-ſpinoſis LINN. *Sp. pl. p. 1153.* Carduus albis maculis notatus vulgaris C. B. σιλυβον DIOSC. exiſtimatur, quod nomen pro genere retinuit HALLERVS (*Helu. n. 181.*) Icon: BLACKWELL *Tab. 79.* Pl. annua creſcens in aggeribus et ruderatis Europae auſtralioris. Obſoleta fere.

SEMINA oblonga, compreſſa, glabra, quorum cortex fuſco variegatus vel albidus interne medullam oleoſam amaricantem continet. Ob oleum inuoluunt relaxantque. An inde apparens vis in pleuritide (*Breſl. Samml. Verſ. 4. p. 1062.*) repetenda, quam tamen infirmo talo ſtare verbulo indicat TRILLER (*pleurit. p. 48.*). Breslauienſes in ſubſtantia ſiue puluere dedere (de groſſo ſine dubio ſermo fuit). Conſultius in emulſione.

FOLIA ſubamara. Haec, ablatis ſpinis oleribus adduntur; et inſtar acetarii in Anglia ſunt (RAII *Hiſt. T. I. p. 312.*). Tartaro haud abſimili ſale impraegnata (MARCGRAF *Hiſt. de l'ac. de Berlin 1747. p. 79.*). Succum hydropicis eſſe ſalutarem, etiam febrifugum ante

ante acceſſum febris ad quatuor vncias datum (TOVRNEF. *Pl. de Paris 2. p. 143.*).

ONOPORDVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 607. Gen. pl. p. 409.*

31.

Pharm. CARDVI TOMENTOSI *Herba recens.*

Onopordum Acanthium; calycibus ſquarroſis ſquamis patentibus foliis ouato oblongis ſinuatis *Syſt. veg. l. c.* Carduus tomentoſus latifolius ſ. ſpina alba tomentoſa latifolia ſylueſtris C. B. Icon: HILL's *veget. Syſtem T. 4. t. 12.* Planta biennis creſcens ad vias et locis ruderatis.

HERBA nondum pro dignitate ſua in praxi medica colitur, licet varii virtutem ſucci expreſſi in cancro, dum linteo carpto, vel et ipſa herba contuſa applicatur, confirmarint. Inter recentiores BORELLVS (*Hiſt. et Obſ. Cent. 2. p. 151.*) primum memorandus, qui ruſtici meminit a cancro narium ſuaſu amici, pluribus aliis eodem auxilio ſuccurrentis, ſucco curati. Dein STAHLIVS (v. IVNCK. *conſp. chirurg. cap. de cancro*) confeſſus, ſe faciei carcinoma incipiens ſed contra alia remedia obſtinatum intra quatuordecim dies eodem ſanaſſe. Succeſſit idem cl. TIMMERMANNO, Prof. olim Duisburgenſi, in caſu ſimili.

quo magna faciei pars iam consumta erat, teste GOELICKIO (*Diss. de Onopordo carcinomatis auerruncо Francof. 1739.* et ROSS (*Diss. de cancro Duisb. 1727.*). Et ipse GOELICKIVS bis feliciter illum adhibuit in femina, quae cancroso vlcere in sinistra colli parte laborauit, et in viro, carcinomate labii superioris foedato. Simili successu remedium administrauit ELLERVS (*Nützl. u. auserl. Anmerkung. p. 58.*) in duabus feminis vlcere cancroso faciei correptis. Duritiem imminutam in carcinomate quodam labii inferioris et tuberculum vlcerosum exsiccatum obseruauit VATER (*Diss. de polypo nasi p. 27.*) — Frustra autem contra cancrum mammarum tentatur, vtpote maligniorem (ELLER).

Discus eiusdem instar cynarae edulis (LINN. *Amoen. ac. Vol. 6. p. 124.*).

CARLINA.

LINN. *Syst. veg. p. 607. Gen. pl. p. 410.*

32.

Pharm. CARLINAE *s.* CARDOPATIAE, *s.* CHAMAELEONTIS ALBI (*Ph. Ed.*) *Radix.*

Carlina acaulis; caule vnifloro, flore breuiori LINN. *Sp. pl. p. 1160.* Carlina acaulos, magno flore albo C. B. χαμαιλέων λευκος DIOSCOR. perhibetur. Icon:

BLACK-

BLACKWELL *T.* 532. Pl. perennis in Italiae, Germaniae et Heluetiae montibus.

RADIX ramosa, crassa, extus fusca, interne ex albo flaua, saporis acris aromatici et amaricantis, odoris fragrantis. Desueuit hodie. Alexipharmaci pomposo nomine venit, et contra ipsam pestem depraedicata, qua ipsa ab angelo demonstrata Carolus magnus pestem ab exercitu suo fugasse dicitur, vnde nomen quibusdam videtur inditum (MATTHIOL. in DIOSC. Ed. BAVH. *p.* 491.). Aluum mouet ad drachmam vnam sumta (PREVOT *med. paup. p.* 500.). Superstitiosa varia omitto, quod attactu solo dolores sopiat (HELMONT.); obtutu sodam tollat (WEDEL); viatoribus vires gestata impertiat, quas alteri vacuo demat (EMAN. KÖNIG), aliaque similis fecis; circa quae multus, vt solet, ZORNIVS (*Botanol. p.* 169.). Sudorem mouere, blande resoluere et neruos stimulare, facile credas. Oleum aethereum ponderosum vehit. Hinc in infuso vinoso optime datur. Intrat Essentiam alexipharmacum STAHLII, Theriacam aliaque composita.

Discus carnosus, haud ingratus cibus est (GESNER, in RAII *Hist. I. p.* 288.). Assentitur HALLERVS (*Hist.* n. 831.).

CAR-

CARTHAMVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 609. Gen. p. 411.*

33.

Pharm. CARTHAMI *Flores; Semina.*

Carthamus tinctorius; foliis ouatis integris ſerrato-aculeatis LINN. *Sp. pl. p. 1164.* Cnicus ſatiuus, ſ. Carthamus officinarum. C. B. κνίκος ſ. κνήκος Graecorum exiſtimatur. Carthamus Arabum. Conf. RVMPH. *Herb. amb. T. 5. p. 215. Tab. 79.* Icon porro in *Hort. Eyſtett. T. 3. fig. 1.* Pl. annua. Sponte in Aegypto creſcit. Colitur vero in India orientali e. c. Amboina et vicinis inſulis, item in Germania etſi olim frequentius, in Thuringia et Alſatia (HERM. *Cynoſ. M. m. I. 346.*).

FLORVM tubuli notiſſimi ob colorem luteum aqua, et purpureum ope ſalis alcalini, extrahendum, quo ſericum imbuunt. In Aegypto, poſtquam recentes decerpti fuerint, inter duo ſaxa ſuccus eorum crudior exprimitur; reiecto iſto, lauantur flores aliquoties aqua fontana, quae in Aegypto ſalſa, et dein, manus compreſſione compacti, ſoli noctisque roriferae vi exponuntur. Rore color citreus in fuluum mutatur. Ita ſiccati ſenſim ad vſum ſeruantur et copioſiſſime ab Anglis, Gallis, Italis coëmuntur (HASSELQVIST's *Reſa p. 483.*). Vulgo orientalis carthamus praefertur Germanico, illeque colorem fuluum

prae

prae se fert fibrasque tenaciores et breuiores et subhumidas, purior insuper est; hic autem siccior variaque heterogenea admixta habet. Non vero vnice ad sericum, sed et ad lanam tingendam hi flores idonei sunt (cl. IO. BECKMANN in *Comm. Gott. nov. T. 4. p. 89.*). Faciem feminae Indae obliniunt floribus addita oryza et Calappi lympha (RVMPH. *amb. T. 5. p. 215.*) — Florum vsus medicus, nisi pro colore grato medicamentis conciliando, vix vllus. Fraude subinde ad augendum pondus croco admiscentur, quae ob coloris tincturae similitudinem difficilius detegitur. Pauperes cibis pro croceo colore admiscent. In India cum hydromelle contriti ad hepatis obstructionem et icterum tollendum adhibentur (RVMPH. *l. c.*)

SEMEN album cuneiforme quadrangulare, nitens, durum, nucleum album vnctuosum dulcem includens, qui cuticula bruna amara et subacri nauseosa obducitur. Catharticam naturam ei tribuerunt DIOSCORIDES et GALENVS et vna cum hisce Arabes. Datumque hoc scopo emulsionis instar, vel in iure gallinaceo vel offulis. Hinc et electuarium sui nominis purgans intrauit. Nonnisi vero maiori dosi drachmae vnius vel duarum in substantia, sex vero vel octo in emulsione. hic effectus, et lente quidem, perceptus fuit. Stomacho vero noxium, sine dubio ob oleosam naturam agnouerunt, vnde aromata varia sub vsu admiscuerunt. Pulmones pur-

purgare et vocem claram reddere MESVE refert. Delenda igitur vel saltim minuenda veneni suspicio est, quam HASSELQVISTIVS (*Resa p. 484.*) cum tot aliis de semine fouit; nec psittacis modo, vt MATTHIOLVS iam sciuit, de peculiari autem eorum specie affirmat RVMPFIVS. et HASSELQVISTIVS, gratum et salutare pabulum est, sed et gallinis auibusque aliis indigenis, cibo inseruientibus, expetita esca (*Comm. Gott. cit.*). Oleum quoque ex iisdem premitur, quin cibarium (*Oecon. Nachr. 4. p. 846*).

FOLIA tenera ab Aegyptiis in acetaria recipiuntur (HASSELQV.); capitula autem et folia tenera ad olus ab Indis (RVMPH.). Puluis foliorum lacti recens multo immissus illud coagulat, vnde caseos eius ope suos Aegyptii parant. Oeconomorum praeterea scire interest, caules cum foliis siccis auide ingeri hieme ab ouibus et capris, caules autem lignosos pro foco conferre.

PRAEPARATA ET COMPOSITA

iam euiluerunt. Huc pertinent

EXTRACTVM DIACARTHAMI *s.* CNICO-PHARMACVM ANDERNACI (ZWÖLFERI *Anim. in Ph. Aug. p. 181.*)

(ELECTVARIVM) *Diacarthamum* ARNOLDI DE VILLA NOVA. *l. c. p. 118.* Vtrumque nimis compositum varia drastica admixta habet. Vires igitur medullae seminum carthami aegre tribuas.

CEN-

CENTAVREA.

LINN. *Syſt. veget. p. 653. Gen. pl. p. 442.*

34.

Pharm. CYANI *Flores.*

Centaurea Cyanus; calycibus ſerratis foliis linearibus integerrimis, infimis dentatis. LINN. *Sp. pl. p. 1298.* Cyanus ſegetum C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 270.* Pl. annua, inter ſegetes frequens.

FLORES. Intelliguntur flores marginis infundibuliformes varietatis coeruleae. Rariſſimi vſus, et pretii nondum definiti. Omnis fere odoris ſaporisque expertes, vt vel ideo non multum ſperes. Extractum ſpirituoſum ſaporem leuiter auſterum, ſalinumque habet, aquoſum manifeſtius ſalinum (LEWIS *M. m. p. 246.*). Lotium mouere florum decoctum in ſuppreſſione eius, ita vt nihil potentius, praeſertim in connubio feminum vrticae FR. HOFFMANNVS (*Diſſ. de rem. dom. p. 35.*) affirmat. In hydrope incipiente autem pater eius (*Pharm.* SCHRÖD. *L. 4. Sect. 1. p. m. 64.*) optimum effectum ex eodem percepit; quin confirmato iam malo valuiſſe perhibetur (ALBRECHT *Eph. N. C. Dec. 3. A. 5. 6. Obſ. 20. p. 50. ſq.*). Quantum vero liquet, de tota planta ſermo eſt. Aqua infuſi, vel in ſucco vel et aqua inde deſtillata, in inflammatione exulceratione et debilitate oculorum, olim in vſu fuerunt.

Hinc

Hinc et aqua apud Gallos Caſſelunette vocata (CHOMEL *Uſuelles T. 2. p. 88.*). Infuſum florum aluum laxare auctor eſt BOEHMER(*Diſſ. de pl. indig. p. 28.*).

Pro odoramentis ſiccis (Pot pourri) ornamentum ſolitum ſunt, et morſulis ſimili de cauſa inſperguntur. Pictoribus quoque non ſpernendi; modus colorem extrahendi docetur in GENTL. MAGAZ. *a. 1748. m. Mart.*

Maior ſine dubio vis *herbae* et *ſemini* ineſt, vt quae amara.

PRAEPARATVM.

AQVA FLORVM CYANI. Exoleuit.

35.

Pharm. BEHEN ALBI *Radix.*

Centaurea Behen; calycibus ſcarioſis; foliis radicalibus lyratis lobis oppoſitis, caulinis amplexicaulibus LINN. *Sp. pl. p. 1292.* Serratulae affinis, capitulo ſquamoſo luteo, vt et flore C. B. Behen album ID. Iacea orientalis patula carthami facie flore luteo magno TOVRNEF. *Coroll. inſt. rei herb. 32.* Icon: RAVWOLF'S *Reiſe p. 288. T. 288.* Pl. annua, creſcens ad radices montis Libani vmbroſo et aquoſo ſolo, vti et in Aſia minori.

An BEHEN ALBVM ſ. BEHMEN ABIAD Arabum, quod idem creditur ac ερμοδακτυλος λευκος Graeco-

Graecorum recentiorum, ex hac planta ſit: nondum conſtat; RAVWOLFIVS (*l. c.*) probabile reddidit. Non mihi ſatisfacit philologica eruditio THOMAE HYDE (*Hiſt. religionis veter. Perſarum, Oxon. 1700. p. 502.*) qui ſeductum illum fuiſſe ab alio, vel Syrorum Behmen diuerſum eſſe ab eo Perſarum arbitratur, ſed mancis vnice deſcriptionibus quorundam Arabum auctorum nixus. Ex Cucubulo Behen contra eſſe, vel hunc ſaltim absque magno vitio ſubſtitui DALEO (*Pharmacol. p. 252.*) placet.

Vix in pharmacopoliis amplius exſtat. Quae ibidem occurrit RADIX conſtat ex fruſtis digitum craſſis rugoſis extus cinereis interne albis, ſaporis acris, odoris. (GEOFFROY *M. m. Traité T. 2. p. 29.*). Arabes apud HYDE (*p. 509.*) qui radicem *Tab. 7.* depingit, adſcribunt illi odorem aromaticum, ſaporem vero glutinoſum et leuiter ſtipticum, coloremque tam interne quam externe album. Celebrant Arabes eundem ob vim roborandi, pinguefaciendi, feminis ſecretionem augendi, et, praeter alias virtutes, tremori mederi perhibent. Perſis quoque valde aeſtimata radix, quam vna cum Behmen rubro feſto quodam die celebriori inſpergunt frugibus et carnibus coquendis, cum herbis et ſaccharo candi contuſis comedunt, Behmen inſuper album contundentes cum lacte ebibunt, vt memoriam acuant. (HYDE *p. 257.*)

36.

Pharm. CARDVI BENEDICTI *Herba; Semina.*

Centaurea benedicta; calycibus duplicato-ſpinoſis lanatis inuolucratis, foliis ſemidecurrentibus denticulato-ſpinoſis LINN. *Sp. pl. p. 1296.* Carduus ſylueſtris hirſutus ſ. Carduus benedictus C. B. Icon: BLACKWELL *T. 476.* Pl. annua in Hiſpania, Chio, Lemno, creſcens, colitur quotannis in hortis pharmaceuticis.

HERBA intenſe amara cum odore ingrato, qui in ſiccata facile perit. Infuſum aqua frigida breui tempore factum gratam amaritiem prae ſe fert, diuturniori autem aquae ſuper planta ſtatione ingratum, decoctum fortius valde nauſeoſum. Spiritus vini minus nauſeoſi extrahit quam aqua, licet pariter amareſcat. In extracto aquoſo exſudat poſt aliquam moram ſal amarum nitro ſimile (LEWIS *M. m. p. 183.*. Sal commune continere alibi (*Hiſt. de l'ac. d. ſc. de Berlin 1747. p. 79.*). Nomen pretium indicat, in quo olim habita ſtirps. Hodie minus crebro praecipitur, niſi in extracto. Eximium ſtomachicum in infirmitate ventriculi et, dum grauatur a pituita, praeſentanei effectus, nec ita calidum, vt amara ſolent; quo fine infuſum tenue conducit (LEWIS). Obſtructiones viſcerum reſerat eademque roborat, hinc et in ictero proficua. In

inter-

intermittentibus, ſicut alia amara, ſaepe auxilio fuit, ita vt quibusdam ſpecifica viſa. Alia laus eſt in malignis, quin in ipſa peſte (MATTHIOL. in DIOSC. *p. 594.*). Si putredo ſubeſt, amaritie eam corrigit. Inter anthelmintica quoque locum obtinuit. Sudorem blande pellit. Decoctum vomitum excitat, et infuſum ſaturatum ſolet vomitus adiuuandi cauſa bibi. Nolo in pleuritide ad conſilium GEOFFROY (*M. m. Traité T. 5. p. 446.*) adhiberi, quum minus calidis opus ſit. Attamen et nouiſſime iterum Extractum cardui benedicti ſolum ad ſcrupulos quatuor ad minimum quotidie datum, praemiſſa venae ſectione, millies pleuritidem et peripneumoniam curaſſe narratur (LANGE *miſc. verit. p. 76.*). In puluere vel infuſo optime exhibetur.

Vtinam vera eſſent, quae de vſu eius in cancro recenſentur, a quo mulier, cuius mammae ad coſtas vsque conſumtae fuerint, aqua deſtillata et inſperſo foliorum puluere ſanata dicitur (IO. BAVH. *Hiſt. T. 3. p. 79.*). Ita et homo conualuiſſe fertur vlceribus tibiae ad oſſa vsque profundis infeſtatus emplaſtro impoſito, quod cardui benedicti folia excepit (ARNOLD. DE VILLA NOVA *pract. c. 44.*). In pernionibus conferre, eos decocto ſaturatiori calido fouere. (FRIEND in *Lond. Chron. 1767. p. 536.*).

SEMINA oblonga, leuiter incurua, baſi ad latus exſecta, ſtriata, ſupra margine ferrato coronata, cortice griſeo amaro veſtita, intra quem medulla alba,

dulcis. Ad ſudorem pellendum exhibita; item ad eruptionem variolarum et morbillorum accelerandam (GEOFFROY *l. c.*), qui vero morbi raro ſtimulo egent, et ſi egent, efficaciorem certe requirunt. Emulſionis forma conuenientiſſima. Opus vero habet ad minimum decuplo aquae et griſea euadit (CARTHEVS. *M. m. T. 1. p. 530.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA CARDVI BENED. Euiluit, iure ob inertiam.

ESSENTIA, *Ph. W. p. 78.* Efficax, eſſentiae Abſynthii viribus aemula.

EXTRACTVM *Ph. W. p. 88.* Vtile. Forma pilulari vel in elixirio, vt ſolent eiusmodi amara, datur, ad vires reſtituendas. In febribus intermittentibus inſignis efficaciae, vt ſimilia, in liquore terrae foliatae tartari ſolutum, addita aqua deſtillata et ſale medio ad mentem ELLERI (*Obſ. de cogn. et cur. morb. p. 89.*).

SAL. Incineratione paratum, alcalinae igitur indolis et eiusdem virtutis, ac ſal Abſynthii.

SYRVPVS *Ph. W. p. 206.* admiſcetur aliis medicamentis.

37.

Pharm. CALCITRAPAE *Herba*; *Radix ſemina.*

Centaurea Calcitrapa; calicibus ſubduplicato-ſpinoſis ſeſſilibus, foliis pinnatifidis linearibus dentatis,

tis, caule piloſo LINN. *Sp. pl. p. 1297.* Carduus ſtellatus, foliis papaueris erratici C. B. Hippophaeſtum COLVMN. *phytobaſ. 85. Tab. 24.* HILL'S *veg. ſyſt. Tom. 4. Tab. 17.* Pl. annua, creſcit in oriente, Italia, Gallia, Anglia, Heluetia, Germania.

HERBA amara. Fuit condimentum agni paſchalis apud Iudaeos, (Morreir *Exod.* 12. 8.) quod, Lat. azymi, plantae amarae, Graece πικρις (IO. HEINR. MICHAELIS *Bibl. Hebraica*), Germ. bittern ſalſen vertitur. Perperam creditum eſſe Lepidium latifolium, nam Calcitrapa adhuc hodie eidem vſui in Arabia inſeruit (FORSKÂHL in LINN. *Diſſ. Obſ. in mat. med. p. 5.*). Caules iuniores edules m. Februario et Martio in Aegypto (FORSKÂHL in NIEBVHR'S *Beſchreib. von Arabien Praef. p. 44.*). Febres intermittentes ſuccus ad vncias quatuor vel ſex initio horroris potus (TOURNEF. *pl. de Paris T. I. p. 22.*), vel puluis herbae ad drachmam vnam vel extractum ad duas fugat (GEOFFROY *M. m. Traité T. 5. p. 415.*). *Flores* autem Chinae radicis (corticem ſubintellectum arbitror) vicem ſupplere in febribus dictis indicat SEGVIER (*Flor. Veron. T. 2. p. 154.*). Efficaciam plantae in hisce ex BAPTISTA SARDO iam memorat IO. BAVHINVS (*Hiſt. T. 3. p. 90.*). Succus maculas oculorum delet (TOURN. *l. c.*).

RADICIS cortex colicam nephriticam, drachma vna vino infuſa et ad menſis cuiuslibet finem pota,

ſubiuncto veſperi infuſo carminatiuo, in illuſtri Gallo olim ſopiuit, adeo vt et TOURNEFORTIVS (*l. c.*) totum medelae genus denuo deſcribere operae duxerit pretium. Sed vereor, ne bona pars virtutis infuſo carminatiuo veſperi ſumto adſcribenda, vt ne dicam dierum ſelectum ſuperſtitionem redolere. Attamen et AVGENIVS plantam contra calculum impenſius praedicat (I. BAVH. *l. c.*).

SEMINA vrinae difficultati ſubueniunt (I. B.); imo cruentum mictum excitarunt (LOBEL *n. ſtirp. adu. p. 372.*). Vino ad drachmam vnam infuſa a pituita vias vrinarias liberant (TOURN. *l. c.*).

β. SEMIFLOSCVLOSAE.

CICHORIVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 602. Gen. plant. p. 406.*

38.

Pharm. CICHOREI *Herba; Radix; Semina; Flores.*

Cichorium Intybus; floribus geminis ſeſſilibus, foliis runcinatis LINN. *Sp. pl. p. 1142.* Cichorium ſylueſtre ſ. officinarum C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 177. et 183.* Pl. biennis, creſcens vbiuis in apricis ad vias agrorumque oras. Colitur vero in vſum oeconomicum.

Toti plantae, vt affinibus, ineſt ſuccus lacteus, amarus, isque quidem in fera planta quam in culta amarior. Hinc ſatiuae, quae procerior et omnibus parti-

partibus maior, ſaepe ex rubro variegata, herba acetarii inſtar editur, prout radix cocta. Recentius quoque eiusdem radix Coffeae in modum toſta huius vires ſuppleuit. In vniuerſum vero ſemifloſculoſae vi lactis, quo ſcatent, (exceptis modo Lactuca viroſa et Scariola) in hiſce ſtirpibus inſontis, ſaponaceam virtutem exercent, tenaces humores et obſtructiones inde natas blande reſoluendo et aperieudo, idque ſine omni calore, dumque obſtacula tollendo pacatiorem liquidorum motum reddunt, leuiter anodynae videntur. Crebro igitur haec planta in ictero, cachexiis, malo hypochondriaco, melancholia, hectica, vſu venit. De decocti radicis in phthiſi efficacia exemplum legimus (*Eph. N. Cent. 5. Obſ. 79.*), ſed ob additum lac caprinum dubium. Foliis in acetario comeſtis ſubinde rebelles febres intermittentibus deuictae (GEOFFROY *M. m. Traité T. 6. p. 61.*). Huius ſimiliumque ſtirpium decocto meraciſſimo, ſero lactis facto adiecto ſale polychreſto et ſyrupo, icterus ex bilis calculo ſaepe diſparuit (SWIETEN *Comment. T. 3. p. 137.*). Vlcus quoque antiquum tibiae infuſo huius plantae ſanatum (BÜCHNER *miſcell. a. 1729. p. 725.*). Optimus modus eam exhibendi eſt vel in ſucco ex tota ſtirpe expreſſo, vel decocto. Extractum quoque ferri poteſt (LEWIS *M. m. p. 214.*). Sed largiori copia opus eſt. — Succum veteres oculis in debilitate viſus corrigenda inſtillarunt (MARCELLVS).

RADIX ex trunco pollicari emittit copiam fibrarum, et ſub cuticula ſubfuſca carnem albam recondit. Additur decoctis in febribus acutis, et intrat quoque LOWERI decoctum auenaceum.

SEMINA angulata, minora, fuſca, altera parte abrupta. Sunt ex numero *Seminum quatuor frigidorum minorum.*

Flores vix vltra conſeruam adhibentur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA CICHOREI. Omittunt iam vſitata diſpenſatoria, nec immerito.

SYRVPVS DE CICHOREO CVM RHEO *Ph. W. p. 207.* Ex radicibus. Purgans conſuetum tenellorum; addi quoque mixturis et decoctis purgantibus ſolitum.

39.

Pharm. ENDIVIAE *Herba; Semina.*

Cichorium Endiuia; floribus ſolitariis pedunculatis, foliis integris crenatis LINN. *Sp. pl. p. 1143.* Cichorium latifolium ſ. Endiuia vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 378.* Pl. annua patriae ignotae, ſed in hortis creberrime culta.

HERBA. Vix vnquam medico ſcopo praeſcribitur, ſed vel pro acetario folia ſunt vel cocta eduntur, duplici varietate, poſtquam, foliis apice colligatis, interiora palluerint. Quoniam vero lacteo ſucco turgent, et Intybo ſtirps proxime iungitur: vires quoque eiusdem mentitur. Amaritie autem illi cedit.

SE-

SEMINA Endiuiae vel Scariolae nomine etiam inter *quatuor frigida minora* occurrunt. Demulcere et temperare credita.

SCORZONERA.

LINN. *Syſt. veg. p. 593. Gen. pl. p. 399.*

40.

Pharm. SCORZONERAE *Radix.*

Scorzonera humilis; caule ſubnudo vnifloro foliis lato-lanceolatis neruoſis planis LINN. *Sp. pl. p 1112.* Scorzonera humilis latifolia neruoſa C. B. Icon: BVXBAVM. *Cent. 2. Tab. 21?* Pl. perennis, creſcens in pratis apricis.

Radicem ex dicta ſpecie deſumere ſtudioſe ſuadet LINNEVS (*Weſtgôta reſa p. 74.*) cui vero vulgo ſubſtituunt pharmacopolae *Scorzoneram hiſpanicam* L., quae mere oleracea eſt, et in omni horto culinari colitur. Huius radix longa, pollicem craſſa, intra cuticulam nigram carnem albam dulcem lacteſcentem comprehendens. Sicca extus rufeſcit et ſapore fere omni deſtituitur. Recens, deraſa cute, in vſum culinarem coquitur, gratumque et ſalutare nutrimentum conſtituit. Altera ex *humili* maxima, lignoſa, annulata, ſubamara, lacteſcens, vt inde iam reſoluere quodammodo coniicias. In hypochondriaco malo placuit WELSCHIO (*Miſcell. p. 43.*), in aſthmate decoctum radicis recentis REDIO (*Oper. T. 6. p. 87.*).

Magis adhuc merito dubites de efficacia ſcorzonerae hiſp. ſerpentum venenum eneruandi, cui iam ODORICVS MELCHIORIVS poſt medium ſeculum 16. (MATTHIOL. *Epiſt. l. 5.*) et MONARDES (*de lap. bez. et ſcorzonera in* CLVS. *exotic. l. 10.*) tantum tribuit. Nec quae de vi alexipharmaca ſcorzonerae montanae traduntur (VOLCAMER *Eph. N. C. Dec. 2. A. 1. Obſ. 181. p. 422.*) maiori fide digna ſunt. Qualiscunque radix ſit, medicis hodie vix vltra ptiſanas in morbis acutis vſu venit, in quibus, praeter mitem attenuandi et reſoluendi vim, farinacea ſua natura liquidum potandum diutius intra corpus retinet, quo tanto efficacius humectare vaſa et impacta, et diluere ſanguinem in coagulum procliuem, poſſit. Qua in exiſtimatione olim fuerit ſcorzonera, praeter dicta, ex IOH. MELCH. FEHR *ancora ſacra vel Scorzonera Wratiſl. 1666. 8.*) elucet.

TRAGOPOGON.

LINN. *Syſt. veget. p. 592. Gen. pl. p. 398.*

41.

Pharm. TRAGOPOGI *ſ.* BARBAE HIRCI *Radix.*

Tragopogon pratenſe; calycibus corollae radium aequantibus, foliis integris ſtrictis LINN. *Sp. pl. p. 1109.* Tragopogon pratenſe luteum maius C. B. Icon: HILL's *veget. Syſt. T. 3. Tab. 113.* Pl. biennis in pratis frequens.

RA-

RADIX eius longa ſenſim extenuata, dulcis ſaporis. Planta tota lacte abundat. Turiones et caules eius, aſparagi in modum, cocti vere eſitantur (BRADLEY *lady direct. p. 109.*); cui ſcopo et radix commoda (LINN. *Fl. Suec. p. 267.*), ſapida et nutriens; vnde et hortenſis. Praeferri vero ſolet Radix *Tragopogi porrifolii* L. quae ſcorzonera dulcior ſimulque flatulentior. In ſelectu radicum diſcrimen pharmacopolae vix curant. Neutra vero multum virium aegris promittit, ſed leuiter ſaponaceae ptiſanis fere vnice excipiuntur.

LEONTODON.

LINN. *Syſt. veget. p. 596. Gen. plant. p. 402.*

42.

Pharm. TARAXACI *Radix; Herba.*

Leontodon Taraxacum; calyce ſquamis inferne reflexis, foliis runcinatis, denticulatis laeuibus LINN. *Sp. pl. p. 1122.* Dens leonis, latiore folio C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 574.*. Pl. perennis, vulgatiſſima ad vias et in paſcuis.

Efficacia omnes fere ſuae gentis haec ſuperat. Lac vehit valde amarum, in radice amarius (HALL. *Hiſt helv. n. 56.*). Communis RADICI, HERBAE et ſcapis virtus eſt. Viſcidos nimirum tenacesque humores ſtirps ſoluit et obſtructa vaſa referat, eruptionem variam cutaneam ſanat, lotium inſuper mouet,

vnde et Lectiminga dicta, aluumque laxiorem reddit. Radix fusiformis, constans ex epidermide nigra et carne alba. Succus plantae expressus, ad vnciam vnam et dimidiam quin tres quotidie vere ingestus, sanguinem crassum et lardosa crusta tectum soluit, ita vt hic m. Iunio iterum missus iustam fluiditatem repraesentauerit (DELII *Diss. de Taraxaco p. 19.*). Hic idem succus vel solus vel cum sero lactis mixtus vel decoctus in ictero insignis efficaciae est (v. SWIET. *Comm. T. 3. p. 102.*). Succo huius et fumariae femina ab infantia leprosis exanthematibus tentata aliis frustra adhibitis conualuit (LEIDENFROST *Diss. de succis herb. rec. p. 27.*). Contra herpetem quoque valuit (FEBVRE *Chemie 2. p. 408.*). Solo succo taraxaci hydrops in duobus militibus dispulsus (BONAFAS in HAVTESIERCKII *Recueil d'Obserat. T. 2. p. 360.*). Maculas corneae abstergit (ETTMÜLLER). Viscerum obstructiones radix liquauit et febrem intermittentem inde natam profligauit in decocto saturato cum radice graminis addito oxymelle et sale polychresto, exemplo memorabili (DE HAEN *rat. med. P. II. p. 4.*). Sic et decoctum radicis fere solum hydropem curauit, renum calculos expulit et phthisin coërcuit ex hepatis induratione oriundam (*Fränk. Samml. T. I. p. 226.*), et in quacunque scabie decoctum herbae et radicis copiosius ingestum laudem tulit (*l. c. p. 126.*). Vnguentum ex radice axungia porcina paratum in scrophulis depraedicatur (MA-

LOVIN *Chemie L. 2. p. 365.*). Radices vſtulando pauperes et hic Gottingae infuſum, Coffeae quodammodo ſimile, ſibi parant.

Folia primo vere pullulantia acetarii genus conſtituunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM TARAXACI. Miror, quod inter extracta *Pharmacopoeae Wurt.* non occurrat et in *Pharm. Brand.* in catalogo tantum, cuius tamen efficacia in obſtructionibus referandis maxime celebranda. Paratur ex radicibus aqua coctis, quae probe impraegnata colatur et calore in iuſtam formam inſpiſſatur. Ante paucos annos Stockholmiae mollius extractum in obſtructionibus viſcerum, ictero, aluo ſtrictiori, ad cochlearia tria vel quatuor minora quouis mane inclaruit (ill. A ROSENSTEIN in litteris d. 20 Iul. a. 1765. mihi exaratis). In tuberculis pulmonum praeſtans, ad mentem etiam ill. ZIMMERMANNI in litteris confirmatam. Exemplum obſtructionis hepatis eo et ſuperbibita mulſa ſublatae dedit HIRSCHEL (*med. Nebenſtunden p. 59.*).

AQVA TARAXACI PER FERMENTATIONEM parata, vel ſpontaneam vel vinoſam DELII *Diſſ. cit. §. 12. 13. 14. 15.* Aquam vinoſam in febre lenta vel hectica in virgine ad vncias 4, 6, 8 (*loc. cit. §. 32.*), porro in pectoris hydrope, in aſthmate, tuſſi atrophicorum et rachiticorum cum obſtructione glandularum meſen-

meſenterii, lotii retardatione, in oculorum inflammatione, optimo ſucceſſu adhibuit.

LACTVCA.

LINN. *Syſt. veget. p. 594. Gen. pl. p. 400.*

43.

Pharm. LACTVCAE *Herba; Semen.*

Lactuca ſatiua; foliis rotundatis caulinis cordatis, caule corymboſo LINN. *Syſt. veg. p. 595.* Nomen C. B. idem. Θριδαξ Graecorum. Icon: BLACKWELL *Tab. 88.* Pl. annua ignotae patriae, ſed vbiuis in hortis culta.

HERBAE, cuius plures varietates horticolae ſectantur (LINN. *Amoen. T. 4. p. 546.*), frequentior a ſanis inter prandia, quam aegris vſus fit. Eliguntur cibario fine folia tenella in globoſam formam congeſta, antequam cauleſcat ſtirps, reſecta; ſenſim enim amareſcit planta lacteoque ſucco repletur; vnde et nomen. Acetarium eſt vulgatiſſimum. Cruda in acetario non a quolibet ventriculo digeri poteſt, nec ſine aromate conſueto piperis, vel foliorum dracunculi vel pimpinellae italicae vel ſedi rupeſtris, florum tropaeoli vel ſimilium, facile palato fatua ſtirps placebit. Cocta facilius digeritur, magisque nutrit. Hypnoticam eſſe iam cognouerunt veteres (DIOSCORIDES (*Lib. 2. cap. 165. 166. p. 44. Ed.* SARRAC.) CELSVS (*Lib. 2. c. 32.*

c. 32. p. 108. Ed. KRAVS.) qui papaueri ideo adiungit, GALENVS (*de aliment. facult. L. 2. c. 40.*), qui ſibi ipſe ſenex inſomnis veſperi lactuca comeſa ſomnum conciliauit. Vnde apud Romanos moris erat lactuca coenam claudere. Non eſt, vt illam vim cum GEOFFROY (*M. m. Traité T. 7. p. 153.*) in nitro latente quaeras, quum duae ſpecies huius generis deleteriae exſtent, Lactuca viroſa et Scariola LINN., a quarum prima opium, ſimile papauerino (*Eſſays of Edinb. T. 5. p. 124.*), parari poteſt, prout ſuccum eiusdem (modo ἀγρία θρίδαξ ſit eadem) meconio permiſceri DIOSCORIDES (*l. c. cap. 166.*) auctor eſt. Virus igitur opio haud abſimile ineſſe inde apparet, quod odor ingratus vlterius confirmat. An inde et deriuanda vis venerem exſtinguendi, quam iam antiquitas experiri tradidit, qui copioſius lactucam ingerunt? Retulit hoc de feminibus DIOSCORIDES. De herba idem Romanorum iudicium, vt vel ideo ſenſim ſuſpecta euaderet. Et abſtinentia a veſpertino lactucae ſibi placentiſſimae vſu a LOBELIO, Anglo cuidam illuſtri commendata, fertur ille, antea improlis, intra annum grauiditate coniugis exhilaratus (LINN. *l. c.*). Contraria hisce videtur foecunditas egenorum, qui per aeſtatem vix alia, quam fatua ex lactuca, coena vtuntur.

Blande reſoluit, vt affines, aperit, refrigerat detergitque. Hinc in obſtructionibus viſcerum, tarditate alui, hypochondrico malo celebris iam olim fuit.

Et

Et ab hoc proxime dicto malo eius praecipue ope AVGVSTVM CAESAREM liberaſſe dicitur ANTONIVS MVSA, ſtatua ideo honoratus. A pertinaci tertiana VAILLANT (*Botan. pariſ. praef.*) largiori eſu febrem intermittentem, inſtinctu allicitus, in ſe curauit. Solet ſucci in primis forma pro medicina eſſe.

SEMEN oblongum compreſſum, vtrinque acutum, ſtriatum, ſubgriſeum. Deſueuit vſurpari. In emulſionibus ad inſomnia venerea diſpellenda, ardorem ex lotio mitigandum et ſomnum conciliandum. Locum inſuper inter *Semina quatuor frigida minora* obtinuit.

SONCHVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 594. Gen. pl. p. 400.*

44.

Pharm. SONCHI *Herba.*

Sonchus oleraceus; pedunculis tomentoſis calycibus glabris LINN. *Sp. pl. p. 1116.* Sonchus laeuis laciniatus latifolius C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 130.* Pl. annua in ruderatis creſcens, hortorum vulgare vitium.

Sub hac ſpecie plures varietates militant, quae omnes, vt congeneres plantae, lac amarum fundunt. In tanta copia ſimilium obliuioni fere tradita. Ad taraxacum vires HERBAE praecipue exigit LEIDEN-

FROST

FROST (*Diſſ. de ſuccis herb. rec. p. 30.*). Hieme folia pro acetario hinc inde colliguntur (LINN. *Fl. ſocc. p. 269.*). Gratum vaccarum et cuniculorum pabulum.

HIERACIVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 597. Gen. plant. p. 402.*

45.

Pharm. PILOSELLAE ſ. AVRICVLAE MVRIS *Herba.*

Hieracium Piloſella; foliis integerrimis ouatis ſubtus tomentoſis ſtolonibus repentibus, ſcapo vniflo-ro LINN. *Syſt. veg. l. c.* Piloſellae maior repens hirſuta C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 365.* Pl. perennis in collibus apricis et ad vias vbiuis.

Herba eſt ſiccior aliis ſemifloſculoſis, amara et ſubadſtringens. Hodie ſpreta. Olim ad alui profluuia et ſanguinis profuſiones ſedandas recepta, item in vlceribus internis et phthiſi aeſtimata, herniis quoque applicata; puluis in haemorrhagia narium iisdem attractus. Sed meliora proſtant.

γ. DISCOIDEAE.

GNAPHALIVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 620. Gen. pl. p. 419.*

46.

Pharm. STOECHADIS CITRINAE *Flores.*

Gnaphalium arenarium; herbaceum, foliis lanceolatis, inferioribus obtuſis, corymbo compoſito caulibus ſimpliciſſimis LINN. *Sp. pl. p. 1195.* Elichryſum ſ. Stoechas citrina latifolia C. B. Icon: BLACKWELL *T. 241.* Pl. annua, in locis aridis ſabuloſis creſcens.

Flores inuſitati; et pauca certa de eorundem virtute conſtant. Subadſtringunt. Lego obſtructiones viſcerum reſerare, catarrhum diſſipare, lumbricos fugare rel. (SCHROED. *Theſ. p. 696.*). Ictero mederi DALE (*Pharmac. p. 98.*). Nolo repetere nimis multa, quae habet ZORN (*Botanol. p. 650.*). Non debet confundi cum Stoechade arabica.

47.

Pharm. GNAPHALII ſ. HISPIDVLAE ſ. PEDIS CATI *Flores.*

Gnaphalium dioicum; ſarmentis procumbentibus, caule ſimpliciſſimo, corymbo ſimplici terminali flori-

floribus dioicis LINN. *Sp. pl. p. 1199.* Mas: Gnaphalium montanum flore rotundiori C. B. Femina: Gnaphalium montanum longiore et folio et flore C. B. Pl. annua in locis ſiccis apricis reperiunda.

Flores obſoleti. Adſtringunt leuiter et ſiccant. In tuſſi conuulſiua laudati, neſcio qua fide, in exulceratione pulmonum, in haemoptyſi. Syrupus praecipue adhibitus (DALE *Pharmac. p. 99.*) Cum pane butyraceo vitulis in diarrhoea dati. (LÖSEL.)

CONSERVA FLORVM PEDIS CATI *Cod. medit. Pariſ. p. 54.*

ARTEMISIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 618. Gen. pl. 418.*

48.

Pharm. SANTONICI ſ. CINAE *Semen* ſ. *Semen contra* ſ. *Semen ſanctum.*

Artemiſia iudaica; fruticoſa, foliis obouatis obtuſis lobatis paruis, floribus paniculatis pedicellatis. LINN. *Syſt. veg. l. c.* Abſynthium Santonicum iudaicum C. B. Frutex in Palaeſtina creſcens. Dubitanter modo huic ſpeciei LINNEVS (*Mant. p. 111.*) ſemen Santonici tribuit, vlterius poſtea (*Mant. p. 281.*) deſcriptae.

In *Pharmacopoea Wurtenb. p. 86.* etiam ſemen Zedoariae dicitur. Vt diuerſum vero hoc nomine

mine insignitum proponit ill. A ROSENSTEIN (*Bskd. p. 359.*) licet vtrumque, semen contra vermes (*Maskfrö*), vocet. Sunt qui inter *alepense*, quod iudicatur optimum, *orientale* s. *indicum*, quod praecipue constat exiguis flosculis, *barbarum* s. *africanum*, quod cauliculos maxime continet, distinguunt (SPIELM. *Mat. med. p. 209.*). In officinis prostat SEMEN oblongum, leue, cui copia cauliculorum et membranularum admixta est, coloris ex viridi bruni. Isto verum minutius est et praeferendum, etsi cauliculis et foliorum particulis nimium commixtum, ita vt ipsius seminis pauxillum modo adsit. Substitui ideo LINNEVS semen artemisiae campestris iubet (ROSENSTEIN *l. c.*). Ex Natolia semen santonici transfertur. Sapor eiusdem valde amarus et subacris, et odor fortis, peculiaris. Communi consensu anthelminticum reputatur, infantibus praesertim dicatum. In infuso saturato aqua facto intra 5 horas secundum BAGLIVIVM (*Oper. p. 60.*), intra 7 ad 8 horas autem secundum REDIVM lumbrici viui necati, quum contra ea in amarioris longe absynthii decocto per 30 et in infuso agarici per 36 horas viuere pergerent (REDI *de animal. viu. p. 159.*); vt igitur euidens sit, non solam amaritiem vermibus in santonico infestam esse. Vario modo infantibus porrigitur, vel mane ad cochleare vnum vel bina pro thea in pulvere, pani butyraceo vel pani melle oblito inspergendo; vel ingeruntur eius cochlearia similia duo lacte natu-

naturaliter tepido; vel boli ex ſemine cum lacte formantur ſyrupo corticum aurantiorum humectandi. Maxime prodeſt ſub initium vel finem decreſcentis lunae per tres dies datum, ſubiuncta tinctura Rhei per duo ſubſequos dies. Adulti ad cochleare vnum maius ſumant interpolando laxans, quibus taenia adeo nonnunquam eliminata fuit. (ROSENSTEIN *Hus-och Reſe-Apot. p. 90.*) Drachmam vnam pro doſi aſſignat LINNEVS (*Mat. med. p. 183.*) Infuſum ſpiritu vini factum, et in extractum inſpiſſatum, magis conſeruat odoras partes, aquoſum autem infuſum et extractum amaritiem. Hinc ſi vermium ratio habetur, illud, ſi amarities in cenſum venit, hoc praerogatiuam habet (LEWIS *M. m. p. 209.*) Morſuli contra vermes, quos circumforanei vendunt, et quibus intra paucas horas vermes expellunt, conſtant ex ſeminibus ſantonici minutis oblongis, ſedulo ſeparatis a ſolitis quisquiliis, quorum drachma dimidia miſcetur cum aequali quantitate rhabarbari; inde addito ſaccharo morſuli et rotulae formantur (LANGE *Miſcell. verit. p. 116.*) Stomachi imbecillitati mederi, vt quidam volunt, nihil eſt quod diſſuadeat, etſi eo fine iam non adhibeatur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONFECTIO. Saccharo incruſtatum ſemen. Palato absque virtutis diſpendio fauet.

amarus. Extractum ſale tartari tritum mox odorem volatilem ſpargit, vnde ſal ammoniacum ineſſe apparet (SVLZER *Diſſ. An in plantis ſal eſſentiale ammoniacum? Gott. 1769.*) Efficax inde a veterum tempore habita, quorum DIOSCORIDIS nempe et PLINII ponticum videtur noſtrum eſſe, GALENI autem Artemiſia pontica L. Calida eſt, vt amara ſolent, praeſertim odora ſimul. Stomachum roborat, acidum primarum viarum infringit, prout cereuiſiam aceſcentem dolio immiſſa corrigit (LINN. *Am. acad. 2. p. 179.*), et ruri ad acorem arcendum humulo ſubſtituitur. (LINN. *om. Oehl* in *Vet. Acad. Handl. Vol. 24. p. 54.*) etſi non ſine inebriationis moleſtia (LINDESTOLPE *de venenis p. 547.*). In intermittentibus febribus praeſtantiae ſingularis fuit, praegreſſa primarum viarum repurgatione, ſuccus herbae recentis cum aliquot caryophyllis aromaticis contuſae ad cochleare dimidium in vehiculo vinoſo aliquoties extra paroxyſmum datus (*Comm. Nor. 1734. p. 225.*). Vt alia amara ſeſe probauit in hiſce febribus herba HEVERMANNO (*Bemerk. u. Unterſ. B. I. p. 20.*) Hypochondriacis et ictericis (HEIDE apud HALLERVM *Hiſtor. ſt. helu. n. 124.*); opitulatur, et pertinaces hepatis ſplenisque obſtructiones reſoluit, contra quas et pilulae ex extracto abſynthii et ſapone commendandae (LANGE *Brunſv. dom. p. III.*). Podagrae obuiam ire propria experientia confirmat ill. AB HALLER (*loc. cit.* et in BOMA-

RE

RE *Dict. T. I.*) Et in affini malo, calculo, essentia quolibet mane ad cochleare vnum per sesquimensem, dein singula hebdomade per dimidium annum, data duplici exemplo curationem absoluit, (LINN. *Am. acad. T. 2. p. 160.*). Scorbuti quoque et conuulsionum praecipue in eo natorum medela est efficax aqua vino vel cereuisia infusa (EVGAL. *de scorb. p. 83.*). Initia hydropis dispulsa fuerunt ea (FEHR *Absynth. p.* 117. HALL. *l. c.* etiam in BOMARE *l. c.*), vt adeo sola sanando malo sufficerit. Huc pertinet exemplum feminae asciticae et hydrope anasarca grauatae, quae infusione summitatum absynthii et baccarum iuniperi cum cereuisia pro sitis necessitate pota conualuit (HEISTER in HALL. *Disput. anat. Vol. 6. p. 713.*). Duo alii hydropici solo succo absynthii sanati (*Misc. Nat. Curios. Dec. I. Ann. 3. Obs. 322.*). Contra vermes suetum remedium, licet non specifica quadam vi, prout experimento Rediano colligitur, effectum exserat (V. supra *pag. 114.*) Essentia paroxysmus ex taenia mitigatur ad cochleare vnum vel supra data (ROSENST. *Bskd. p. 349.*). An, ex repetita querela, neruis inimica sit, adeo vt sub nimio vsu caput grauaret, oculis noceret et virilem potestatem labefactaret maciemque afferret, de eo adhuc ambigitur. De se ipse affirmat LINDESTOLPE (*l. c.*) se per vitam neque extractum neque essentiam ne gustare quidem potuisse absque praesentissimo capitis dolore, oculorum in-

flammatione ac rubore, idque in aliis multis ſeſe obſeruaſſe; ſimilia exempla collegit eiusdem libri editor (STENZELIVS). Attamen ex protracto iſto ſupra dicto vſu eiusmodi incommoda non percepit ill. A LINNE.

Exhibetur igitur vel in puluere ad drachmam dimidiam, cui ſaccharum admiſcetur, vel in infuſis, quorum aquoſum frigide paratum calido gratius. Efficaciſſimum eſt ſemiuinoſum. In vniuerſum autem abſynthium gratioribus amaris cedere oportuit.

Externe herba recens oedematibus diſcutieudi ſcopo imponitur (LÖSEKE *M. m. p. 151.*). Ob vim putredinem coërcendi, gangraenam aqua marina, cui herba incocta, ſubegit (BARTHOL. *Eph. N. C. Dec. I. ann. 2. Obſ. 2. p. 2.*)

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

CONSERVA ABSYNTHII *Ph. W. p. 39.* Praeſtans, omnes virtutes Abſynthii colligens.

AQVA DESTILLATA *Ph. W. p. 6.* Parum amara, ſed fragrans. A BOERHAAVIO (*Chem. T. 2. p. 68.*) in defectu bilis, ventriculi debilitate et aduerſus vermes laudata.

EXTRACTVM *Ph. W. p. 87.* Ex ſummitatibus aqua maceratis ſuccoque inde elicito, inſpiſſato. In pilulis et elixiriis commodum. Amarities vero ſola ſupereſt.

ESSEN-

ESSENTIA SIMPLEX *Ph. W. p. 74.* Ex ſummitatibus ſpiritu vini digeſtis. Eſt vulgare ſtomachicum et vermifugum ad drachmam vnam ſupraque pro doſi ex vino.

ESSENTIA COMPOSITA *l. c.* Alia aromatica et amara recipit. Hinc minori doſi propinatur.

OLEVM DESTILLATUM *Ph. W. p. 128.* Ex herba recenti coloris viridis, ex ſicca coloris bruno flaui (FR. HOFFM. *Opuſc. phyſ. chem. p. 9.*). Quantitas vberrima redundat tempeſtate pluuioſa et ſolo humido (GEOFFR. *Mem. de l'ac. des ſc. de Paris 1721.*) Huius ſi drachma vna in vncia ſpiritus vini rectificatiſſimi ſoluitur, laudatur tanquam ſedatiuum in doloribus mitigandis, ſomno inferendo et ſpaſmis compeſcendis (FR. HOFFM. *Opuſc. cit. p. 355.*) ſicque et ad ſedandum vomitum conducit (*l. c.*) Stomachicum inſuper eſt liquore minerali HOFFMANNI ſolutum vel in elaeoſaccharo cum vino ad guttulas aliquot datum.

SAL ABSYNTHII *Ph. W. p. 165.* Incineratione herbae elixiuatione et euaporatione paratur. Non huius loci eſt, multis disquirere, vtrum hoc et ſimilia ſalia ignis productum ſint, an potius modo a compedibus ſuis absque vi ſeparata exiſtant. Fauent poſteriori ſententiae experimenta ill. MARGRAFII (*Chem. Schriften T. 2. p. 49 ſq.*) cl. A LELYVELD (*Obſeruationes de ſalibus lixiuis plantarum Vltraj. 1768.*) et cl.

WIEGLEB (*Chem. Verſuche üb. d. alcal. Salze 1774.*) Non videntur ſalia alcalina plantarum multum inter ſeſe differre (GMELIN *Comm. Petrop. T. 5. p. 277.*), etſi plantae varient acidi indole et efficacia, olei natura et ſale eſſentiali, modo rite parata ſint, vt acidum et oleum omnino diſſipentur.

Reſoluit potenter, acidum frangit, lotium mouet. Eximium eſt in intermittentibus febribus, etiam ad mentem BOERHAAVII (*Chem. T. 2. p. 141.*) Confert ſaepe quando corticem per ventriculus non fert, tempore apyrexiae ad drachmam dimidiam pro doſi. Sic diſcuſſit adeo quartanam pertinacem, intermittentes cum hypochondriorum dolore tenſiuo duro, et quotidianas icftero ſtipatas. Detergit colluuiem primarum viarum; imo in intima penetrans hoc ſolum poſt emeſin icterum diſpulit. Quod aliis non idem contigerit euentus, parciori forſitan doſi adſcribendum (GRAINGER *febr. anomala p. 138.*). Ad recidiuas febrium intermittentium ſuperandas ſalis huius grana 10 vel 15 ex aqua ſpadana valuerunt (HAMILTON *de febr. mil. p. 79.*). Multum ſpondet melancholicis phlegmate abundantibus item feminis menſium ſuppreſſione a ſanguine inerti viſcido et chloroſi correptis (GRAINGER). Diureſi, prout ſimilia ſalia, hydropicis opem fert (MONRO *on dropſy p. 33. 58.*)

Sal hoc adito ſucco limoniorum conſtituit *Hauſtum ſalinum* vel *antemeticum* RIVERII ſ. *Mixturam Riue-*

Riuerianum, apud Anglos noſtro tempore praeſertim tam claram. Conſtat ex ſalis abſynthii ſcrupulo vno et ſucci limoniorum cochleari vno (RIVERII *Prax. med. Lib. 9. cap. 7. p. 415.* SYDENHAM *Op. p. 305.*). Gratior redditur ſolutione ſalis abſynthii in aqua aromatica gratiori deſtillata addito ſaccharo, cui admiſcetur pro neceſſitate ſuccus citri. Exempla dedit PRINGLE (*Diſ. of the army p. 309.*) Aſt perinde eſt, quo ſale alcali vtaris et quo acido. Vomitum ſedat in primis eum, qui in febribus malignis contingit (RIVERIVS *l. c.*). Vomitum in ileo compeſcuit mixtura modo, primo loco propoſito, mane et ſero ingeſta (SYDENHAM *Op. p. 77.*). Subſcribit ſua experientia ill. PRINGLE, ſed quauis hora dedit (*Diſ. of the army p. 133.*). Prodeſt etiam ad compeſcendum aeſtum ex ſenſilitate nimia neruoſi ſyſtematis (WHYTT *nerv. diſord. p. 485.*) Vis dependet ab euolutione fixi aëris, ſub qua nerui ſtimulantur, vnde priores motus ſpirituum mutantur (BOERH. *Chem. T. 2. p. 51.*), et fomes putredinoſus vellicans corrigitur (PRINGLE *Diſ. p. 309. et App. p. 78.*). Hinc ebullitionis tempore plerumque hauritur. Sed et extra ebullitionis ſtadium exhibuit Eques A ROSENSTEIN (*Apot. p. 65.*) in Iulapio ex ſale abſynthii aqua ſoluto et citri ſucco ſaturato, cui vinum rhenarum et ſyrupi corticis aurantiorum quantum gratia ſaporis requirit, additur: ſicque vomitum compeſcuit, in febribus intermittentibus loco ſalis digeſtiui

geſtiui fuit, quin vernales hocce ſolo ſopitae, et colicam ex calculo ſedauit.

§ 1.

Pharm. ABSYNTHII PONTICI *ſ.* ROMANI *Herba.*

Artemiſia pontica; foliis multipartitis ſubtus tomentoſis, floribus ſubrotundis nutantibus, receptaculo nudo LINN. *Sp. pl. p. 1187.* Abſynthium ponticum tenuifolium incanum C. B. Pl. perennis in Hungariae inferioris, Sibiriae apricis aridisque locis.

HERBA. Minus amara abſynthio gratiusque odora, magis autem illo aromatica (ad GALENI iudicium *meth. med. L. 11. c. 16.*). Hinc, ſi aroma ſpectetur, ponticum praeferendum. Rariſſimi vſus. Recipit illum tamen

SYRVPVS DE ABSYNTHIO COMPOSITVS *Ph. W. p. 202.* vel ipſe obſoletus.

§ 2.

Pharm. ARTEMISIAE *Herba et Summitates; Moxa.*

Artemiſia vulgaris; foliis pinnatifidis planis inciſis ſubtus tomentoſis, racemis ſimplicibus recuruatis, florum radio quinquefloro LINN. *Syſt. veg. p. 619.* Artemiſia vulgaris maior C. B. Icon: BLACKWELL *Tab.*

Tab. 431. Pl. perennis ad vias et locis ruderatis copiosa. Duplex exstat varietas: *rubra*, caule et flore purpurascente; *alba*, caule et flore albicante. Vires medicae vtriusque eaedem.

HERBA. Longe minus amara, quam solet in hoc genere, suaueolens, si leuiter teritur, praecipue summitates. Parcior nostro aeuo in medicorum formulis, sed veteribus vsitatissima. Et horum quidem in affectionibus vteri praeprimis fidem obtinuit; ad secundinas nimis tenaciter inhaerentes soluendas, teste HIPPOCRATE (*de morb. mul. lib. I.*) ad similem scopum, et ad menstrua partumque accelerandum teste DIOSCORIDE (*Mat. med. Lib. 3. c. 127.*) modo de eadem planta sermo sit. Insessum et potionem commendauit eo fine PLINIVS (*Lib. 26. cap. 10.*) Fomentationes ex eadem vtero salutares pronunciauit GALENVS. Congruit Chinensium feminarum opinio, quae hisce casibus et contra malum hystericum folia recentia lota cocta et oryza saccharoque in pultem mixta instar bellarii ingerunt (TEN RHYNE *de arthr. p. 133.*). Alii arrisit infusum artemisiae et florum chamomillae rom. ad lochia pellenda (*Comm. Noric. 1735. p. 430.*). Danicae aliaeque feminae pro emmenagogo felici euentu adhibuerunt (SIM. PAVLII *Quadripart. p. 227.*). Sinenses herbam recentem contusam ad vlcera consolidanda applicant (OSBECKS *Resa p. 242.*). In cataplasmate vero et puluere insperso

pro

pro ambuſtis fuit (*A. N. C. Vol. 2. Obſ. 195.* — Coquorum mos ſolet eſſe anſeres artemiſia infarcire, non tam me arbitro, vt caro inde tenerior euadat, (*Sim. Paulli l. c. 228.*) quam ſaporis cauſa, de quo iudicium differt.

Tranſeo iam ad MOXAM IAPONICAM, celebrem illam lanuginem griſeam, quam Iapones et Sinenſes ex ſiccata ſuperiori plantae parte foliisque tuſis et inter manus tritis, reiectis fibris et membranaceis reliquiis parant. (TEN RHYNE *l. c. p. 108. Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. Obſ. I.* KAEMPF. *amoen. exot. p. 502.*) Succeſſit idem artificium quoque in Germania (*Eph. N. C. Dec. 3. A. 7. 8. App. 141.*) Sic praeparatam in conum rotant vncialem, quem cuti ſaliua ſi placet affixam ope virgulae ex ligno Aloes accendunt. Ob mollem teneramque compagem igne non mox conſumitur, ſed lente depaſcitur. Vſus eiusdem autem praecipue in articulari dolore et rheumatiſmis chronicis fit, vt acre vellicans diſſipetur et leui exulceratione eliminetur; tunc noua turunda accenditur, priori depaſta, donec votis effectus reſponderit. Omitto ſuperſtitioſa ratione temporis colligendi, locorum inurendorum et curationis praeſeruatiuae, quorſum et vſtionem in variis morbis maxime diſparibus refero. (*V.* KAEMPFER *l. c.*) Male in dubium vocant illam Moxae originem Ieſuitae in *Recueil d' obſervations curieuſes T. 2. p. 114. 115.* Hiſpani Moxam ali-

aliam colligunt ex quodam echinope (LIEVTAVD *Syn. pr. med. p. 787.*) Eidem ſcopo inſeruit lanugo verbaſci (*Miſc. N. C. Dec. 2. A. 1. p. 67.*) Conuenit haec medendi ratio ſine et effectu cum aliis quibusdam, ferro nimirum ignito, fungis, quos HIPPOCRATES ſuaſit ad locum affectum accendendos, Lappones adhuc hodie ſimili malo adhibent (Poſt SCHAEFFERVM FIÄLLSTRÖM in HALL. *Diſp. pract. T. 6. p. 728.*) lino crudo (HIPPOCR. *lib. de affect. §. 30.*) vel goſſypio ſiue lineo panno ignito, quo Aegyptii vtuntur (PROSP. ALPIN. *Lib. 3. c. 12. p. 209.* Vid. *figura ad p. 218*); vt accenſam ariſtolochiae radicem (AETIVS *L. 22. c. 3.*) et magis nota, veſicatoria, ſinapiſmos, cucurbitas, taceam, Sed hiſce omnibus longe mitius operatur Moxa; quin imo pueri illam absque eiulatu in India ferunt, multique valetudinis conſeruandae ſcopo omni ſemeſtri variis locis corporis cutem eadem adurunt, et plures ſimul turundas accendunt (KAEMPF. *l. c, p. 594.*); et ill. v. SWIETEN (*Comment. T. 4. §. 1228.*) in femore proprio explorans haud aegre tolerauit. Qui in ſe ipſe felix experimentum ſubiit in Batauia BVSHOFIVS eandem medelam podagricis in Europam redux impenſe commendauit (*Het podagra mits gaders deſſelf geneſing Amſtel. 1675. 8.*) In Sibiria circa flumen Onox ſacerdos quidam artemiſiam loco cauterii multis in morbis applicuit (GMELIN *It. Sibir. p. 1114.*). Effectum etiam praeſtitit in dolore dorſi

a casu pertinaci (BVRGIVS *M. N. C. Dec. 2. A. 9. p. 290.*). Dolore ischiadico autem haec medicina, quoniam fomes mali profundius latet, infirmior est (SWIET. *l. c. p. 674.*) In epilepsia et chronicis quibusdam affectibus capitis desperatis nigritae potius quam Sinenses totam futuram coronalem longa et ampla stupa adurunt optimo emolumento (KAEMPF. *Amoen. p. 595.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS DE ARTEMISIA *Ph. W. p. 203.* it. *Cod. medic. p. 37.* Nimium aliis mixtus, adhibitus tamen mensibus et lochiis languentibus vel suppressis.

EXTRACTVM ARTEMISIAE *Ph, W. p. 88.* Iners.

53.

Pharm. ABSYNTHII MARITIMI *Herba et Summitates.*

Artemisia maritima; foliis multipartitis tomentosis racemis cernuis, flosculis femineis ternis LINN. *Sp. pl. p. 1186.* Absynthium seriphium belgicum. C. B. Pl. perennis crescens in littoribus maris Europae septentrionalis.

HERBA. Odorem mari vel camphorae in loco natali spargit, qui in culta planta minus gratus est (LINN. *Fl. Suec. p. 286.*). In Anglorum officinis reperiunda, quod odor et sapor minus quam in Absynthio vul-

vulgari diſplicet. Huius vires aemulatur, etſi debilior.

PRAEPARATVM.

CONSERVA SVMMITATVM ABSYNTHII MARITIMI *Ph. Lond.*

54.

Pharm. GENIPI ALBI *Herba.*

Artemiſia rupeſtris; foliis pinnatis, caulibus adſcendentibus, floribus globoſis cernuis receptaculo pappoſo, LINN. *Sp. pl. p. 1186*, Cfr. EIVSD. *Gotlinska reſa p. 285.* cum icone. Apſinthium ex alis floridum, foliis anguſtis ſericeis pinnatis pinnis trifidis et quinquefidis HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n. 126.* Abſinthium alpinum incanum C. B. *Prodr. p. 71.* Pl. perennis, creſcit in rupibus et alpinis Heluetiae, Sibiriae, Oelandiae.

HERBA gratum aroma ſpirat. Heluetis praeſertim in pretio. Male quidem in pleuritide, iuſtius in febribus intermittentibus ad menſes pellendos et vulnera conſolidanda. (HALL. *l. c.*).

— Et hae quidem dictae ſpecies iamiam in officinas recipiuntur, licet et aliae huius generis, vt *Artemiſia glacialis* L. *Artemiſia foliis ſericeis* etc. HALL. *n. 127.* ſ. *Genipi noir*, item *Herba alba Geſneri* ſ. HALL. *n. 128.* item *Artemiſia campeſtris* L. odore ſuo grato aromatico vires haud exiguas polliceantur.

TANACETVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 618. Gen. pl. p. 417.*

55.

Pharm. TANACETI *Herba; Flores; Semina.*

Tanacetum vulgare; foliis bipinnatis inciſis ſerratis. LINN. *Sp. pl. p. 1184.* Tanacetum vulgare luteum. C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 464.* Pl. perennis creſcens in muris, aggeribus, ad foſſas.

Medicis infrequentior hodie ob amaritiem. HERBA deſumitur a varietate *β, foliis criſpis*, C. B. hortorum ornamento. Valde amara cum odore forti, vt facile inde roborare ventriculum, reſoluere obſtructiones, ſudorem pellere, ſtimulare neruos, credas. In arthritide non ſpernenda, contra quem morbum efficaciam iam cognouit CVLPEPER (*Ph. Lond. 1659.*) Profuit in infuſo theaeformi ſaturato ad libram vnam mane et veſperi per annum epoto (*Gazette ſalutaire 1768. n. 21.* vbi caſus reperitur.). Recentius in Scotia celebrata contra idem malum herba recens mane ingeſta vel infuſum tenue lacte et ſaccharo mane et veſperi ad libram dimidiam potum. Vnde quibusdam aluus laxata, aliis lotium motum, quidam tamen nullam excretionem experti; ſed reſpicias ad aegri conſtitutionem, nam non omnibus idem conuenit (CLERCK in *Eſſays et Obſerv. phyſ. et lit. T. 3. p. 438.*)

ſic

ſic et decoctum ex vino albo calidum podagram ad ventriculum conuerſam innoxiam reddidit (BRADLEY *new improv. p. 334.*). Porro contra vermes efficax ex HOFFMANNI (*Med. ſyſt. Tom. 4. P. 2. p. 333.*) multorumque aliorum teſtimonio, qui non herbae modo, ſed et aliarum partium rationem habuerunt. Hinc et ROSENSTEINIVS (*Bskd. cap. de vermibus*) varia ex Tanaceto praeparata anthelminticis ſuis admiſcuit. Contra aſcarides clyſteres lacteos, quibus tanacetum vel ſimilia incocta ſunt, laudat HOFFMANNVS (*Med. ſyſt. Suppl. p. 87.*) In cachexia ſuccus ad aliquot vncias conduxit, qui etiam febres intermittentes diſpulit (PONTEDERA in HALL. *hiſtor. ſt. helv. n. 132.*). Loco abſynthii feliciter in hydrope vſurpata in decocto, dum lotium mouit (*Eph. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 112. p. 267. ſq.*).

FLORES minus ingrati ſapore, ſed infrequentiores. Etiam anthelmintici (SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 556.*). Hyſtericis drachma vna in puluere valde proficua fuit. (GHERLI *Oſſervazioni rare Cent. I. p. 188.*)

SEMINA contra vermes crebro adhibita. Cum ſyrupo violarum dari iubet ANDRY (*Generation des vers p. 155.*). Perperam tamen ſubſtituta ſeminibus ſantonici, quibus longe minus amara, plus vero fragrantiae habent (LEWIS *M. m. p. 568.*)

PRAEPARATA.

EXTRACTVM TANACETI, *Ph. W. p. 88.*

Aqua paratur. Efficax. Occurrit in formulis ROSENSTEINII (*l. c. p. 358. 376.*).

OLEVM DESTILLATVM *Ph. W. p. 128.* Eſt coloris ex viridi lutei, odoris, vt in herba. Guttula vna vel altera additur pilulis et pulueribus anthelminticis.

56.

Pharm. BALSAMITAE MARIS *ſ.* COSTI HORTORVM Ph. Ed. *ſ.* TANACETI HORTENSIS, Ph. Pariſ. *Herba.*

Tanacetum Balſamita; foliis ouatis integris ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 1184.* Mentha hortenſis corymbifera C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 98.* Stirps perennis, creſcens in Gallia inferiori, Hetruria, Heluetia, autumno florens.

HERBA. Fragrantem odorem ſpargit, ad illum Menthae accedentem. Amara. Obſoleuit, etſi ſenſuum ſcrutinio vires polliceatur. Ventriculum roborare, tormina ſiſtere, menſes pellere lego, quae omnia ratiocinio non aduerſantur, porro hyſtericum malum et melancholiam diſpellere. De vi ſpecifica autem opium aliaque venena infringendi merito dubites. Conf. DALE *Pharmac. p. 107.* Dyſenterias arcere PORTIVS (*de. milit. ſan. in Op. omn. T. 2. p. 84.*)

EVPA-

EVPATORIVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 612. Gen. pl. p. 413.*

57.

Pharm. EVPATORII *Herba, Radix.*

Eupatorium cannabinum; foliis digitatis LINN. *Sp. pl. p. 1173.* Eupatorium cannabinum C. B. Icon: BLACKWELL *T. 110.* Planta perennis locorum aquoſorum.

Euiluit. HERBA valde amara cum odore forti, vt vel inde eam inertiae ignominia abſoluas. Succus magna copia aſſumtus vomitum excitat, aluum omnesque reliquas excretiones mouet (BOERHAAVE *Hiſt. pl. Rom. Tom. p. 175.*). Reſoluere et depurare ſanguinem praecipue experimentis confirmatur. In obſtructione viſcerum praeſertim ex febribus intermittentibus et in hydrope impenſe extollit TOVRNEFORTIVS (*Hiſt. des plantes T. I. p. 329.*) iuncta in proxime dicto malo decocti ad crura applicatione. Quae ipſa CHOMEL (*Uſuelles T. 2. p. 167.*) repetens propriam ſuam experientiam allegat. Succi vero vel infuſi theae forma commodiſſima videtur, nec diſplicuit cereuiſiae medicae inſtar; ſic ruſticis in Belgio vulgaris in ſcorbuto, vlceribus mali moris et cruribus tumidis, medela eſt (BOERH. *loc. cit. p. 176.*) Cataplasma ex coctis foliis tumores praecipue ſcroti et hydrocelen diſſipauit (CHOMEL *l. c.*) Et quum poſt variolas

las negligenter curatas in pueris corpus intumuiſſet, folia eiusdem ſaepe applicata, quae reliquis omnibus in diſſipando tumore ſcroti praeſtiterunt (SCOPOLI *Flor. carn. p. 368.*)

RADIX. Hanc in ſe ipſe C. GESNERVS (*Epiſt. p. 63. et p. 121.*) explorauit, decocto nempe fibrarum pugillo in vino, vnde aluus et lotium copioſe motum et vomitus poſtea duodecies ſucceſſit magno labore. De irrito autem effectu etſi maioris doſeos queritur CHOMEL. (*l. c.*).

SANTOLINA.

LINN. *Syſt. veget. p. 616. Gen. plant. p. 416.*

58.

Pharm. SANTOLINAE *ſ.* ABROTANI FEMINAE *Herba.*

Santolina Chamae-Cypariſſus; pedunculis vniflo-ris, foliis quadrifariam dentatis LINN. *Sp. pl. p. 1179.* Abrotanum femina, foliis teretibus C. B. Frutex creſcens in Europa auſtrali.

HERBA vſus rariſſimi, quam tamen viribus non deſtitui fragrantia odoris et amarities indicant. Et hae quidem ad vim abrotani ſolent exigi, etſi imbecilliores. Vermes necare, obſtructiones reſerare, hyſtericis ſubuenire et detergere referunt, vt alias virtutes experientia vlterius indigentes ſilentio praeteream.

SPI-

SPILANTHVS.

LINN. *Syſt. veget. p. 609.*

59.

Pharm. ACMELLAE *Herba; Semina.*

Spilanthus Acmella; foliis ouatis ſerratis caule erecto, floribus radiatis LINN. *l. c.* Olim Verbeſina Acmella EIVSD. *Sp. pl. p. 1271.* Chryſanthemum bidens ſ. Bidens zeylanica flore luteo, lamii folio, Acmella dicta BREYN. *Prodr. Append. p. 48.* Abcdaria RVMPH. *Amb. Tom. 6. T. 65.* Pl. annua in Zeylona et Ternata creſcens. Caue, ne confundatur cum Spilantho Pſeudacmella, ſimillima, ſed radio deſtituta.

HERBAE ſapor amarus balſamicus competit. Initio nullum ſentiri, ſed, ſi paullum maſticatur inſigni linguam calore affici auctor IO. PHIL. BREYNIVS (*Diſſ. de radice Gin-ſen et Acmella* add. *icon. rarior. plant. p. 44.*). Mirifice olim claruit calculum comminuendi et nephriticos dolores ſopiendi laude, quae in Zeylona primum emergens in Belgium demum tranſiit. Notior in Europa euaſit litteris HOTTONI ſocietati Reg. ſc. Anglicae a. 1701. oblatis (*Phil. Tranſ. Vol. 22. p. 760.*), quibus curationes numeroſae in Zeylona factae breuiter memorantur. Et haſce litteras denuo recenſuit RAIVS (*Hiſt. pl. T. 3. p. 227.*) et VOLCAMER (*Miſc. N. C. Dec. 3. A. 7. 8. Obſ. 210.*).

Vſu quoque in Belgio probatas vires, allatis variis caſibus, commemorat BREYNIVS (*Diſſ. cit.*) ſcilicet lotium mouere, nephritidem tollere, renum calculos expellere, iſchuriae nothae, dyſuriae et ſtranguriae, praecipue ſi viſcida tenaxque lympha ſubeſt, mederi, demum menſtrua ſuppreſſa prouocare. Succeſſiſſe ſibi in calculoſis concretionibus reſoluendis et lotio mouendo ſemper, et ſemel in hydrope incipiente, refert SCHENDO (*in Act. Nat. Cur. Vol. I. Append. p. 119.*) Poſt bibitum Acmellae infuſum vrina hominis veſicae calculo laborantis per chartam colata reliquit ſurſum tartarum minus quam antea craſſum, granulatum, et in ſubtiliores lamellas formatum, pauco tantum viſcido admixto. In facie aduerſa chartae exiliſſima ac prominentia filamenta confertiſſimis granulis albis minutiſſimis atque ex tartaro concretis pulcherrimeque diſpoſitis adſperſa apparuerunt. In aegro vero mox poſt ſumtam acmellam difficultates, doloresque increuerunt, vt ad emollientia refugiendum eſſet; ſed dein tolerabilior euaſit valetudo. Similia alii aegro acciderunt, vnde colligit FANTINVS (*Comm. Bonon. T. I. p. 167. ſq.*), ſtirpis eam eſſe facultatem, vt concretiones et coagmentationes calculoſas prohibeat, et, quum ſubadſtringentis et ſubamaricantis ſaporis ſit, infuſum corroborando vim praeſtare. Integrae quidem ſtirpi viresdictae adſcriptae, SEMINA tamen, et prae hiſce FOLIA ſingulari in dignitate habita ſunt.

Haec

Haec ſiccata et in puluerem redacta in vehiculo commodo data (HOTTON) vel, quod magis vſitatum, in infuſo theaeformi exhibita (HOTTON, BREYNIVS). Infuſio et ſpiritu vini facta, vel per deſtillationem ſpiritus ex radice caulibus et ramis elicitus fuit (HOTTON). Infuſum aquoſum bis vel ter de die ingeſtum, et ne vlla acrimonia moleſta eſſet, ſemper cum glycyrrhiza, ſyrupo althaeae vel ſimilibus. Mos quoque fuit, ſpiritum foliorum cum ſpiriru Arrack in India paratum bis vel ter quotidie ad guttas 30 vel 40 cum vino Rhenano vetuſto vel Gallico aut decocto quodam nephritico addito ſyrupo althaeae, propinare. Valuitque ſic praeſeruatiuo ſcopo. In vniuerſum multum liquidi ſuperbibendum eſt. (BREYNIVS).

Volubilior creditur a magiſtris aethiopibus puerorum lingua maſticatione capitulorum ſ. radicularum vel ſola, vel addita Pinanga fieri, et aptior ad Arabicas litteras pronunciandas, hinc a RVMPHIO Abcdaria dicitur, Malaice Daurnurit h. e. herba diſcipulorum.

In fluore albo non minus eſſe efficacem tribus caſibus amici innixus breuiſſime indicat SLEVOGT (*Progr. de Acmella ceylanica nouo fluoris albi remedio. Ien. 1703. p. 5.*).

Quoniam herba charo pretio venit; nempe vncia vna florenis 22 Amſtelodami (WALBAVM *Index pharm. T. I. p. 60.*): Sigesbeckiam orientalem inſtar ſuccedanei ex affinitate ill. a LINNÉ (*Mat. Med. p.*

191.) commendauit; idque non perperam factum, experimentum edocuit HASSELQVISTIVM (*Amoen. acad. Vol. 3. p. 68.*). Coreopsidem Bidentem L. proxime ad zeylanicam plantam venire, experimentis chemicis ductus NEBEL (*de Acmella Palatina 1739. 4.*) existimat; et Bidentem tripartitam L. PERTHES (in *Comm. Noric. 1745. p. 201.*).

TVSSILAGO.

LINN. *Syst. veg. p. 629. Gen. pl. p. 425.*

60.

Pharm. PETASITIDIS *Radix.*

Tussilago Petasites; thyrso ouato, flosculis femineis nudis paucis *Syst. veg. l. c.* Petasites maior et vulgaris, C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 222.* Pl. perennis, crescens ad riuos temperatioris Europae. Caue, ne cum Tussilagine hybrida L. confundas, cui thyrsus oblongus et flosculi plurimi feminei, planta rariori, sed eiusdem soli natalis.

RADIX ramosa, annulata, externe fusca, intrinsecus alba, odoris, dum recens est, grauis, saporis subamari acris et aliquantum aromatici. Est efficax, licet obsoleuerit. Veteres videntur vsui externo modo dicasse et quidem contra maligna et phagedaenica vlcera (DIOSC. *l. 4. c. 108.* qui foliorum meminit, GALENVS *simpl. l. 8.*); sed recentiores ad internum quoque transtulerunt, et hi quidem aperiendi attenuandi

nuandi pellendi vim, praecipue per ſudorem, extollunt. Polymorphum alexipharmaci nomen obtinuit, quin contra ipſam peſtem valere credita (IO. BAVH. *Hiſt. T. 3. p. 568.* HERMANN. *M. m. T. I. p. 52.*, et omnes fere, qui de medicamentis ſcripſere.). Praeſtantiam pulueris in peſte FORESTVS (*Opera Lib. 6. Obſ. 17.*) expertum ſe eſſe indicat, et ſub ipſum initium datum ſudore tumorem peſtilentialem diſſipaſſe. Tuſa inſuper bubonibus in diro hoc malo impoſita. Eodem modo applicata in podagra profuit (WOOD *Ep. ad Raium* in HALL. *hiſt. ſt. helv. n. 138.*). Contra epilepſiam infuſum paratur ex radicis vncia vna et hydromellis libra vna, cuius aliquot vnciae mane ieiuno ſtomacho per longum tempus potantur, ſubiuncta bis vel ter de menſe medicina laxante (SWIET. in CRANZ *M. m. P. 2. p. 162.*). Nolo multus eſſe in recenſendis virtutibus contra aſthma, vermes, obſtructionem menſtruorum, alia, quum nullibi experientia ſatis euictae occurrant.

Recipitur inter tot alia ab AQVA PROPHYLACTICA *Ph. Wurt. p. 22.*

61.

Pharm. FARFARAE ſ. TVSSILAGINIS *Folia; Radix; Flores.*

Tuſſilago Farfara; ſcapo vnifloro imbricato foliis ſubcordatis angulatis denticulatis LINN. *Sp. pl. p.* 1214.

1214. Tuſſilago vulgaris C. B. Βηχιον *Graecis.* Tuſſilago PLINII. Icon: OEDER. *Flor. Dan. Tab. 595.* Pl. perennis, creſcens ſolo argilloſo ad foſſas, in agris ſubhumidis vulgare vitium.

Aquilegis index. Etſi toti ſtirpi eadem virtus medica inſidet: FOLIA tamen reliquis partibus vſitatiora. Et haec ſubamara viſcida ſubauſtera. Omni aeuo inter pectorales plantas potiorem locum obtinuit, etiam nunc hoc nomine celebratiſſima. Fumum foliorum infundibulo vel arundine exceptum in tuſſi et orthopnaea commendarunt DIOSCORIDES (*L. 3. c. 126.*) GALENVS (*Simpl. l. 6.*) PLINIVS (*L. 26. c. 6.*). Et adhuc hodie plebs in Suecia inſtar tabaci contra tuſſim ſugit (LINN. *Flor. Suec. p. 289.*). Addidit flores ſulphuris et ſuccinum in puluerem redactum BOYLE (*de vtil. phil.*), non temere hac in re ſequendus. Nec concedenda in morbis pectoris chronicis ſolum, ſed et in inflammatoriis, quum calorem nullo modo intendat. Inſuſum theaeforme ſiue decoctum inde parare illudque calide bibere maxime vulgare, calore aquae ipſam relaxandi vim augente (BAGLIV. *Oper. p. 35.*). Addo decocta aqua ſcrophulas diſpuliſſe (FVLLER *Gymnaſt. p. 87 ſq.*). Raro herba in inflammationibus cataplaſmatis forma imponitur. Vino decoctam laxatae parti in vlcus transeunti impoſuit HIPPOCRATES (*Lib. de articul. 8. Ed. Foëſ. p. 829.*)

RA-

RADIX ſiccata et conquaſſata fomitis inſtar ad ſcintillas captandas eſt. Melle mixtam in exulcerationibus pulmonum laudat HIPPOCRATES (*loc. cit.*) Recens in catarrhalibus affectionibus efficaciſſima (DETHARDING. *meth. p. 154.*).

FLORES pro ſyrupo.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS FARFARAE *Ph. W. p. 211.* Ex floribus fieri dictum. In affectionibus pectoris additur linctibus, mixturis, decoctis.

LOCH DE FARFARA *Ph. W. p. 109.* Ex pulpa radicum coctarum cribrata et melle, iunctim coctis. Vim reſoluendi et abſtergendi in tuſſi et phthiſi praeſtat.

? XANTHIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 711. Gen. pl. p. 487.*

62.

Pharm. XANTHII *Semina; Herba.*

Xanthium ſtrumarium; caule inermi, foliis cordatis trineruatis. LINN. *Sp. pl. p. 1400.* Lappa minor ſ. Xanthium Dioſcoridis c. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 444.* Pl. annua in locis ruderatis auſtralioris Europae.

Hodie

Hodie a medicis plane ſpretum. SEMINA eiusdem ouata acuminata bina, recondita intra baccam ſiccam oblongam bicornem echinatam bilocularem. Contuſa antequam ſicceſcant et dein madefacta capiti, antea nitro perfricto, illita olim fuerunt ad capillos flauo colore imbuendos (DIOSC. *Lib. 4. cap. 138.*). Spiritu vini infuſa, fabulum pellere feruntur (KÖNIG apud CHOMEL *Uſuelles I. p. 308.*). Puluis feminum ad vnciam dimidiam datus in eryſipelate arcanum in Suecia fuit (LINN. *Fl. Suec. n. 864.*). Oedematibus commode imponi (DIOSC. *l. c.*).

FOLIA reſoluere ſcrophulas, ſanare herpetem et ſanguinem depurare, vel in ſucco vel extracto, etiam extrinſecus tumoribus ſcrophuloſis opitulari traditur (TOVRN. *pl. de Paris T. 2. 124.* quae repetiit CHOMEL. *l. c.*).

§. RADIATAE.

MATRICARIA.

LINN. *Syſt. veget. p. 643. Gen. plant. p. 432.*

63.

Pharm. CHAMOMILLAE NOSTRATIS vulgo ſ. CHAMAEMELI VVLGARIS Ph. Lond. *Flores*; *Herba.*

Matricaria Chamomilla; receptaculis conicis radiis patentibus, ſquamis calycinis margine aequalibus LINN. *Sp. pl. p. 1256.* Chamaemelum vulgare ſ. Leucanthemum Dioſcoridis C. B. Icon: BLACKWELL *T. 298.* Pl. annua, in agris copioſa.

FLORVM inſignis et multifaria efficacia, vnde vbiuis domeſtici inſtar, praecipue pro vſu externo, ſunt. Hoc vero nomine et calyx et reliquae incluſae partes veniunt, quarum omnium efficaciſſimus calyx eſt, in quo vnice oleum eſſentiale reſidet (NEVMANN'S *Chem. Vol. 2. P. I. p. 535.*), a quo virtus dependet. Hoc paullo abundantius chamomillae Rom. ineſt, vnde et efficacior noſtrate eſt. Odor florum fragrans non admodum gratus, ſapor amarus.

In febre intermittente auctoritatem iam dudum inſignem ſibi conciliauit. Nolo quidem epithematibus Aegyptiorum antifebrilibus multum fidi, quae inter mul-

multiplicem aliam farraginem hi et intrant flores (ALPIN. *med. Aegypt. L. 4. cap. 15. p. 317.*) Sed certior fides amici eſt MORTONI (*Exercitat. I. de febr. interm. cap. 6. p. m. 64.*), qui puluere eorum conuenienti vehiculo et per iuſta interualla dato aeque certe, ac per corticem peruuianum, febrem ſuperatam aſſerit. Ipſe MORTON non ſolos ſed ad ſcrupulum vnum miſtos cum antimonii diaphoretici et ſalis abſynthii aequali quantitate, ſcilicet ſcrupulo dimidio, optimo ſucceſſu exhibuit. Ad drachmam vnam aliquoties die vacuo ſumtos pertinaces febres compeſcere, quin tutius quam ipſum corticem FR. HOFFMANNVS (*Diſſ. de praeſtantia rem. dom. p. 29.*) expertus eſt. Puluere vel electuario vel infuſo ſiue leni decocto vſurpati in obſtinatis febribus tum adeo profeciſſe dicuntur, quando cortex fruſtra fuerit tentatus (HEISTERI *Diſſ. de medic. Germ. indig. p. 13.*). Sic quartana 36 menſium chamomilla tandem deuicta (SCHVLZII *Diſſ. de febr. interm. cur. antiqu. p. 10.*). Praecipue conueniunt in febre irregulari, vbi ſuſpicio obſtructionis viſcerum ſubeſt, et ſequenti quidem formula: ℞. Flor. Cham. ℥ß. Aqu; pur. ebull. ℥viij. Macera per dimidiam horam. Colaturae add. ſpiritus vini Gall. ℥ij ſalis Abſynth. ʒj M. D. quater de die cochlearia quatuor (PRINGLE *Diſ. of the army p. 216.*). Praeter dictos exhibendi modos, ſuccus expreſſus ad cochlearia duo vel tria cum guttulis aliquot ſpiritus vitrioli

trioli in iuſculo paullo ante paroxyſmum epotus, eum arcere et febrem curare obſeruatus (RAII *Hiſt. univ. pl. T. I. p. 354.*). Plura huc facientia teſtimonia non opus eſt addere. Non tam benigne vero de floribus hiſce ſenſit ill. SENAC (*de recond. febr. interm. et remitt. nat. p. 188.*), qui ſaepe fallere et mordacem calorem accendere arguit. Vt ipſe mentem meam explicem, liceat vti MORTONI verbis "nec licitum huc vsque nec decorum duxi experimenti cauſa certo ac experto remedio (cortici peruv.) magis incertum et minus exploratum praeferre" Reſoluendi potentia videtur febres diſpellere, quamuis ratio etiam habenda anodynae, quae in quibusdam morbis ſeſe ſola exſerit.

Huc pertinet colica, contra quam, quacunque de cauſa orta fuerit, antidotum vocare non veritus eſt BAGLIV (*Oper. p. 100.*); quod nimium, nam tam calidum medicamentum vix vltra flatulentam extendi poteſt (TISSOT *Avis p. 368.*) et ſpaſmodicam. In colica nephritica reliquis remediis irritis opem tulit infuſum ſaturatum vino rhenano factum, lapillis ſimul ex vreteribus detruſis (SIM. PAVLLI *Quadripart. p. 282.*). Peculiarem in cardialgia virtutem exſerunt et ipſi et quicquid ex iis paratum fuerit (HOFFM. *Med. Syſt. T. 4. P. 2. p. 237.*). Ad mitigánda tormina et flatus diſcutiendos in dyſenteria infuſum florum tam vi antiſpaſmodica quam antiſeptica eximium (PRINGLE *Diſ. p. 272.*). Ita cereuiſia decocti mira-

culi inſtar dolores poſt partum ſopierunt (FOREST. *Op. L. 28. Obſ. 81.*); infuſum aquoſum earundem virium eſſe in vulgus adeo hodie ſatis notum eſt.

In calculo mouendo valere prout paullo ante exemplum adfuit: ita FERNELIVS (*meth. med. Lib. 5. cap. 25. p. m. 137.*) potu et inſeſſu calculos vrinamque pellere indicat. — Hic et memoro efficaciam infuſi ad vomitum excitandum vel alendum, quam Angli notarunt (PRINGLE'S *Obſ. on Diſ. of the army Ed. 5. p. 262. 309.* MONRO'S *Account of the Diſ. in mil. Hoſp. p. 175.* LIND'S *Diſ. in hot Climates p. 250.*) floribus chamomillae Rom. in primis vſi, a quibus medici Sueci hanc vim didiciſſe videntur (vid. ROSENST. *Bskd. p. 213.* et alibi) in Germania nondum ſatis cognitam — Putredinem auertere et corrigere ill^m PRINGLE experimenta docuerunt (*Diſ. App. Exper. 12. 17.*) corrigere vero putredinem negat MACBRIDE (*Experim. Eſſays p. 130.*); cui aſſentitur auctor anonymus (*Eſſai ſur la Putrefaction p. 93. 185.*) qui tamen efficaciorem habet plantam ſpontaneam hortenſi (*p. 89.*)

Extrinſecus adhibiti diſcutiunt et reſoluunt potenter doloresque mitigant. Hinc ob tumores varios doloresque partium dictarum internarum in ſacculis ſiccis vel humectis vel cataplaſmatis forma applicantur. Clyſmata et crebro ingrediuntur flatuum diſſipandorum et putredinis coërcendae cauſa. Pediluuiis cum herba induntur propter ſtimulum.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA CHAMOMILLAE ANISATA *Ph. Wurt. p.* 12. Ex floribus cham. fem. anifi, vino albo deſtillatis. Carminatiua.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. W. p. 128.* Vulgo grate coeruleus color illi adſcribitur a SIMONE PAVLLI, NEVMANNO, BOERHAAVIO, SPIELMANNO totque aliis, quem nonnulli nonniſi e vaſis cupreis repetierunt. Alio loco ex floribus deſtillatione flauum obtineri, ex herba autem coeruleum, ex miſcela vtriusque viride (*Nov. Act. Nat. Cur. T. 4. p. 63.*) legimus. Quin ſenſim admiſſo crebrius aëre vel vetuſtate perire colorem coeruleum et album euadere (TH. BARTHOL. in *Act. Hafn. Vol. I. p. 76.*) et poſt eum LEWIS (*Mat. med. p. 208.*). Ex libra ſcrupulum vnum elicuit NEVMANNVS, ex libris octo vero vix drachmam vnam modo LEWIS. Pauculae guttae contra ſpaſmos ingeruntur item contra lumbricos (BOERH. *Ch. T. 2. p. 112.*). Inunctum feliciter vna cum oleo anethino thecae vertebrali ante febris intermittentis inſultum, vt arceretur (FORESTVS.). Proficuum hyſtericis colica ac cardialgia laborantibus, praecipue ita, vt olei drachma vna cum ſpiritus cornu cerui ſuccinati drachmis ſex combinetur et haec miſcela ad guttas viginti ter de die in infuſo calido florum chamomillae praebeatur (LANGE *miſc. verit. med. p. 80.*).

OLEVM COCTVM *Ph. W. p. 123.* Praeſtaret vti infuſione. Abdomini illitum flatus diſſipat, tormina ſedat. Clyſmatibus quoque eodem fine additur.

TINCTVRA SPIRITVOSA (*Cod. med. p. 214.*).

64.

Pharm. MATRICARIAE ſ. PARTHENII *Herba* cum *Floribus.*

Matricaria Parthenium; foliis compoſitis planis, foliolis ouatis inciſis, pedunculis ramoſis LINN. *Sp. pl. p. 1255.* Icon: BLACKWELL *Tab. 192.* Pl. perennis in muris et ruderatis frequens.

Odor fragrans ad illum chamomillae accedens ſed grauior, ſapor praecipue herbae valde amarus, Tanaceti fere et nauſeoſus. Siccando odoram partem plurimum perdit. De vi in vterino ſanguine mouendo communis fere conſenſus obtinet, ſiue menſtruo ſiue lochiali. Multum his ponderis addit experientia SIM. PAVLLI (*Quadrip. p. 432.*), qui et hyſtericas eius ope egregie excitatas affirmat. In decocto, vtinam absque chamomillae et artemiſiae miſcela, vt de vi matricariae tanto melius conſtaret, dedit. Arridet haec quoque ſtirps valdopere plebi Brunſuicenſi (LANGE *Brunſv. dom. p. 72.*) vel in puluere cum vino aduſto ſumto, vel ſucco expreſſo cochleatim hauſto. Vermes (tineas) inteſtinales necari vel herba ipſa vel ſucco expreſſo diu notum (RAII, *Hiſtor. pl.*

T. I. p. 357.). Profuit recentius saepe contra hosce apud infantes planta siccata et saccharo permixta (LANGE *l. c. p. 75.*). Succus ad vncias duas hora ante paroxysmum febrilem in intermittentibus cuiuslibet generis praedicatus (IOS. MILLER'S *bot. off. p. 288.*). Hinc nomen Anglorum *Feverfew*. Infuso aquoso consuetissime adhibetur. In sartagine calefacta et capiti imposita hemicraniam sedare fertur (CHESNAV apud RAIVM), subscribente CHOMELIO (*Usuelles T. I. p. 213.*) qui et cataplasma ex concisa et applicata planta ad leniendos dolores podagricos commendat. Rarius hodie praescribitur, quam debetur.

CHRYSANTHEMVM.

LINN. *Syst. veget. p. 641. Gen. plant. p. 432.*

65.

Pharm. BELLIDIS MAIORIS *Herba; Flores.*

Chrysanthemum Leucanthemum; foliis amplexicaulibus oblongis, superne serratis, inferne dentatis LINN. *Sp. pl. p. 1251.* Bellis sylvestris caule folioso maior C. B. Pl. perennis, in pratis frequens.

Desiit vsurpari, etsi olim inter medicas stirpes relata, fide non satis certa. Decoctum HERBAE ante expansionem florum decerptae saporis acris piperini pronunciat GEOFFROY (*M. m. Traité T. 5. p. 290.*). Lotium mouere et purulentam exscreationem leuare

(*Idem.*). In zythogalo decoctam et potam aduerſus aſthma phthiſin orthopnoeam valere (RAY *Hiſt. pl. 1. p. 351.*). Folia commanſa oris linguaeque exulcerationes ſanare (HERM. *Cynoſ. T. 2. p. 518.*). FLORES contra ſtrumas in potionibus efficaces eſſe facilius crederem, niſi idem HERMANNVS, qui hoc narrat, eadem ſerie fracturas caluariae conſolidare ſignificaret.

ANTHEMIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 645. Gen. pl. 434.*

66.

Pharm. CHAMOMILLAE ROMANAE vulgo, ſ. CHAMAEMELI NOBILIS Angl. *Flores.*

Anthemis nobilis; foliis pinnato-compoſitis linearibus acutis ſubuilloſis LINN. *Sp. pl. p. 1260.* Chamaemelum nobile ſ. Leucanthemum odoratius C. B. Icon: BLACKWELL *T. 526.* Pl. perennis, in pratis Europae temperatioris crescens.

Eligunt pharmacopolae plerumque flores plenos, quibus tamen et odor et ſapor imbecillior (LEWIS *M. m. p. 207.*), vtpote quum diſcum floris, in quo primaria vis, fere omnino excludant. Fragrantiores ſunt floribus chamomillae vulgaris et viribus ſuperiores iudicantur. Paullo plus largiuntur olei deſtil-

deſtillati (NEVMANN'S *Chemie Vol. 2. P. I. p. 535.*); ex octo libris ſupra drachmas quinque (LEWIS *l. c. p. 208.*). In Anglia principatum tenent. In hoſce igitur iuſtius referendae ſupra (*p. 143 ſq.*) ſignificatae vires; etſi vulgaris chamomilla magis frequentetur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM ESSENTIALE FLORVM CHAMAEMELI *Ph. Lond. p. 30.* Coloris lutei, in viridem vel brunum inclinantis.

EXTRACTVM FLORVM *Ph. Ed. p. 115.* Ex herba ſiccata aqua cocta. Nihil fere in hoc praeter amaritiem remanſit, vna cum auſteritate exigua.

OLEVM CHAMAEMELI *Ph. Ed. p. 93.* Ex herba et floribus recentibus in oleo oliuarum coctis.

67.

Pharm. COTVLAE FOETIDAE *Herba* cum *Floribus.*

Anthemis Cotula; receptaculis conicis paleis ſetaceis, ſeminibus nudis LINN. *Sp. pl. p. 1261.* Chamaemelum foetidum, C. B. BLACKWELL *Tab. 63.* Pl. annua crebra ad vias et locis ruderatis.

Foetore exoſa hominibus, bufonibus autem grata vicinitas, vt in Vcrania (LINN. *Weſtgöta Reſa p. 205.*). Obliuioni a medicis hodie tradita et ambigua. Hyſtericis ſuccurrere in cataplaſmate vel accenſam,

ex TRAGO, CHOMEL (*Uſuelles Tom. 2. p. 224.*) refert. Aqua decocta ſudorem excitauit et arthrididen conſummatam deuicit (LANGRISH *p. 122. 123,*). Decoctum felici ſucceſſu aduerſus ſcrophulas adhibitum (RAII *Hiſt. pl. T. I. p. 354.*). Fomenti inſtar vel et cataplaſmatis ſiue in clyſmate haemorrhoides lenire fertur (CHOMEL. *l. c.*). Aſthma pecorum discutere (LÖSEL *Fl Pruſſ. p. 44.*). Apes eam reſpuunt, vt et frictis ea manibus caſtraturi aluearia impetum apum frangant (RVELLIVS). Additur (LÖSEL *l, c.*) pulices ea fugari.

68.

Pharm. PYRETHRI *Radix.*

Anthemis Pyrethrum; caulibus ſimplicibus, vnifloris decumbentibus, foliis pinnato - multifidis LINN. *Sp. pl. p. 1262.* Pyrethrum flore bellidis, C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 38.* Pl. perennis calidioris Europae, Arabiae, Syriae, regni Tunetenſis.

RADIX longa, pollicaris craſſitiei, extrinſecus fuſca, interne alba. Saporis feruidi eſt, etſi non initio ſtatim perceptibilis, odoris nullius. Cum ſapore Senegae comparat LINNEVS (*Sp. pl. l. c.*). Acrimonia reſidet in reſina, vnde extractum ſpirituoſum valde acre eſt, etſi ponderis minoris, quam aquoſum. Infuſum aqua factum nauſeoſum, vix acre ante inſpiſſationem (LEWIS *M. m. p. 472.*). Maſticata copiam

ſaliuae

ſaliuae prolicit. Hinc ex primariis apophlegmatizantibus. Ob ſaliuae affluxum in odontalgia adhibita, etiam aceto cocta et denti carioſo indita; iuuat et contra iſtud malum decocto os colluere. In paralyſi linguae conducit, dum vel ſola vel in connubio radicis imperatoriae ſ. carlinae vino coquitur et liquidum ore retinetur vel radix commanditur. Puluis naribus attractus ſternutationem ciet.

BELLIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 640. Gen. pl. p. 429.*

69.

Pharm. BELLIDIS MINORIS *Flores*; *Folia.*

Bellis perennis; ſcapo nudo LINN. *Sp. pl. p. 1248.* Bellis ſylueſtris minor, C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 503.* Pl. perennis ad vias et in paſcuis crebra.

Sapor plantae leuiter acris absque odore. Non multum virium ſpondet, vt etiam olim ad oleraceas relata et cum carnibus cocta. Nec ſerio hodie adhibetur. A mulierculis Francofurtanis herbam cum floribus infantibus ad aluum ſollicitandam exhiberi narrat, SCHRÖDER (*Theſ. pharm. p. 538.*). Aliis reſoluens eſt. Succum bellidis rubrae in catarrho ſuffocatiuo, quem a repentina ſanguinis circa cor et pulmones ſtagnatione repetiit, impenſe laudat BAGLIV (*Opera p. 93.*). Maximi fecit ob vim ſanguinem coa-

gulatum reſoluendi FABRICIVS (in SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 29.*). Vulnerarium faciunt varii, quo nomine ſine dubio in hectica febre quoque fidem tribuerunt (EYSEL *Bellidograph. p. 26. 27.*). Vulnera thoracis, quae in ipſum eius cauum penetrarunt, ſanare innuit MATTHIOLVS (*p. 653.*). In hiſce aliisque periculoſis vulneribus ſaepe praeclare profuiſſe viſum eſt PAVLLI (*l. c.*); et KÖNIG (*Regn. veg. p. 755.*) vulneris thoracis cum laeſione pulmonis decocto coaleſcentis meminit. In infuſo vel, quod crebrius, decocto propinati. Memoranda ſupereſt

TINCTVRA FLORVM BELLIDIS *Ph. W. p. 223.* Acida ob ſpiritum vitrioli additum, a quo praecipua virtus. Subinde iulapiis et potionibus additur.

INVLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 637. Gen. pl. p. 426.*

70.

Pharm. ENVLAE ſ. ENVLAE CAMPANAE Ph. Lond. *Radix.*

Inula Helenium; foliis amplexicaulibus ouatis rugoſis ſubtus tomentoſis, calycum ſquamis ouatis LINN. *Spec. pl. p. 1236.* Helenium vulgare, C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 473.* Pl. perennis, creſcens in pratis depreſſis Angliae, Belgii, Oelandiae, Scaniae.

RADIX

RADIX ramoſa, craſſa, fuſca vel griſea, interne alba. Saporem initio ſubrancidum glutinoſum edit, dein amarum aromaticum et pungentem. Siccata odorem violaceum ſpirat. Aqua longe plures partes eruuntur ad $\frac{7}{8}$ fere, ſpiritu vini ad $\frac{1}{5}$ modo additis olei ceraeformis $\frac{1}{192}$ (NEVMANN). Alii (CARTHEVSER, LEWIS) dimidium modo extracti aquoſi obtinuerunt. Extractum ſpirituoſum fortius hoc eſt. Sub deſtillatione aquae vitri collo adhaereſcit camphora (MALOVIN *Chemie T. I. p. 321.*).

Incidit reſoluitque potenter. Idque in pectoris variis morbis exploratum eſt. Ita in tuſſi pertinaci epidemica e re fuit radicem cum cereuiſia decoquere mellisque tantillum admiſcere (LENTIL. *Miſcell. med. pr. P. I. p. 321.*). In obſtructionibus pectoris pariter de efficacia conſtitit (DETHARD. *ſpec. p. 162.*), item in aſthmate pituitoſo. Stomachi imbecillitati ſubuenit. Contra ſcabiem in vnguento celebris eſt (CHOMEL *Uſuell. T. I. p. 139.*) vel et decocto; nec minus eam, qua oues infeſtantur (LINN. *Fl. Suec. p. 293.*). Menſtrua pellit et chloroſin virginum curat. Sudorem excitat, vt aromata quaeuis; an ideo pro alexipharmaco, quin praeſeruatiuo contra peſtem (RAII *Hiſt. pl. I. p. 274.* DIEMERBROECK *de peſte p. 157.*) habita? Tremori artuum ex mercurio mederi inſuper notatum (HERM. *Cynoſ. M. m. T. I. p. 47.*). Taceo ad vermes necandos adhibitum fuiſſe. Ingeritur vel

in

in puluere ad drachmam dimidiam vel ſupra, vel aqua decocta ſiue infuſa. Praecipue arridet infuſum vino factum. Palato vero placet praecipue radix condita.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM ENVLAE *Ph. Wurt. p. 89.* ex infuſo tam ſpirituoſo quam aquoſo. Londinenſes (*Ph. Lond. p. 27.*) ex decocto aquoſo parant, vnde imbecillius praecedenti.

SYRVPVS ENVLAE *Ph. W. p. 210* Ex ſucco et ſaccharo. In affectionibus pectoris locum habet.

VNGVENTVM ENVLATVM *Ph. W. p. 210.* Contra ſcabiem.

71.

Pharm. CONYZAE MEDIAE ſ. ARNICAE SVEDENSIS (in infer. Germania) *Herba.*

Inula dyſenterica; foliis amplexicantibus cordato-oblongis, caule villoſo paniculato, ſquamis calycinis ſetaceis LINN. *Sp. pl. p. 1237.* Conyza media, aſteris flore luteo, ſ. tertia Dioſcoridis C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 410.* Pl. perennis creſcens locis ſubhumidis et in foſſis exſiccatis.

HERBA acris ſubaromatica. Rariſſimi vſus et in paucis pharmacopoliis nota. *Arnica ſpuria* (*Act. Berol. Dec. I. Vol. 10. p. 87.*) etiam dicta. Nam ſubſtituta ſub-

ſubinde Arnicae verae, etſi male (*l. c. Vol. I. p. 54.*). Magis adſtringere Inulam, et hinc magis in ſanguinis profluuio ſiſtendo quadrare experti ſunt Berolinenſes (*Act. cit. Vol. 10. p. 87.*). Acriorem vero eſſe cel. GLEDISCH (*Verz. d. Arzneygew. p. 33.*) notat: Ruſſi in expeditione perſica dyſenteria tentati hac herba conualuerunt (LINN. *Fl. Suec. p. 294.*).

ARNICA.

LINN. *Syſt. veg. p. 638. Gen. pl. p. 427.*

72.

Pharm. ARNICAE vulgo ſ. DORONICI GERMANICI Ph. Ed. *Flores; Herba.*

Arnica montana; foliis ouatis integris caulinis geminis oppoſitis LINN. *Sp. pl. p. 1245.* Doronicum plantaginis folio, alterum C. B. Icon: OED. *Flor. Dan. Tab. 63.* Pl. perennis, creſcens in Europae frigidioris alpibus, e. g. Lapponicis, Helueticis et in collibus apricis pratenſibus, vt in Weſtrogothia Sueciae, Hercynia.

Notandum etiam eſt nomen *Arnicae Plauenſis* (*Act. Berol. Dec. I. Vol. I. p. 53.*) quod, vt diſtingueretur a praecedenti ſtirpe, receptum, aſt vix vltra Marchiam. Raro veram in pharmacopoliis obtinere, ſed ſubſtitui alias ſtirpes iterata ſaepius querela eſt (SCHVLZ *Mat. med. p. 307.*), prout ſubinde hypochaeridem

chaeridem maculatam eius loco colligi conſtat (LINN. *Amoen. 4. p. 2.*). Verae duae exſtant varietates *α, foliis latioribus*, quae conſueti vſus eſt, *β, foliis anguſtioribus*. Haec proxime dicta vi ſuperior eſt, docente experientia GMELINI (*Flor. Sibir. T. 2. p. 153.*) qui, etiamſi tutam ſatis Sibiricis hominibus repererit, Germanis tamen in Sibiria commorantibus eadem doſi, qua altera, propinari ſine offenſa ſolet, vomitum excitaſſe pronuntiat, qui effectus ex conſueta arnica nonniſi maiori doſi data ſeſe exſerit.

Eſt planta acris cum amaritie, et trita odorem aromaticum ſpargit. Fragrantior et ſuaueolentior viſa eſt Bohemica, quam Hercynica (DE LA MARCHE *Diſſ. de arnicae verae vſu praeſ.* ALBERTI *Hal. 1744.*). Nauſeam vomitumque ciere ſubinde obſeruatum, vnde IO. CHRIST. LANGIVS ad emetica retulit, ſed non conſtanti effectu (SCHVLZ *M. m. loc. cit.* DE LA MARCHE *p. 18.* COLLIN *Obſ. pract. T. 4.*). Sternutationem vero excitat, quod nomini anſam dedit. Et ruſtici Smolandiae foliis in puluere naſali vtuntur, inde tanquam ab helleboro ſternutantes, eorundemque fumum hauriunt, vti tabacum. Plantam, quam reſpuunt boues, caprae tamen in deliciis habent (LINN. *Flor. Suec. p. 295.*).

Olim tota ſtirps, radice modo ablata, adhibita. Nam radix imbecillior (DE LA MARCHE *p. 14.*). Sunt, qui aequalem herbae quantitatem floribus ſem-

per

per admiſtam volunt, flores ſolos imbecillos pronunciantes (*l. c. p. 22.*). Recentiores quidam floribus praerogatiuam tribuuut. Efficacia in effuſionibus ſanguineis et ſugillationibus videtur in Germania primum explorata, ſiue a lapſu, vnde *Panacea lapſorum* dicta, ortis, ſiue externo impulſu, nixu et ſimilibus iniuriis. Inter primos FEHRIVS (*Eph. N. C. Dec. I. Ann. 9. et 10. Obſ. 2. p. 27. et 29.* quorum ſummam vide in *Act. Berol. Dec. I. Vol. I. n. 4.*) numeroſa experimenta huius generis memoriae prodidit; ad quae acceſſerunt Acta Wratislauienſia (*Bresl. Verſuche 1719. 1721. 1722. 1725.*) Acta Berolinenſia (*Dec. I. Vol. I. n. 4. Vol. 10. p. 80. Dec. 2. Vol. I. p. 66.*) BÜCHNERVS (*Miſc. 1727. m. Nov.* et in *Diſſ. de genuinis principiis et effectibus arnicae Erf. 1741.*) HEINR. SCHVLZIVS (*in Diſſ.* et DE LA MARCHE *l. c.*) alii. Nec fidem minuit, vt ſolet, tempus, ſed in contuſionibus dirioribus praemiſſa venaeſectione potum eiusdem commendat ROSENSTEIN (*Apot. p. 21.*). Ad centena ſua experimenta prouocat SCOPOLI (*Fl. Carn. Ed. I. p. 377.*). Nimis empiricam ſapientiam olet, doſin ex numero plantarum definire, prout vetula fecit, cuius SCHVLZIVS meminit (DE LA MARCHE *Diſſ. p. 16.*), quae tanquam maximam nec niſi robuſtioribus praebendam ſuaſit plantas quinque, minutim conciſas in libra vna cereuiſiae coquendas. FEHRIVS vel herbam aqua feruente infudit, vel pugillum vnum vel duo herbae

in

in cereuiſia decoxit. DE LA MARCHE (*p. 23.*) ſufficere pugillum 1. vel 2. herbae pro aquae ſimplicis vel cereuiſiae menſura vna expertus. Aſt ROSENSTEINIVS (*l. c.*) arnicae pugillos tres aquae libra vna coqui iubet. Proficua et fuere ſola folia trita et impoſita ad doloris et tumoris leuamen (SCOPOLI *l. c.*). Gratius eſt infuſum quam decoctum (DE LA MARCHE *p. 24.*).

Reſoluens potentia in aliis quoque morbis ſeſe declarauit, in dolore lateris cum dyſpnoea, in pleuritide ſpuria, tuſſi humorali vere et autumno recrudeſcente; in cachectico et oedematoſo; fomite febris crebrius recidiuantis (FEHR *l. c. Conf.* et BRÜCKNER in *ſel. med. Francaf. Vol. 3. p. 190 ſqq.*); in peripneumonia *Act. Berol. Dec. I. Vol. 9. p. 24.*), ad quam, ſi externa vi oritur, etiam confugit cl. QVARIN. (*Meth. med. inflamm. p. 80.*); in menſibus poſt febres ſuppreſſas obſtructis (*Act. Berol. Dec. I. Vol. 10. p. 82.*) in menſium ſuppreſſione, cui febris acceſſit (DE LA MARCHE *Diſſ. p. 14.*) in lochiorum retentione (*Comm. Nor. 1735. p. 431.*), in haemorrhagia vteri, an tuto? in infarctibus lienis; atonia partium rel. (*Act. Berol. cit.*) in mammarum nodis (*l. c. I. p. 59.*); in atrophia (*l. c. Dec. 2. Vol. 4. p. 92.*); in hectica (*l. c. p. 94.*); in nephritide calculoſa (LA MARCHE *p. 19.*); in arthritide (*l. c. p. 22.*); in contractura partium (*l. c. p. 14.*); in aſthmate a partu ſuperueniente iuncta raucedine et dolore

dolore nuchae, (NEBEL in *A. N. C. Vol. 8. Obſ. 113.*), in ictero a contuſione (VATER *Diſſ. de ictero.*).

Denique ſignificandum, quid in paralyſi valeat, qua in re recentius ſcrutinium ſubſtitit. In paralyſi (et contractura) plus ſimplici herba ſe profeciſſe fatetur, quam maiori aliorum apparatu IVNCKER (*Therap. gen. p. 173.*). Mentionem etiam iniicit paralyſeos artuum et linguae infuſo florum arnicae curatae DE LA MARCHE (*p. 13.*). Hemiplegiam arnicae ope curatam ſiſtit ESCHENBACH (*Obſerv. p. 353.*). Sed data opera effectum in hoc morbo egregium explorauit cl. COLLIN (*Obſerv. pract. T. 4.* inde a *pag. 5.*) nominatim in amauroſi, nec non in morbis ſpaſticis et conuulſiuis. Profuit nimirum et in paraplegia et hemiplegia et partiali paralyſi, malo etiamſi vetuſto. Amauroſis plerumque fuit criſi funeſta malignae febris orta. Nec in diriori ſpaſmorum et conuulſionum genere iners fuit, vt in opiſthotono, ſpaſmo cynico. Vſus fuit infuſi FLORVM a drachma vna ad quatuor pro reſidua poſt colationem libra vna, ſubinde ſyrupo miſti. Datum quoque aliquando electuarium ex drachmis duabus vel tribus pulueris et melle q. ſ. Quod alterutrum pondus per diem conſumtum (COLLIN). In paralyſi inferiorum artuum ex pondere dorſo illapſo opem tulit, praeter infuſum florum ingeſtum, cataplaſma ex herbis cephalicis et floribus arnicae

PLENCK *Mat. chir. p. 323.*). Idem cataplasma retentionem lotii ex paralysi vesicae deuicit (IDEM).

Efficax igitur medicina, sed eadem prudenti administratione egens. In quibusdam vomitum ciëre iam dictum. Anxietatem creauit (*Bresl. Samml. Aug. 1719.*), quin sudorem rubrum in pectore (DILTHEY *Obs. 2.* apud HALL.). Circa partem laesam mox insigniter dolorem auget, paullo post tamen euanescentem (SCHVLZ in *Diss.* DE LA MARCHE *p. 15. sq.*). In tenerioribus initio molestia abdominis, sed facile vincenda nascitur. In affectionibus neruosis in ipsos neruos et sensorium commune vim exserit. Mox, ingesta ea, aegri sensum formicationis experiuntur, dolores lancinantes vrentes et subinde succussiones, quasi ab igne electrico. In quibusdam lotium mouet, in aliis sudorem, subinde tamen nulla euacuatio sensibilis sese manifestat. Febre praesente locum non habet, nisi forsitan in nitri connubio, aperta vero aluus requiritur (COLLIN.).

DORONICVM.

LINN. *Syst. veget. p. 639. Gen. pl. p. 427.*

73.

Pharm. DORONICI *Radix.*

Doronicum pardalianches; foliis cordatis obtusis denticulatis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexican-

xicaulibus LINN. *Sp. pl. p. 1247.* Doronicum radice ſcorpii C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 128.* Pl. perennis, creſcit hinc inde, etſi infrequens in Heluetia (HALL.), item in alpibus Valeſiae, Pannoniae. Miror C. GESNERVM ſaepiſſime in montibus Helv. reperiſſe.

RADIX craſſa, ſerpens, transuerſalis, aſpera. Dulcis, aliquantum adſtringens, et leuiter aromatica. Diſparia fuerunt olim de ſalubritate eiusdem iudicia, quae ill. AB HALLER (*Hiſt. ſt. helv. p. 88.*) ſuccincto congeſſit. MARANTA enim, GHINVS, COSTAEVS, MATTHIOLVS plantam deleteriam pronunciarunt, veterum Pardalianchen aconitum eſſe ſtatuentes. Narratumque a CORTVSO eſt, canes drachmis quatuor enectos fuiſſe, et a DESSENIO mercatores inde Antwerpiae periiſſe. Lis praeprimis circa hanc rem exorta inter MATTHIOLVM (*in Dioſc. p. 761 ſq.*) et CONR. GESNERVM. Quam vt dirimeret GESNERVS, experimentum in ſemet ipſe inſtituit, et drachmas duas ſine damno ingeſſit (*Epiſt. p. 74. b.*), praeterquam quod ſtomachi inflationem et infirmitatem totius corporis, balneo euanidam, ſentiret (*Epiſt. p. 78.*). Herbam praeterea, quae aromatica et ſuauiter acris eſt, ſaepe in montibus cum voluptate absque noxa copioſe edit, et radices recentes, ſiccas, melle conditas ſiue in pollinem contritas, ſimiliter. Cadit igitur commentum a COSTAEO primum enatum, et

a BOERHAAVIO aliisque repetitum, GESNERVM inde interiiſſe, quum tamen certo conſtet (HALL. *Bibl. bot. I. p. 285.*) ex peſte mortuum. Faſſus dein ipſe MATTHIOLVS (*Ep. p. 302.*), contra primam ſententiam, ex vncia dimidia ingeſta canem ad maiorem alacritatem peruenisſe. Et IOHNSON (*on Gerard p. 763.*) ſaepe magnam eius quantitatem impune comedit. Suſpecta tamen adhuc manet ill. LINNEO (*M. m. p. 188.*).

Noſtro tempore vix vnquam aegris offertur, ſaepe vero illa per ſe vel gentiana et aſtrantia mixta in vertigine et epilepſia auxilio fuit (GESNER *Epiſt. p. 18. 66. 74.*). Loco potus conſueti per aliquot menſes dedit virgini epilepticae Doronici decoctum ALBINVS in ALSTON (*M. m. p. 437.*). Queſtus tamen DAN. LVDOVICI (*Oper. p. 115.*), in capitis malis ſpe debiliorem fuiſſe. Miror, quod auctores Angli, qui in medicamenta commentati ſunt, virium infuſi vino vel cereuiſia facti ad menſes pellendos non meminerint, in Anglia tamen obſeruatarum. (HALL. *hiſt. ſt. helv. l. c.*).

ACHIL-

ACHILLEA.

LINN. *Syſt. veget. p. 646. Gen. plant. p. 435.*

74.

Pharm. MILLEFOLII *Herba; Flores.*

Achillea Millefolium; foliis bipinnatis nudis laciniis linearibus dentatis caulibus ſulcatis LINN. *Sp. pl. p. 1267.* Millefolium vulgare album, C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 18.* Planta perennis in campis et paſcuis vulgaris.

Sapor HERBAE ſubadſtringens, nonnihil amarus cum aromatis indiciis, quod in FLORIBVS manifeſtius, praecipue inter digitos contritis. Ex hiſce deſtillatur oleum fragrans et penetrans. Extractum aquoſum amarum auſterumque eſt absque aromate; ſpirituoſum autem aroma ſeruat, moderate calidum eſt et penetrans, camphorae quoad ſaporem quodammodo ſimile, attamen non omni amaritie et auſteritate deſtitutum (LEWIS *M. m. p. 384.*). Quidam vtramque partem iunctim praeſcribunt. Si vero aromatis ratio habenda flores praeferendi, quum contra ea, ſi roborare velis, folia efficaciora.

Variis planta malis, in quibus adſtringentia ſiue tonica opportuna, fidem ſibi conciliauit. Et hoc nomine STAHLIO maxime placuit. Simul vero ad antiſpaſmodicam virtutem reſpici iubent. Neruos afficere vel ex inebriatione colligitur, quam experiuntur

pota cereuiſia, cui haec ſtirps incocta fuit (LINN. *Fl. Suec. p. 299.*). In diuerſis haemorrhagiae generibus voto ſatisfecit, in qua ſpaſmi ſaepe ſubſunt, de qua vi ex veterum cenſu varia teſtimonia collegit FR. HOFFM. (*Diſſ. de Millefolio* recuſa in *Opuſc. med. p. 341.*). Sed manendum in recentioribus exemplis. Haemoptyſin compeſcuit (*Bresl. Samml. 1718. m. Mart.*). In haemorrhoidali fluxu nimio laudat infuſum theaeforme STAHLIVS (*de ſpecif. p. 33.*) ſibique ipſe opem tulit ſymptomatibus haemorrhoidalibus infeſtantibus BVCHWALDVS (*Specim. medico-pract. p. 179.*), et reliquis omnibus praefert LÖSECKE (*M. m. p. 416.*) tanto magis, quum ſpaſmos ſimul ſopiat; feminae vero a diuturno nimio vſu in hocce malo abſtineant, ne fluxus menſtruus ſupprimatur (CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 278.*). Vſurpata quoque in haemorrhagia vteri (THOMASIVS apud HALL.) et in profluuio ſanguinis per aluum ex nimio nixu (CHOMEL. *l. c.*). Vtinam vera conſtansque eſſet laus et commendatio in phthiſi pulmonali ex vlcere (FONSECA *Conſil. med. Tom. 2.* PRAEVOT. *in med. paup. opuſc. p. 730.*), qua tanto efficacior creditur, ſi decoctum ex millefolio cum conſerua roſarum rubrarum paretur (HOFFM. *l. c. p. 344.*). Succus in vlceribus internis placet (CHOMELIO *l. c.*). Inter tot alias laudes contra fluorem album in colica, cardialgia, doloribus a partu, ventris flatibus, ſuppreſſione lotii, epilepſia etc., quas in medium proferunt,

qui

qui monographiis de millefolio operam dederunt (*Diſſertt.* LANGE *Altdorf.* 1714. HENNINCER *Argent.* 1718. FR. HOFFMANN. *l. c.*) non omittendum praeconium STAHLII (*Diſſ. de Therap. paſſ. hypoch.*) in malo hypochondriaco, cui aſſenſum et robur addit HOFFMANNVS (*l. c.*) et HEISTER (*Diſſ. med. German. indig. p. 29.*). Nec reticere licet diuturno vſu infuſi vel decocti moleſtias a calculo longae durationis omnino fuiſſe ſublatas (HOFFM. *Med. ſyſt. T. 4. P. 2. p. 375.*). Norwegi in rheumatiſmis magni faciunt, (GVNNER *Flor. Norweg. p. 71.*).

Vulneraria inſuper habetur ſub externo vſu, iam ab ACHILLE, vt ferunt, ſanatione vulnerum ſubiectorum ſibi militum, auctorato. Vulgus herbam tuſam pinguedine miſcet (HOFFM. *Diſſ. in Opuſc. p. 345.*) vel conquaſſatam ſolam inter lapides herbam imponit (LINN. *Fl. Suec. p. 299.*).

Achillea nobilis L. cuius icon vide in HILLII *Vegetable Syſtem. Tom. 2. Tab. 62.*, camphoracei odoris ſuporisque plures adhuc virtutes pollicetur, hinc alteri ſubſtituenda.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA *Ph. W. p. 7.* Aqua millefolii vino parata in vomitu nephritico incomparabilis ſaepe deprehenſa (SCHVLZII *praelect. in Ph. Brand. p. 246.*).

ESSENTIA *Ph. W. p. 83.* In moderandis haemorrhoidalibus motibus, menſium fluxu nimio, vomitu nephritico et cruento, adhibita ad guttas quinquaginta ſupraque: ſed merito huic praefert SCHVLZIVS (*l. c.*) infuſum theaeforme.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. W. p. 128.* Coeruleum plerique deſcribunt, nec hunc colorem a vaſis cupreis repetendum volunt (HOFFM. *Opuſc. p. 347.*). Verum huius loco, iterato licet tentamine, flauicans obtinuit ill. SPIELMANN (*Chemia p. 214.*). Diuerſitatis cauſa in ſolo quaerenda, nam flores ſtirpis ſolo humido fertili creſcentis coeruleum, alias viride in flauum inclinans, erogarunt (LEWIS *M. m. p. 384.*). Viribus ad oleum chamomillae proxime accedit, tanquam anodynum, antiſpaſmodicum, carminatiuum, celebre.

75.

Pharm. GENIPI VERI *Herba.*

Achillea foliis pinnatis, pinnis ſimplicibus glabris punctatis HALL. *Hiſt. ſt. helv. n. 112.* Tanacetum alpinum odoratum C. B. Proxime accedit ad Achilleam atratam LINN. Icon: SCHEVCHZ. *It. alp. 2. Tab. 21. fig. 3.* Creſcit in ſummis alpibus circa niues.

HERBA odorem ſpargit aromaticum v. multae aliae, praeter officinales Achilleae ſpecies; praeterea impenſe

impenſe amara eſt (TISSOT). Nomen *veri* praeeunte ill. HALLERO (*l. c.*) addidi, vt diſtinguatur ab aliis plantis, Genipi in Heluetia dictis. Nam alpicolis ibidem accepta, praeter quos vix ab aliis vſurpatur, nec noſtra pharmacopolia huc vsque intrauit. Ad epilepſiam puerorum vſurpatam Iuae moſchatae nomine legitur (C. GESNER *Epiſt. p. 66.*) item in morbis mulierum frigidioribus, diarrhoea, ventriculi imbecillitate. Quin nec verentur in pleuritide ingerere (TISSOT *Avis p. 142.*) cui ſtirpem tam calidam ſudoremque mouentem non accommodatam eſſe, quilibet agnoſcet, niſi forſitan ad finem morbi.

Genipi quoque nomine venditur Achillea nana LINN. (ALLIONE *pedemont. Tab. 2. fig. 3. p. 129.*) aromatici quidem odoris ſed debilioris. Vid. *ſupra p. 129.*

76.

Pharm. PTARMICAE *Herba* cum *Floribus*; *Radix.*

Achillea Ptarmica; foliis lanceolatis acuminatis argute ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 1266.* Dracunculus pratenſis ſerrato folio, C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 276.* Pl. perennis, creſcens in pratis humidis.

Acris ſtirps, ſed non vſitata. HERBA cum FLORIBVS in puluere naribus attracta ſternutationem excitat. Maſticata ſiue in collutione ſaliuam mouet; hinc in odontalgia opem praeſtitit, nec non ad faucium

mucum ſoluendum (BOERH. *Hiſt. pl. hort. L. B. Tom. I. p. 168.*). RADIX ad Pyrethri naturam proxime accedit. (LEWIS *M. m. p. 470.*).

77.

Pharm. AGERATI *Herba.*

Achillea Ageratum; foliis lanceolatis obtuſis acute ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 1264.* Ageratum foliis ſerratis C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 10.* Pl. perennis Galliae inferioris.

Exiſtimant eſſe Eupatorium MESVËS, quod in obſtructionibus hepatis et aliorum viſcerum adhibuit, et in ſyrupum et trochiſcos eiusdem nominis recepit. Hodie derelicta ſtirps, etſi ſuauitas odoris et amarities non indignum medicinae eſſe nomine teſtantur. Oleum infuſione eiusdem paratum et abdomini inunctum vermes infantum necare traditur (CHOMEL *Uſuell. T. 2. p. 113.*).

SOLIDAGO.

LINN. *Syſt. veget. p. 635. Gen. plant. p. 425.*

78.

Pharm. VIRGAE AVREAE vulgo ſ. SOLIDAGINIS SARRACENICAE (C. HOFFM.) *Herba.*

Solidago Virgaurea; caule ſubflexuoſo angulato, racemis paniculatis erectis confertis LINN. *Sp. pl.*

p.

p. 1235. Virga aurea latifolia ferrata C. B. Pl. perennis in ſyluis frequens.

Stirps ſubadſtringens amaraque et leuiter aromatica. In vitiis viſcerum vrinariorum auxilio multoties fuit, idque non nouo primum experimento. Etenim ARNOLDVS DE VILLA NOVA (*Oper. p. 1266.*) impenſe ex tollit herbam in calculo, memorabile adducens exemplum fracti adeo (vt videbatur) lapidis veſicae vrinariae. BARCLAIVS (*Satyricon. P. I.*) contra idem malum drachmam vnam per diem ſuaſit, idque tribus diebus continuis, vnde doloris acerbitas cum copioſo per vrethram effluuio ſedata. Puluerem et ipſe feliciter expertus eſt, et matrona, quae vſum a ſe didicerat, in innumeris nephriticis vt refert PISO (*Obſ. et conſ. p. 319.*). Sibi quoque probatum puluerem SOLENANDER (*Conſil. p. 66.*). Sine dubio magis conducit ad diatheſin calculi roborando renes tollendam et ſabulum expellendum, et, ne in calculum concreſcat, impediendum, quam, ſi iam coaluerit, ſoluendum, quod duriorem cuneum requirit. Hinc non miror, quod in calculo veſicae STAHLIO (*Nov. calc. pathol. p. 17.*) non ſatisfecerit. Praeter vires in calculo mictum cruentum ſopiuit (BVRCGRAF *A. N. C. Vol. 5. Obſ. 8.*). Vlcus vrethrae interno virgaureae vſu cum externo iuncto in aegra quadam ſanatum (LISCHWITZ *Diſſ. de virg. aureis p. 78.*), prout in vulneribus et vlceribus veſicae peculiarem vim illi tribuit

buit ETTMÜLLER. Sunt, qui in detergendis et consolidandis hisce vitiis in vniuersum depraedicant, vt ARNOLDVS DE VILLA NOVA (*l. c.*), qui folia imponere suadet, PONTEDERA (*Diss. botan. 9. p. 230.*) et SCOPOLI (*Fl. carn. Ed. I. p. 328.*), qui in vulneribus quibuscunque decocto vtiliter se vsum assueuerat. Haemoptysis ex vulneribus externis subulo inflictis sedata cum perfecta curatione (LISCHWITZ *l. c. p. 79.*). Valuit et in febre hectica et in incipiente hydrope ex obstructione viscerum (C. HOFFM. *med. off. p. 238.*).

Exhibetur igitur tam in puluere quam infuso et decocto. Aquae pariter ac spiritui vini vires suas impertit. Nec extracta taxanda. Placuit et (LISCHWITZ *l. c.*) *Tinctura* ad guttas sexaginta in decocto herbae data.

SENECIO.

LINN. *Syst. veg. p. 629. Gen. pl. p. 424.*

79.

Pharm. SENECIONIS *Herba.*

Senecio vulgaris; corollis nudis, foliis pinnato sinuatis amplexicaulibus, floribus sparsis LINN. *Sp. pl. p. 1216.* Senecio minor vulgaris C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 513.* Pl. annua. Vulgatissimum hortorum vitium, licet desit flori radius: condonabitur facile ob alias species, quod inter radiatas occurrat.

HER-

HERBA obliuioni tradita, et incertae etiamnum vis, ſaporis quodammodo ſalſi, oleracei. Externe potiſſimum applicata, tanquam emolliens, reſoluens, ſuppurans. In coagulis mammarum lacteis, in haemorrhoidibus, arthritide, lacte cocta vel butyro frixa, (TOVRNEF. *pl. de Paris. T. 2. p. 105.*). Helſingi contuſa ea furunculis medentur (LINN. *Suec. p. 291.*). Hippiatri Angli ſuccum expreſſum equis, vermibus Botts infeſtatis, ingerunt (RAY *Hiſt. pl. T. I. p. 290.*). Commendatur idem ad vncias duas in vermibus hominum inteſtinalibus (TOVRN. *l. c.*), item contra colicam.

ERIGERON.

LINN. *Syſt. veg. p. 627. Gen. pl. p. 422.*

80.

Pharm. CONYZAE COERVLEAE *Herba.*

Erigeron acre; pedunculis alternis vnifloris LINN. *Sp. pl. p. 1211.* Conyza coerulea acris, C. B. Icon: HILL's *veget. Syſt. T. 2. Tab. 75.* Pl. in collibus, ruderibus, paſcuis ſiccis, perennis.

HERBA acris eſt, in alpibus tamen omnino fere mitis (LINN. *Fl. Lapp. p. 243.*). Quae de efficacia eius aduerſus incantamenta et faſcinationes olim credita fuerunt noſtri ſeculi non ſunt. WEDELII (*Mat. med. cap. 4. p. 7. de abſterg.*) herba Ruga fuit. Contra

tra ſodam quibusdam familiaris (HOFFM. *Fl. Altdorf.*) In pectoris morbis, quoniam incidit, in Germania eiusdem rationem habuerunt.

CALENDVLA.

LINN. *Syſt. veget. p. 658. Gen. pl. p. 446.*

81.

Pharm. CALENDVLAE *Flores; Herba; Semina.*

Calendula officinalis; ſeminibus cymbiformibus muricatis incuruatis omnibus LINN. *Sp. pl. p. 1304.* Caltha vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *T. 106.* Pl. annua, in aruis Europae auſtralioris, ſed vulgaris in hortis.

Calendulam aruenſem L. nec ſpecie nec viribus differre auctor eſt, praeeunte RAIO (*Hiſt. T. 2. p. 338.*) ill. ab HALLER (*haer. n. 74.*). Planta ingrate odora, bitumen quodammodo redolens, ad attactum viſcoſa.

FLORVM nomine venit complexus omnium floris partium, calyce non excepto. Floſculi radium conſtituentes raro ſeorſim colliguntur, niſi pro ornamento Specierum odoris cauſa ſeruatarum (Pot pourri), pro culpanda fraude ad croci pondus augendum, et in vſum tinctorium; nam flauum colorem ſuppeditant duplo croci pondere (LINN. *Skånska reſa. p. 115.*).

Hi

Hi floſculi prout illi diſci ſubdulces primum, dein amari. Calyces autem, prout folia, magis amari ſubacres ingratioresque. Infuſum aqua factum magis odorem, vinoſum autem ſaporem, potiſſimum ſibi vindicat (LEWIS). *Herba* carbonibus impoſita ſtrepitum excitat inſtar nitri.

In deſuetudinem abiit ſtirps et odor ſiccatione perit. Aperiendi et pellendi inſignior potentia illi adſcripta, quam in humorum tenacitate, viſcerum obſtructione, menſtruorum ſuppreſſione ictero ſimilibusque praeſtaret. Ita et infantibus ſcrophuloſis flores foliaque inſtar acetarii comeſta proficua fuere (TOVRNEF. *pl. de Paris T. I. p. 311.*). Acrimonia omnino ineſt incidens, tamque efficax, vt verrucas deleat (HECQVET *pharm. paup. p. 89.*), et callum pedum marginemque durum vlcerum folia recentia impoſita auferant (TOVRN. *l. c.*). Flores praeterea inſigni in pretio antiquitus habiti in morbis malignis peſteque ipſa; et in hoc quidem morbo manducati vel in aceto praeſeruatiuo ſcopo; vel ſucco ad aliquot vncias epoto malo iam orto (MARCVS CVMANYS apud RAIVM *l. c.*). Quanta in peſte calendulae tributa fides ex citatis a ZORNIO (*Botanol. p. 155.*) auctoribus, RONDELITIO, MINDERERO, WELSCHIO aliisque multis apparet. Sudorem potenter mouere obſeruatum.

FO-

FOLIORVM, ſi modo ſenſuum ſcrutinio inhaerendum, maior efficacia eſt, quam florum.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA FLORVM CALENDVLAE *Ph. W. p. 6.* ſuperflua ob inertiam.

ACETVM FLORVM *Ph. Brand. p. 2.* Infuſione paratum. In cephalalgia capiti applicatur. Pro alexipharmaco iam dudum habitum, tamque extus impoſitum quam ingeſtum hoc ſcopo fuit. Vix vero errabit, qui plurimum ob aceto ſolo exſpectat.

ORDO IV.

AGGREGATAE.

STATICE.

LINN. *Syſt. veget. p. 248. Gen. pl. p. 153.*

82.

Pharm. BEHEN RVBRI *Radix.*

Statice Limonium; ſcapo paniculato tereti, foliis laeuibus eneruiis, ſubtus mucronatis. LINN. *Syſt. l. c.* Limonium maius multis aliis Behen rubrum I. B. *Hiſt. T. 3. p. 860.* Icon: OED. *Flor. Dan. Tab. 315.* Pl. perennis creſcens in Europa etiam boreali et Virginia, in littoribus marinis.

Non-

Nondum satis constat, an huic speciei debeamus Behen vel Behmen Ackmar AVICENNAE et SERAPIONIS, vel recentiorum Arabum, quam litem dirimere in defectu descriptionum, quas nobis reliquerunt, vix vnquam dabitur. Sunt qui ex hac desumi radicem volunt vel saltim succedanei vices explere (DALE *Pharm. p. 122.*) Nec dubium discussit citatis recentiorum locis HYDE (*Hist. relig. vet. pers. p. 509. sq.*).

RADIX in frustis transuersim sectis ex monte Libano aliisque locis Syriae transfertur iisque rugosis incuruis, compactis, profunde rubris, (GEOFFROY *M. m. Traité T. 2. p. 30.*). Imaginem exhibuit HYDE (*l. c. Tab. 7.*). Adstringit, vt sapor iam indicat, et roborandi scopo nec non in haemorrhagiis aluique profluuiis sedandis olim arrisit. Eadem de limonii radice et herba praecise affirmat RAY (*Hist. pl. T. I. p. 395.*). Intrat composita varia Arabum, vt Electuarium margaritarum MESVES, aliaque, quae iam euiluerunt. De religioso vsu apud Persas vid. HYDE (*l. c.*) et supra Centaurea Behen *p. 95.*

SCABIOSA.

LINN. *Syst. veg. p. 120. Gen. pl. p. 48.*

83.

Pharm. SCABIOSAE *Herba*; *Flores.*

Scabiosa arvensis; corollulis quadrifidis radiantibus, foliis pinnatifidis incisis caule hispido LINN. *Syst. l. c.* Scabiosa pratensis hirsuta C. B. Icon. OED. *Fl. Dan.*

Dan. T. 447. Pl. perennis ad vias et in agris frequens.

Huic inſcii pharmacopolae interdum Centauream Scabioſam L. ſubſtituunt (LINN. *Fl. Suec. p. 41.*). Sapor totius plantae amarus et ſubadſtringens. Vſurpari ſenſim deſiit. Olim vero depurare ſanguinem leuiter reſoluere et vlcera interna detergere et conſolidare credita, ſed quod dolendum plerumque in aliorum connubio, vt, quid ipſa praeſtiterit, non liqueat. Ad optima becchica refert RIVINVS (*Diff. med. p. 353. 363.*) in phthiſi et empyemate opportuna. Et conuenire decoctum cum melle potatum ad materiam craſſam pulmones grauantem ſoluendam et euacuandam, item vel infuſum vel ſuccum expreſſum in pleuritide et peripneumonia BOERHAAVE (*Hiſt. pl. L. 3. p. 190.*), qui et inter aperientia deterſiua in vlcere pulmonum (*Aphor. M. m. 858.*) collocat. In ſcabie fidem aliquam illi tributam nomen iam indicat, in qua, vti et pſora lepraque ſuccus per ſe vel in balneis adhibitus, quo et furfures capitis abluti. Potatum et in ſcabie decoctum fuit ſuccusque ſcabioſo corpori illitus (IO. BAVH. *Hiſt. T. 3. p. 2.*). Pro lue venerea nimis imbecillis videtur, interim ſunt, qui et huic parem eſſe reliquerunt (BOERH. *Hiſt. l. c.*)

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA merito euiluit, vtpote iners.

CONSERVA FOLIORVM *Ph. W. p. 39.*

84.

84.

Pharm. MORSVS DIABOLI *Radix; Herba.*

Scabioſa Succiſa; corollulis quadrifidis aequalibus caule ſimplici, ramis approximatis, foliis lanceolato-ouatis. LINN. *Syſt. veg. p. 121.* Icon: OED. *Fl. Dan. p. 279.* Pl. perennis in pratis ſubhumidis creſcens.

Nec haec hodie valde aeſtimata, nec multum ſpei ex eiusdem odore ſaporeque, qui ſubamarus dulcisque eſt, concipi poteſt. RADICIS figura praemorſa ſtirpi nomen dedit anſamque multis fictionibus. Poſtpoſitis hiſce aliisque narrationibus de radice et herba a ſaniori medicina abludentibus, vt de vſu in veneno qualicunque, aduerſus peſtem (MAYERNE), hydropem, apoſtemata hepatis (BONT. *med. ind. c. 9. p. 149.*): verius commodum herbae a gargariſmis in angina videtur repetendum, in decocto vel ſucco vſurpatae. Extenſum hoc eſt ad vlcera adeo venerea et alia, quibus fauces correptae fuerunt (SIM. PAVLLI *Quadrip. p. 446.*). Decoctum vtriusque partis reſeraſſe menſtrua ſuppreſſa et fluorem album curaſſe, haud absque fiducia narratur (CHOMEL *Uſuelles T. I. p. 344.*).

VALERIANA.

LINN. *Syſt. veget. p. 72. Gen. plant. p. 22.*

85.

Pharm. VALERIANAE MINORIS *Radix.*

Valeriana officinalis; floribus triandris, foliis omnibus pinnatis. LINN. *Sp. pl. p. 45.* Valeriana paluſtris ſ. ſylueſtris maior, C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 570.* Pl. perennis. Duplex eſt varietas (HALL. *Hiſt. ſtirp. helv. n. 210.*) *α. foliis anguſtioribus*, quae locis ſiccis montanis prouenit, prout in Hercynia vidi id contingere inter lapidum aceruos; *β. foliis latioribus ſplendentibus*, locis humidis, vt foſſis, creſcens.

RADIX ex trunco breui fibroſa eſt, fuſca, odoris penetrantis, vt ipſa herba ſubnauſeoſi, ſaporis ingrati, amaricantis, ſubacris. Maiorem eius quantitatem ſimul ſi olfeceris, temulentiae ſenſus oritur (HILL *on Valerian*). In Pharmacopoea Lond. requiritur varietas prior, nec immerito, quoniam alteri viribus longe antecellit (TISSOT *Traité de l'epilepſie p. 304.*). Euelli radix debet, antequam caulem edat, ſiccari et vaſe clauſo ſeruari (LINN. *Am. acad. Vol. 7. p. 303.*). Felibus in deliciis, quae lotio ſuo illam ſaepe odore moſchato imbuunt, et pari amore, dum ſiccatur, ad eam feruntur (HILL. *l. c.*). Creditur eſſe

φου

φου veterum iam ab ARETAEO praeceptum et a DIOSCORIDE deſcriptum.

Praecipuus, contra quem celebritatem nacta, morbus epilepſia eſt. Et hunc quidem vſum FABIVS COLVMNA, nobilis Italus (*Phytobaſamos Neapol. 1592. p. 97.*) reſuſcitauit proprio in ſe amicisque capto experimento, ab aliis remediis derelictus, ſed ab hac, vt ipſe refert, curatus; in priſtinum tamen morbum eum relapſum fama fert (PLANCI *Edit. vit. p. 9.*). Paucos modo ſeculo poſt notitiam eiusdem habuiſſe ex ſilentio auctorum facile coniicitur. Attamen DOMINICVS PANAROLI (*Iatrologiſm. ſ. medicin. hiſt. pentac. quinque Rom 1643. Pentec. I. Obſ. 33. p. 20.*) veſtigiis dictis inſiſtens primum piſcatorem epilepticum dein alios eadem ſanauit. Ita et CRÜGERVS (*Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. Obſ. 78.*) eodem euentu eam duobus hominibus, quorum vnus, vir, ex ira, alter, femina, ex terrore epilepſiam contraxerat, vti et ancillae praeſcripſit, ſudatione ſimul mota. Feminae ex terrore epilepticae largiori pulueris doſi ſanitatem reſtituit SCHVCHMANNVS (*Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. Obſ. 44. p. 116.*). LENTILIO (*l. c. App. ad Dec. 3. A. 3. p. 86.*) praeſertim feminis ex obſtructione menſium conuulſis conducere viſa. Non latuit RIVERIVM (*Prax. med. L. I. p. 62.*) efficacia antepileptica, licet caſum modo, quo in farragine aliorum emmenagogo ſcopo praeſcripſit, inueniam (*Opſ. p. 7.*).

Paeoniae illam praefert SYLVIVS (*Op. p. 427.*). Noſtro ſeculo maiorem fiduciam incuſſit cl. MARCHANT (*Mem. de l' ac. d. ſc. de Paris 1706. p. 333 ſq.*) qui pluribus tam infantibus quam adultis eadem auxilio fuit, in quibusdam paroxyſmorum vehementiam infringendo, in aliis interualla prolongando, in aliis demum ipſum malum ſuffocando. Fuerunt inter hoſce quidam verminoſi, et in hiſce ſudor copioſius poſtea erupit; opus vero fuit vel purgatione alui vel alio modo antea ad medelae hocce genus corpus praeparare. Pluries poſtea epilepticos ea ſe curaſſe refert CHOMEL (*Pl. uſuelles T. I. p. 228.*) et inter hoſce infantem duodecim annorum, qui per tres vel quatuor annos bis vel ter per menſem cecidit, artuum tremore ſuperſtite. Conualuit eius ope vir, qui per duodecim pariter annos ſub quolibet exercitio venereo paroxyſmo epileptico correptus fuit (SAUVAGES *Noſol. method. T. 3. P. 2. p. 231. Ed. in 8.*). Succeſſit et in epilepſia trienni ex terrore orta, redeunte aliquoties per hebdomadem (SCOPOLI *Fl. carn. p. 347.*). Similiter etiam in mentis alienatione cum epilepſia in aegro quodam profecit (WHYTT *nerv. Diſ. p. 513.*). Multas curationes ſe huic vnice radici debere agnoſcit TISSOT (*l. c. p. 310. 311.*) affirmans adeo, vbi illa non iuuet, malum eſſe incurabile.

Alia querela de inconſtantia effectus exorta, nempe initio modo leuamen attuliſſe, paullo poſt autem

tem priſtinum malum eadem vehementia repullulaſſe, (LOCHER *Obſ. pract. p. 40.*). Etſi vero MARCHANT aliique nihil unquam noxae peperiſſe radicem ſua natura obſeruarunt: cl. ANDRÉE (*Caſes of Epilepſy p. 262.*) tamen inde ventriculum labefactari ſtatuit; quod vix ex ſapore amaro et adſtringente metueres, refellit autem TISSOT per praxin octodecim annorum. Anxietatem quidem leuem initio maiori doſi data ciet, cui tamen minuendo doſin et addito tantillo macis facile praeuertas (TISSOT *l. c. p. 309.*).

Ex dictis facile decerni poteſt pretium eiusdem in epilepſia, quin diriori ex terrore, vt tranſire ad alios morbos liceat. Ill. AB HALLER, cui virtutem ſuam in epilepſia comprobauit, hyſtericas affectiones et nimiam neruorum ſenſilitatem ea ſuppreſſit (*Hiſt. ſt. helv. n. 210.*). In malo hyſterico et impenſe laudat HILL (*on Valerian Lond. 1758.*). Alius choream St. Viti colicamque pictonum ea deuicit (BRISBANE'S *ſelect Caſes p. 37.*).

Varia indicia reſoluendi potentiae adſunt. Cum Guaiaco miſta glandularum obſtructiones referat (MORGAN *phil. princ. p. 424.*). Extractum vrinae difficultati et retentioni ſubuenit (CAMERAR. *hort. med. p. 175.*). In hemicrania palmarium radicem largiori doſi et repetita ſumtam habet cl. FORDYCE (*de Hemicrania p. 91.*), qui ipſe ſe ab eadem quadrienni liberauit. Tumores leucophlegmaticos diſſipauit tota

planta conciſa et cereuiſia cocta, ſubiuncto purgante (SPIESS. *Diſſ. de Valeriana cap. 8.*). In paralyticis malis quoque auxilium tulit, nominatim viro ex lapſu infelici incontinentia vrinae et alui mulctato, etſi in hoc caſu conſortio aliorum opus eſſet (BRISBANE *l. c.*).

Contra vermes maxime opportuna fuit, ſed commixta cum ſale polychreſto radice ialappae et oxymelle ſcillitico (STÖRCK *Ann. med. 1. p. 103. 164. Ann. 2. p. 228. 286.*), vt meritum inter plura diuiſum maneat.

Vrinam (C. HOFFM. *off. p. 583.*) ſudoremque (V. ſupra MARCHANT) mouet. A natura noſtra non ferri, vlterius conſtat vomitu aluique profluuio, quod interdum creat (RAII *Hiſt. p. 388.*), quae vis nec ignota DODONAEO (*Pempt. p. 350.*) pulueris radicis drachma vna cum vino ſumta; et vlterius effectu, quem et hodie Angermanni experiuntur, dum cereuiſia ſecundaria vel vino radicem coquunt, confirmatur, quem vero ill. A LINNÉ (*Amoen. ac. loc. cit.*) nimiae doſi tribuit. Puluis naribus attractus aciem oculorum reſtituit miſtus aequali portione foliorum tabaci, et inſtillatis hiſce aliquot guttis olei deſtillati Lauendulae et Maioranae (*A. N. C. Vol. 3. Obſ. 125. p. 384.*).

Conuenientiſſimum eſt, ſecundum normam COLVMNAE et MARCHANTII in puluere exhibere.

Hacce

Hacce forma etiam optime ill^ri TISSOT (*p. 310.*) ſucceſſit, modo aegri non faſtidiant. Ad celandum ingratum ſaporem odoremque miſcela Macis (LEWIS *M. m. p. 589.*) confert. Doſis ſcrupulus vnus vel drachma dimidia; quidam non veriti drachmam integram vel ſupra dare: in vehiculo aquoſo, vinoſo vel, quod pro infantibus COLVMNA commendat, lacteo. Nec infuſum aquoſum deſtituitur odore ſaporeque plantae. Extracto ex hoc parato, potentius eſt extractum ſpirituoſum minusque ingratum puluere. (TISSOT). Hoc arbitror extractum eſſe, quod paroxyſmos vel deſtruere vel ſuſpendere obſeruauit HALLERVS (*Opuſc. pathol. p. 196.*), et quo virgini epilepticae in connubio limaturae chalybis et corticis peruuiani ſanitatem reſtituit, MEADEO (*Monit et pvaec. med. p. 37.*) plurimum praeſtitit in miſcela cum cortice peruuiano et quidem ſic: ℞. Cort. peruv. ℥j Rad. Valer. ſylv. ʒij Syr. cort. aurant. q. ſ. vt F. Elect. Et huius quidem praemiſſis euacuantibus aeger mane et veſperi bolum drachmae vnius ſuaſit, dein repetiit triduo vel quatriduo ante nouam plenamque lunam.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TINCTVRA VALERIANAE SIMPLEX *Ph. Lond. p. 73.* Ex radice et ſpiritu vini tenuiori.

TINCTVRA VAL. COMPOSITA *l. c.*

ESSENTIA VAL. COMPOSITA *Ph. W. p. 87.* Ex

radice valerianae, ſerpentariae virgin. et camphora ſpiritu vini digeſtis. Doſ. gtt. 40 ad 60.

TINCTVRA CEPHALICA *Ph. Ed. p. 40.* Ex radice valer. ſerpentariae virg. et ſummitatibus roriſmarini vino albo digeſtis.

OLEVM DESTILLATVM. Oleum, licet plures libraè radicis ſimul deſtillationi ſubmittantur, non erui, affirmat LEWIS. Attamen ſummum remedium in eclampſia et epilepſia et in malo hyſterico ſorſitan praeſtantiſſimum vocat SAGAR (*Syſt. tum. p. 39.*).

86.

Pharm. VALERIANAE MAIORIS ſ. PHV *Radix.*

Valeriana Phu; floribus triandris, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indiuiſis LINN. *Sp. pl. p. 45.* Valeriana hortenſis C. B. Icon: *Hort. Eyſtett. Aeſt. Ord. 9. T. 2. fig. 1.* Pl. perennis in Alſatia (LINDERN. *Hort. Alſ. p. 37.*) creſcens, licet non inuenerit MAPPI *Pl. Alſ. p. 316.*

RADIX craſſa eſt obliqua extus coloris ſubbruni interne albidi vel virideſcentis, ſaporis et odoris, vt in praecedenti. Sunt qui praeferunt eidem (SCHRÖD. *Pharm. p. 704.*), ſed longe hodie infrequentior in re medica. Addo modo rheumatiſmum et nominatim malum iſchiadicum inueteratum debellaſſe (*Comm. Nor. A. 1734. p. 374.*) et adhuc nuperrime in epilepſia fuiſſe commendatam. SCOP. *Ann. Hiſt. nat. 4. p. 141.*

87.

87.

Pharm. SPICA CELTICA.

Valeriana celtica; floribus triandris, foliis ouato-oblongis obtusis integerrimis LINN. *Sp. pl. p. 46.* Nardus celtica Dioscoridis C. B. Conf. IACQVIN *Flor. Vindob. p. 203.* Icon: CLVS. *Pannon. p. 515.* Pl. perennis, crescens in alpibus italicis vicinisque helueticis item styriacis.

Quod dicto nomine in pharmacopoliis seruatur, sunt RADICES tenues fuscae squamulis obsessae, fibrillas copiosas ad latera emittentes, vna cum cespite FOLIORVM ex apice radicum emergente. Odorem prae se fert grauem valerianae vel asari, etsi fortiorem, saporem acrem amaricantem aromaticum. Veterum tempore, vt ex CELSO, CAELIO AVRELIANO aliisque apparet, vsitatior quam hodie apud Europaeos, qui fere omnino negligunt. Apud populos tamen interioris Africae, Abyssiniae et Aethiopiae tanto in pretio, vt quotannis ex Germania per Venetos transmittantur 60 tonnae, quarum quaeuis centum fere imperialibus venditur. Recipiunt autem in vnguentum, quo cutem emolliunt sub feruido calore, et splendorem illi conciliant (HASSELQ. *Resa p. 537.*). Prout acriori odore, ita et virtute praestare existimat ill. AB HALLER (*Opusc. pathol. p. 196.*). Quidam spicae Indicae supparem iudicant, quin fuit (COSTAEVS in MESVEN *p. 78.*), qui praetulit.

ORDO

ORDO V.

CONGLOMERATAE.

POTERIVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 716. Gen. pl. p. 495.*

88.

Pharm. PIMPINELLAE ITALICAE *Herba.*

Poterium Sanguiſorba; inerme, caulibus ſubangulosis. LINN. *Sp. pl. p. 1411.* Poterium Sanguiſorba minor laeuis C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 413.* Pl. perennis. Creſcit in collibus et pratis ſiccis. Colitur et in hortis culinaribus.

HERBA. Huic odor ſubfragrans et ſapor leniter adſtringens. Condimentum ſolitum lactucae eſt. Sed amplior vſus eiusdem, nomine *Burnet* (ROCQVE *Muſ. ruſt. T. I. p. 230. 296.* et alibi *T. 2. 4. 5.*) Anglis pro pabulo equorum et ouium eſt, tam depaſta quam foeni inſtar, quam in primis ſuperſtes per hiemem viriditas commendauit.

Vt alia adſtringentia plauſum olim tulit in haemorrhagiis et alui profluuiis in calculo et inſtar vulnerarii. Vide plura teſtimonia collecta in I. BAVHINI *Hiſt. pl. T. 3. p. 119.* Sic BOWLE puluerem herbae vel radicis exſiccatae cum ſaccharo roſato exhibuit in hae-

haemorrhagia narium, ſputo ſanguinis aut tabe pulmonum (RAII *Hiſt. pl. T. I. p. 401.*). Eadem ſopiuit fluxum menſtruum nimium (RIEDLINI *Lin. med. a. 1696. p. 416.*). Similis fuit ſucceſſus in femina profluuio nimio haemorrhoidali laborante (BARTHOL. *Act. med. Hafn. Vol. I. p. 165.*). In mictu cruento conſerua commendata (a SOLENANDRO *Conſil. 27. Sect. 3.*). Dyſenteriae iam prodeat exemplum, quae vtut obſtinata huius decocto aqua et butyro parato intra triduum conticuit (RIVER. *Obſ. Cent. 3. n. 84.*). In calculo et ſabulo quid valeat ex iis quae HEVCHERVS de adſtringentibus in vniuerſum propoſuit colligitur: miratur tamen RAIVS commendatam fuiſſe. Iuſtior ſane ſuſpicio, contra hydrophobiam inertem eſſe, licet HENRICI ſecundi, Galliae Regis, venator omnibus ſingulisque, qui aliquot diluculis vel in acetariis vel alio modo praeparatam comederint ad auertendum malum ſufficere FERNELIO narrauerit; videtur vero experimenta vnice in canibus regiis cepiſſe (PALMARIVS de *morbis contag. p. 345.*). Decoctum poſt cucurbitam vulneri adhibitam per dies nouem ad vncias ſeptem potatum commorſis a rabioſo animali bibere iterum iubet HERM. HEYDEN (*Discours p. 70.* apud HALL.). In vniuerſum medica eius fama conſenuit.

SAN-

SANGVISORBA.

LINN. *Syſt. veg. p. 133. Gen. pl. p. 58.*

89.

Pharm. PIMPINELLAE ITALICAE *Radix.*

Sanguiſorba officinalis; ſpicis ouatis LINN. *Sp. pl. p. 169.* Pimpinella ſanguiſorba maior C. B. Icon: OED. *Fl. Dan. Tab. 97.* Pl. perennis, creſcens in pratis vdis. Caue, ne cum praecedenti planta monoica polyſtemone haec hermaphrodita tetraſtemon confundatur.

Haec confuſio ſine dubio effecit, vt pro Anglorum Burnet quidam habuerint; dura vero nimis eſt, quam vt coli operae pretium ſit. (HALL. *Comment. nov. Gott. T. 1. p. 28.*). Nihil in hac fragrantiae percipitur; ſed ſtiptici ſaporis et virtutum praecedentis aemula. Obſoleta et ſuperflua. Ad hanc refert LINNEVS (*M. m. p. 52.*). PALMARII narrationem de vi in hydrophobia.

PLANTAGO.

LINN. *Syſt. veg. p. 131. Gen. pl. 57.*

90.

Pharm. PLANTAGINIS LATIFOIAE *Folia; Radix; Semina.*

Plantago maior; foliis ouatis glabris, ſcapo tereti, ſpica floſculis imbricatis LINN. *Sp. pl. p. 163.* Plantago

tago maior CAMER. *epit. p. 261.* Icon: OED. *Fl. Dan. T. 581.* Pl. perennis, vbiuis ad vias et locis incultis crescens.

Vsitatissima haec species est, et secundum mentem DIOSCORIDIS efficacissima. Attamen et alia inualuit, *Plantago lanceolata*, foliis lanceolatis, spica subouata nuda LINN. *Sp. pl. p. 164.* OED. *Fl. Dan. p. 437.*; quam veteres minorem dixere; et apud Parisienses *Plantago media*, foliis ouato-lanceolatis pubescentibus, spica cylindrica, scapo tereti LINN. *l. c. 163.* OED. *l. c. T. 581.* Vtraque vulgaris ad vias.

FOLIA saporis subadstringentis leuiter amari. DIOSCORIDI et GALENO valdopere et sane plus iusto celebrata, quorum tamen effata de efficacia in sanguinis varia profusione, in dysenteria aliisque alui profluuiis, in vlceribus, recentiorum experimenta passim confirmarunt. Generatim hisce et vi in obstructione viscerum accinit FERNELIVS (*Meth. med. L. 5. p. 104.* aliisque multis locis.). Ita aduersus vomitum et expuitionem sanguinis nullum certius et praesentius remedium pronunciat BOYLE (*de vtil. phil. nat. P. 2. p. 150.*). In diarrhoea iuuat folia plantaginis in iusculo coquere (ROSENST. *Bskd. p. 81.*). Phthisicis comedere vel succo eius vti iussit CELSVS (*L. 3. c. 22.* versus finem) pariter succum vel decoctum ingerere PLINIVS (*Lib. 26. cap. 2.*). Fidem auxit hocinmorbo PETZOLDT in *Eph. N. C. Cent. 7. Obs.*

Obſ. 10. p. 25. et SCHVLZIVS (*Mat.med. p. 412.*) qui cum melle mixtam ſucceſſiſſe perſuadet. In febrium intermittentium initiis etiam placuit (LENTIL. *eteodromus p. 3565.*), ſubſcribente CHOMELIO (*Uſuelles T. 2. p. 290.*), de ſucco a binis ad quatuor vncias dato, et teſtimonio, etſi ambiguo, in *Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 9. Obſ. 63.* Conſuetiſſimus in vniuerſum modus exhibendi eſt in infuſo vel decocto. Externe plebs vulneribus minoribus applicat. Vtinam perpetua eſſent, quae de vtilitate in cancro mammarum praedicat BORELLVS (*Hiſt. et Obſ. Cent. 2. n. 51.*). Ad gargariſmos quoque commoda. Fomentatio ex decocto in prolapſu ani opportuna (SCHWENKFELD.).

SEMEN alui laxitatem lacte vel iuſculo carnis ad drachmam vnam ſumtum coërcuit (CHOMEL. *l. c. p. 291.*) Rari vſus.

RADIX herbae ſuppar, ſed itidem infrequens. Amuletum WEDELII (*Exper. de Colchico Ien. 1718.*) eandem cum radice colchici et floribus lauendulae recipit, a noſtri vero temporis cogitandi ratione alienum.

PRAEPARATA.

AQVA PLANTAGINIS. Ex foliis. Hinc inde adhuc in pharmacopoliis obuia. Perperam vulneraria credita, quum adſtringens principium deſtillatione ſeſe abripi non patiatur.

EX-

EXTRACTVM PLANTAGINIS *Ph. Ed. p. 115.* Eſt ſuccus expreſſus, inſpiſſatus, inſignis acerbitatis.

91.

Pharm. PSYLLII *Semen.*

Plantago Pſyllium; caule ramoſo herbaceo, foliis ſubdentatis recuruatis, capitulis aphyllis LINN. *Sp. pl. p. 167.* Pſyllium maius erectum C. B. Ψυλλιον DIOSCORIDIS, Κυνοπα THEOPHRASTI. Icon: BLACKWELL *Tab. 412.* Pl. annua, in Europa auſtraliori et Aegypto creſcens.

Diſtinguenda a *Plantagine Cynope*, quae frutex, foliis filiformibus et capitulis ſubfoliatis inſtructus. Et hanc quidem poſteriorem ill. AB HALLER (*Hiſt. n. 661.*) officinis dicat, quum ill. A LINNÉ aliique contra ea praefixam.

SEMINA exigua profunde bruna, oblonga, ſplendentia, vna parte conuexa altera leuiter concaua, initio nauſeoſe mucilaginoſa, dein acria (HERMANN. DALE.). Et huius quidem mucilaginis eiusque ſiccae ad octauam partem continent (SPIELM. *M. m. p. 636.*). Seminum drachma vna pintam fere aquae mucilaginoſam et flauentem reddit (LEWIS *M. m. p. 469.*). Refrigerare quidem ſeminum corticem, medullam vero calidam eſſe et venenatam antiquitus creditum (MESVË *ſimpl. c. 20. fol. 43.*). Acrimoniae culpa non plane carere docet decoctum inſpiſſatum, quod muci-

laginem obſcuram brunam penetranter acrem relinquit; quin ſpiritus vini acre a mucilagine ſeiunctum imbibit (LEWIS *l. c.*). Eousque autem infeſtam eſſe, vt moerorem, aſthma, ſyncopen, quin mortem conciliaret (RHAZE ad MANSOREM), poſterioribus ſaltim experimentis non conſtitit. Ad aluum ducendam veteres quidem adhibuerunt in electuario, ſed additis aliis potentioribus. Frequens Aegyptiis remedium mucilago, aqua hordei parata et ſaccharo candi mixta, in febribus biliofis, ardentibus, inflammatoriis pectoris, eſt, vel mucilago aqua roſacea extracta in diarrhoeis et dyſenteriis biliofis, item externe in inflammationibus, contra quas et folia viridia applicant (ALPIN. *pl. Aegypt. cap. 42. p. 129.*). Apud nos ſenſim ſemina deſueuerunt: ſubinde tamen mucilago emolliendi, relaxandi, acre obtundendi et glutinandi fine, vt alia mucilaginoſa, vſurpantur. Ita et in inflammatione oculorum mitiganda (CHOMEL *Uſuell. T. 3. p. 134.*).

CVSCVTA.

LINN. *Syſt. veg. p. 140. Gen. pl. p. 66.*

92.

Pharm. CVSCVTAE *Herba.*

Cuſcuta europaea; floribus ſeſſilibus LINN. *Sp. pl. p. 180.* Cuſcuta maior C. B. Icon: *Fl. Dan. p. 199.*

p. 199. Pl. paraſitica, annua, quae, licet ex ſemine * in terra orta, ibidem tamen mox areſcens, papillis adhaeret adſtantibus plantis, et filis numeroſis ſeu caulibus tenellis ſeſe iſtis circumuoluit, foliis omnino deſtituta, ſed flores in faſciculos collectos gerens. Conf. GVETTARD de papillis iſtis et charactere cum iconibus in *Mem. de l'acad. d. ſc. 1744. p. 190. Tab. 10.* Inſigni diuerſitati ſtirpium inhiat, Vrticae dioicae, Lino vſitatiſſimo, Trifolio pratenſi, aliisque quas ſuccum hauriens contorſionibus multifariis perdit.

Iungendà mox cum eadem alia ſpecies.

93.

Pharm. EPITHYMI *Herba.*

Cuſcuta epithymum; floribus ſeſſilibus quinquefidis bracteis obuallatis LINN. *Syſt. veg. p. 140*, Epithymum ſ. Cuſcuta minor C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 427.* Filamentis ſeu cauliculis gracilioribus rufis conſtat, omnibus partibus tenerior. LINNEVS primus in *Syſt. ed. 13.* ſeparauit a priori in ſpeciem peculiarem, alias in condendis ſpeciebus non nimis liberalis, dum olim botanicis nomine varietatis venit. Thymo praecipue innaſcens, unde nomen veteres dedere, prout

 alibi

* Deſtitui ſemina cotyledonibus LINNEVS (*Sp. pl. l. c.*) indicat, monocotyledonem autem ſtirpem vocat ADANSON (*Famill. I. Pref. p. 304.*)

alibi eadem de cauſa Epithymbrum, Epimyrtus, Epidictamnus dicta. Adhaeret et Origano, Sideritidi, Ericae aliisque. Hinc inde in Europae calidioris rupibus vulgaris; ſed in officinis obuia ex Aſia minori transmittitur, vel ex Creta, vnde *Epithymum creticum* in officinis nuncupatur. Ibi cauliculi ex Thymo plerumque immixti.

De antiquitate duplicis iſtis Cuſcutae ſpeciei legat, qui tricis iſtis delectetur, doctam Diſſ. WEDELII et reſp. BILHARD *de Cuſcuta Ien. 1715.*, quae in librum increuit. Epithymum veterum poſteriorem eſſe probabile. Sapor virtusque variat, pro diuerſitate plantarum, cui ſuccreſcit, ita vt Epithymum mentiatur ſaporem odoremque plantae primariae, etſi debilius: contrarium tamen affirmat WEDEL (*l. c. p. 87.*) *Cuſcuta* inodora, ſed ſapor diuerſe deſcribitur, acris et ſubadſtringens a GEOFFROY (*M. m. Traité Tom. 6. p. 176.*) amaricans a LINNEO (*M. m. p. 54.*), inſipidus et nonnihil mucidus, ſed ſaliuam prouocans ab ALSTONO (*M. m. T. 2. p. 126.*) Succulentior haec, et ſiccata ex flauo plerumque virideſcens. Spiritum acidulum largitur, ſpiritui tartari non abſimilem, ſed blandiorem (WEDEL *l. c. p. 83.*). *Epithymum* et quidem *creticum* medicis et iam quidem Arabum auctoritate praeſtantius habetur.

Incidere, attenuare, reſoluere et leuiter adſtringere vtraque credita. Comparat ſtirpem cum Sedo (an Sem-

Semperuiuo ?) quod reſoluat vi nitroſa ſaponacea abſque morſu, HALLERVS (*Hiſt. n. 654.*). In melancholia et malo hypochondriaco et malis inde ortis praecipue opportuna viſa (WEDEL *Am. m. med. p. 244.*) ſine dubio medicis, qui tenacitatem humorum et obſtructiones ſemper in his malis arguunt. Pari laude in cuiuscunque generis viſcerum abdominalium obſtructionibus celebrata a SIM. PAVLLI, ETTMVLLERO, WEDELIO tanquam primaria fere; hinc et ictero (CRATO *Epiſt. med. 125.*) Difficulter ſpirantibus praeterea conuenit, ſi GALENO, AËTIO, ORIBASIO, ACTVARIO aliisque fides, quin in tabe effert HIPPOCRATES (*Lib. 1. de int. affect. S. 1. v. 130.*) Febres intermittentes ex obſtructione viſcerum natas reſoluere praeterea haud pauci medicorum, poſt renaſcentes litteras celebrium, voluere. Purgandi praecipue atram bilem vis a pluribus veterum Graecorum et Arabum, ſubſcribentibus ſerioribus, eidem adſcripta: quam tamen ex minori quantitate non expertus FALLOPIVS (*med. purg. ſimpl. c. 10.*), et tardam eſſe alii queruntur; nec compoſita, quae ſubinde intrauit, efficaciam ſimplicium euincunt, vt in decocto MESVËS. Mouere lotium etiam teſtimonia varia referunt (HIPPOCR. *l. c. v. 371.*) Nolo pluribus inhaerere ſtirpi noſtro tempore exoletae, et quantum plerisque criteriis eluceſcit, infirmae, dum vberius veterum et ſerioris aetatis medicorum de eius viribus effata ex diſſertatione allegata cognoſci poſſint.

Indicandum modo tam in puluere, quam in infuſo cum vino, in decocto, item cum melle vel et ampliori miſcela fuiſſe vſurpatam; vnde variae formulae in veterum ſcriptis paratae exſtant, e. g. Decoctum epithymi AVICENNAE, aliudque MESVES.

? PENAEA.

LINN. *Syſt. veg. p. 130. Gen. pl. p. 56.*

94.

Pharm. SARCOCOLLAE *Gummi.*

Penaea mucronata; foliis cordatis acuminatis LINN. *Sp. pl. p. 162.* Tithymali myrſinitis ſpecie arbuſcula aethiopica, flore paruo e lata baſi in acutiſſimum mucronem ſubito definente, capitulis origani PLVK. *Mant. 183.* Frutex aethiopicus.

Hanc ſpeciem indicat LINNEVS in *Mat. med. Ed. 1. p. 16.* et *Spec. pl. l. c.* etſi alii nomen triuiale addit huic conuenientius. Nec amplius videtur dubitare Sarcocollam eius progeniem eſſe, quum de eo ſileat in *Diſſ. Obſerv. in Mat. med. §. 2.* Aliis vt IOS. MILLER (*Bot. off. p. 394.*) arbor pariter ac patria ignota eſt. Euphorbiam eſſe I. BAVHINVS (*Hiſt. pl. T. 1. p. 308.*) hariolatus eſt, quod et HERMANNO (*Cynoſ. M. m. T. 1. p. 701.*) et ALSTONO (*M. m. 2. p. 465.*) probabile. Quicquid ſit, adfertur ad nos Gummi ex Perſia et Arabia.

SAR-

SARCOCOLLA in granis variae magnitudinis, friabilibus coloris flauentis vel rubentis, saporis amaro-dulcis, nauseosi et subacris, odoris expertibus occurrit. Candelae admota primum in bullas inflatur, dein flammam concipit. Aqua omnino fere soluitur, et plurimam partem spiritu vini. Obsoleuit nec adhuc dum vires eiusdem satis exploratae. Sed veteres, vt MESVE, pituitam vel alios humores, cerebrum, neruos, iuncturas, ischium, pulmones grauantem expurgare perhibuerunt. Suspecta vero simul habita, ita, vt MESVE caluitiem gignere et ventriculo calido et bilioso nocentissimam pronunciaret. In oculorum fluxionibus et maculis lacte solutam et aqua rosarum dilutam imposuerunt (SCHRÖDER. *Pharm. p. 752.*) Porro in vulneribus detergendis et consolidandis fidem GALENI obtinuit.

VISCVM.

LINN. *Syst. veg. p. 739. Gen. pl. p. 517.*

95.

Pharm. VISCI *Lignum; Baccae.*

Viscum album; foliis lanceolatis obtusis, caule dichotomo, spicis axillaribus. LINN. *Sp. pl. p. 1451.* Viscum baccis albis C. B. Graecis ἶξος. Icon: DV HAMEL *Mem. de l'acad. d. sc. de Paris 1740. Tab. 22. 23. 24.* Frutex parasiticus, semperuirens, multifa-

riis arboribus tam frondoſis quam aceroſis, vt Larici, Pino ſylueſtri (GLEDITSCH *verm. Abh. T. 1. p. 220.*) innaſcens, nec viuis modo ſed etiam mortuis; nominatim Quercui, Betulae, Salici, Corylo, Tiliae, Malo quoque et Pyro tam ſylveſtri quam inſitione adiutae, aliisque multis. Et in hiſce per turdos aliaque animalia, quae ſemina extrinſecus viſcida indigeſta deiiciunt diſſeminatur, et radices agens non ſolum per corticem ſed in ipſum adeo lignum arboris, cui inhiat, penetrat, huiusque fibris radiculas ſuas implectit. Semine tamen cortici immiſſo pariter procreſcit, vt expertus BARREL (*Phil. Tranſ. n. 397. et n. 405.*) item BRADLEY (*New improvements of Gardening p. 22.*); vt igitur maturatione in ventriculo auium, quam veteres ſibi finxerunt, non opus ſit. Accuratiſſime omnium autem de ſeminatione et vegetatione egit DV HAMEL *loc. cit. p. 483.* Numerus foliorum ſeminalium variat ab vno ad quatuor (IDEM *Arbres p. 355.*)

Hic frutex prout arbores, quibus nutrimentum debet, vt in vita communi a paraſiticis hominibus contingere ſolet, eneruat: ita pro harum diuerſa indole virtute variare viſus. Quod quidem negarunt FLOYER (*Pharmacob. p. 139.*) COLBATCH (*Diſſertation concerning Miſleto a moſt wonderful ſpecifick remedy for the Cure of convulſive diſtempers 1. Ed. 3. Lond. 1723. p. 6.* qui varia argumenta ſpecioſa profert (Cfr. et *Poſtſcript Diſſ. 2.*)

2.) BRADLEY (*M. m. p. 101.*) KÖLDERER (*Diſſ. Viſcum planta paraſit. p. 12.*) TISSOT (*Traité de l'epilepſie p. 315.*): ſed cel. CARTHEVSER (*Act. Mogunt. T. 2. p. 361.*) chemico ſcrutinio viſcum betulinum cum querno comparando euincere anniſus eſt; KÖLDERERO contra vi chemiae nihil diſcriminis inter viſcum quernum et illum ex pyro agnoſcente. Praeſtat experientiam ad litem diluendam conſulere, quod fecit COLBATCH. Vulgo tamen quernum, forſan vnice prae antiquitatis veneratione, praefertur; rariſſimo autem exemplo corylinum (vt a IVNGKEN *in Chym. exper. cur. p. 618.*).

Quod LIGNI nomine venit, plerumque conſtat ex lignoſa et corticali parte. Male ſubinde cortex reiicitur, cui tamen princeps virtus inſidet (KÖLDERER *Diſſ. p. 31.* TISSOT *l. c.*). Dum recens, nauſeoſum odorem prae ſe fert et adſtringentem ſaporem. Siccum, odoris ſaporisque fere omnis expers; diutius tamen manducatum amaritiem leuem aromaticam manifeſtat, non diſſimilem a ſapore nuclei perſicae (TISSOT) Puluis in vitro probe clauſo et loco ſicco ſeruandus eſt, ne mucidum ſaporem, vel mucorem contrahat et iners euadat (COLBATCH p. 16.).

Praecipua eius laus in epilepſia aliisque morbis ſpaſticis vel conuulſiuis eſt; nec in priori malo noua. Druidae enim illam iam agnouere, vtqui tam fruticem hunc, quam arborem, cui ſuccreuerat, religioſa

veneratione profequebantur (PLIN. *Hiſt. nat. lib. 16. cap. 44. Ed.* DALECHAMP. *p. 749. et Lib. 24. cap. 4. p. 1093.*) Contra morbum caducum viſcum etiam commendauit circa a. 1305. GORDON (*lilium medicinae fol. 119. b.*) Profeſſor olim medicinae Monſpelienſis, ſuperſtitioſus alioquin auctor. Nec latuit eius efficacia THEOPHRASTVM PARACELSVM, MATTHIOLVM, alios vt taceam. Sed ex hiſce auctoribus vix aliquid certi neque de efficacia neque de inertia viſci erui poteſt. Recentiorum ſuffragia diuiſa ſunt. Fauens exemplum producit BOYLE (*Uſefullneſſ of experim. Philoſ. p. 174.*) feminae honoratioris ab epilepſia fere hereditaria, drachma circiter viſci quouis mane prope plenilunium ſumta, liberatae. Prae reliquis vero maxime celebrauit illud IO. COLBATCH (*l. c.*) hiſtoriis effectus ſalutaris in morbis conuulſiuis deſcriptis, quum vel ſolum in puluere ſiue bolo cum ſyrupo Paeoniae ad drachmam dimidiam ſupraque, ſiue infuſo ingereretur, vel Aſſa foetida ſiue alio modo mixtum. Ipſe tamen ingenue fatetur in epilepſiis magis inueteratis, vel quando cauſa quaedam pertinax remotior alicubi haerens ad morbum vellicat, nonniſi levamen afferre. Excitati poſtea alii ad ſimilia experimenta. Plura horum felicia recenſet KÖLDERER (*Diſſ. cit. p. 23.*) Subſcribit efficaciae cel. CARTHEVSER (*M. m. T. 2. p. 528.*) quamuis initio eidem diffiſus. Eodem remedio in puluere ad drachmam dimidiam omni tri-

ho-

liorio dato, iuncto decocto eius pro potu duos epilepticos omnino sanauit LÖSEKE (*M. m. p. 400.*) Queruntur vero alii de inconstantia vel inertia remedii. Semel modo in epilepsia spei cl. ANDRÉE (*epilept. cases p. 261.*) satisfecit. Non magnam vim, attamen non plane nullam illi tribuit TISSOT (*p. 318.*), adscribens illi mucilaginem cum tonica efficacia, consueuitque decoctum eius Valerianae superaddere. Addi solet variis antepilepticis in officinis obuiis.

Haec prout ad epilepsiam potissimum pertinent: ita et in aliis conuulsiuis morbis virtutem eius experti sunt. Ex hac tribu est chorea St. Viti, in qua pluries proficua fuit (COLBATCH *Diss. 1. p. 22. sq. Diss. 2. p. 38. sq.*). Succedit asthma conuulsiuum, quod suppressit largiori copia ingestum in infuso semiuinoso cum amygdalis in emulsionem redacto; et alio casu homo ex hereditaria labe conuulsionibus tentatus ligno hoc ad dimidiam drachmam ter de die ingesto, superhausto eiusdem decocto, conualuit (KÖLDERER *Diss. p. 25.*). Idem malum medicus aethiops in Iamaica frequenter viſco sed mixto alius arboris quibusdam partibus sustulit (SLOANE *nat. Hist. of Iam. T. 2. p. 92.*). Pertinet huc casus senis strangurioſi singultu fere exanimati, quem vero morti eripuit celeri auxilio decoctum viſci (KÖLDERER *Diss. p. 25.*). Superstitionem vero sapit narratio de virgine moniali toto corpore conuulsa, praeterquam brachio, quo tenuit rosarium ex viſco

(LE-

(LEBENWALD *Nat. Cur. Dec. 2. A. 2. p. 264.*) Tres quoque hiſtoriae leguntur virtutis decocti in roborando ſyſtemate neruoſo (WEISMANN in *A. N. C. Vol. I. Obſ. 191.*) Ita et in hyſtericis affectionibus et pleriſque aliis neruoſis laudata (BRADLEY *M. m. p. 115.*) In paralyſi mirifice opitulari aſſerit BRADLEY (*l. c.*) Sunt quibus in nimio alui et haemorrhoidum et menſium fluxu, in vertigine, apoplexia, ad partum prouocandum, in dyſenteria, arthritide, aliisque praeterea malis arriſit; ſed nolo haec curatius enumerando in vitium incurrere, quod in plerisque huius generis libris ipſe vitupero, qui titulis virtutum colligendis magis quam veritati litant. Legere de hiſce eſt KÖLDERERI *Diſſ. p. 21.* et MACKEPRANG *Diſſ. analyſis viſci eiusque vſus in diuerſis morbis Hafn. 1753.* Etiam infantibus in morbis, ſupra certiori fide dictis, conuenit (COLBATCH *Diſſ. 1. p. 22.*). In cataplaſmate dolorem podagricum mitigauit (CHOMEL *Vſuelles T. 2. p. 19.*)

Etſi vulgo ligno vnice acquieſcunt cl. COLBATCH (*Diſſ. 1. p. 15.*) tamen vſus fuit puluere ex foliis, baccis et ramulis tenerioribus. Quantum apparet inter veteres praeter HIPPOCRATEM (*Lind. T. 2. p. 238.*) nemo foliorum meminit, quae ille autem ad ſplenis obſtructiones reſerandas commendat.

BACCAE ſubdulces glutinoſo liquido ſcatent, quod ſeparatum ab admixtis tam tenax eſt, vt neque aqua nec ſpiritu ſoluatur. Venenatae ſunt habitae,

adeo

adeo vt hypercatharſes (GALENVS *ſimpl. l. 6.* PAVLL. AGINETA *L. 7.*) et viſcerum inflammationes excitarint (*Nuc. belg. p. 307.*). Incraſſantibus, obſtruentibus adnumerauit BOERHAAVIVS (*Inſtitut. §. 1143.*) Ex hiſce gluten, ſed olim frequentius, paratur, quo vtuntur aucupes ad irretiendas auiculas, nec inutiliter ad muſcas captandas bacillis illinitur. Huic vero fini hodie vel cortex Aquifolii vel cortex Viſci praefertur, qui inter duo lapides contuſus in globulos rotatur dein lauandus repetitis vicibus aqua et inter manus comprimendus, vt ſeparentur filamenta a ſubſtantia glutinoſa (DV HAMEL *Arbres T. 2. p. 354. ſq.*). DIOSCORDES GALENVS aliique externe gluten hoc diſcutiendi, emolliendi et abſceſſus maturandi ſcopo adhibuerunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Pulvis epilepticus ad guttetam RIVERII *Ph. W. p. 151.* Farrago abſorbentium et quorundam ſpecifici nomine condecoratorum, inter quae viſcum quernum. Datur a ſcrupulo dimidio ad drachmam dimidiam.

ORDO

ORDO VI.

VMBELLATAE.

ERYNGIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 223. Gen. pl. p. 127.*

96.

Pharm. ERYNGII *Radix.*

Eryngium campeſtre; foliis radicalibus amplexicaulibus pinnato-lanceolatis LINN. *Syſt. l. c. p. 224.* Eryngium vulgare C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 554.* Pl. perennis, in campis ſiccis creſcens.

RADIX pollicem craſſa, praelonga, extus nigra interne alba eſt. Et haec quidem in Gallia et Germania in vſum vocatur. In Anglia et Belgio autem radix ab *Eryngio maritimo* L. deſumitur, quae maior ad duos duodenosque pedes vſque (LOBEL. *Adverſ. 375.*). Huicque ſpeciei olim radicem ill. A LINNÉ (*Fl. ſuec. n. 233.*) aſſignauit. Et noſtra grate dulcis, diutius maſticata aroma leue et mitem acrimoniam prodit. Vtrique virtutem eandem tribuit BOERHAAVE (*Hiſt. pl. T.* I. *p.* 194.): praefert tamen maritimi radicem SIMON PAVLLI (*Quadrip. p. 324.*). Poſterioris turiones radicum more Aſparagi edi poſſunt (LINN. *l. c.*)

l. c.). Aperire et lotium mouere omnes fere inde a veterum DIOSCORIDIS, GALENI rel. tempore consentiunt. Nominatim in malo hypochondriaco, obstructione mensium (S. PAVLLI), in calculo (AËTIVS) aestimata. Succus quoque antiscorbuticus praedicatus (BOERH. *l. c.*) An vero stimulum venereum cieat, vt vulgo libri ferunt, merito dubites, etiamsi MESVE Diasatyrio adiecerit; ne copiose quidem ingesta id fieri rustici Galli docent (RENODAEVS *antid. L. 3. sect. 3. c. 5.* S. PAVLLI.). Vsus, si quis hodie vllus, est in decoctis.

Locum obtinuit inter *Radices aperientes minores.* Hinc inde quoque saccharo *condita* exstat.

SANICVLA.

LINN. *Syst. veg. p. 225. Gen. pl. p. 128.*

97.

Pharm. SANICVLAE vulgo s. DIAPENSIAE Ph. Ed. *Herba.*

Sanicula europaea; foliis radicalibus simplicibus, floseulis omnibus sessilibus. LINN. *Sp. pl. p. 339.* Sanicula officinarum C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 283.* Pl. perennis nemorum montosorum.

Herba. Caue, ne folia huius colligendo, substituas folia Astrantiae maioris L., simillima istis, sed vi purgante praedita. Nostra amara et austera cum sensu acri-

acrimoniae in faucibus praecipue ſeſe prodente. (IAMES's *Diſp. p. 430.* LEWIS *M. m. p. 516.*) Fortior eſt ſapor in ſicca, quam recenti. Vt vulnerarium iam dudum magni habita, vnde et nomen traxiſſe videtur: aſt noſtro tempore pretium cecidit. In haemorrhagiis internis igitur adhibita decocti vel infuſi forma, vel aliis ſimilibus addita; item ad vlcera et fiſtulas depurgandas et conſolidandas. Contra faucium vlcera gargariſma decocti cum melle roſarum conducit. Examphalon cataplaſma ex eadem vino cocta, adiuncta ligatura ſtrictiori (GASSER. *Obſ. in* WELSCHII *Sylloge n. 93.*), item radix eiusdem aqua decocta et applicata (REVSSNER *Obſ. 96. in lib. cit.*), coërcuiſſe legitur. Intrat, inter tot alia, aquas vulnerarias conſuetas. Nec minus in farragine *Herbarum vulnerariarum*, apud *Heluetos* vſitata (*Vulneraires de Suiſſe*, *Faltranc*, ſ. *Thea Heluetica*), locum obtinuit, quarum formulae multae diuerſae, niſi tota collectio plerumque ab arbitrio ignari hominis pendeat. Breuiſſima formula haec eſt: Rc. Hb. Agrimon. Veron. Beton. Sanicul. Salv. Scolop. Alchem. aa. Concif. M. (V. Verſio mea libri ROSENST. *de morb. infant. Ed. 3. p. 124.*) Sed ſaepe traumatica cum ſtomachicis et cordialibus connubium ineunt, et in contuſionibus, vlceribus internis et phthiſi, aſthmate aliisque multis malis inſtar Theae cum ſaccharo vel melle vel et absque iisdem a credulis potantur auide. Conf. BENIAMIN D'APPLES *Me-*

Memoire ſur le Faltranc ou decoction vulneraire qui eſt la panacée helvetique in BERNARD *nouv. de la Republ. des lettres 1709. Iuill. Aout.* IO. FRANC. NIC. FABER *Diſſ. de Thee heluetico Baſil. 1715.* LIEVTAVD *Syn. prax. med. p. 633.)*

DAVCVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 228. Gen. pl. p. 131.*

98.

Pharm. α, DAVCI SATIVI *Radix*
β, SYLVESTRIS *Semina.*

Daucus Carota; ſeminibus hiſpidis, petiolis ſubtus neruoſis. LINN. *Syſt. l. c.* α, Paſtinaca tenuifolia ſylueſtris Dioſc. C. B. β, Paſtinaca tenuif. ſatiua radice lutea C. B. Icon: RIVIN. *Tab. 27.* Pl. biennis α, in campis pratisque creſcit, β, in hortis colitur.

RADIX *ſylueſtris* plantae lignoſa, gracilis, alba, fatua; *ſatiuae* fuſiformis, ſuccoſa, craſſa, plerumque lutei vel aurantii coloris. Rarius colitur varietas radice rubra. Iſta lutea, grate dulcis, blandum ſalubreque cibi genus conſtituit. Liquidum ſyrupo ſimilem inde elicuit ill. MARCGRAF. (*Mem. de l'ac. d. ſc. de Berlin 1747. p. 89.* item *chym. Schriften T. 2. p. 85.*) quod tamen in ſaccharum compingi ſe non paſſum eſt. Commendabilis maxime ſuccus ex radice coctio-

ne emollita expreſſus et in extracti formam redactus, loco ſacchari vel ſyrupi vel mellis in cibis (*Leipz. Samml. T. 4. p. 706.*). Quomodo paretur denuo in *Hann. Magazin 1773. n. 75.* traditur; et probe ſucceſſit membro ſocietatis Cellenſ. oecon. tentamen cum daucis et Betae rubrae radice factum (*Hann. Mag. 1775. n. 58.*). Dictum in finem vertere eum probe norunt Thuringi (*Hamb. Magaz. Vol. 8. p. 610.*). Nec in tuſſi, phthiſi et vermibus infantum, ſpernendus (*ll. cc.*).

Demulcens abſtergens ſaponaceaque efficacia dignam radicem memoria medicorum reddidit. Elephantiaſi correptis proficua olim habita (ARETAEVS *cur. diut. cap. 2.*). Calculi vrinarii ſucco vel decocto radicis immiſſi ſolutionis quaedam etſi exigua indicia praebent, vt tamen inde eluceat, daucos calculoſis profuturos (LOBB *on diſſolvents of the ſtone p. 94.*). Infantes aſcaridibus infeſtati vtiliter ieiuno ventriculo daucos crudos comedunt (ROSENSTEIN *Bſkd. p. 353.* *v. d.* BOSCH *epid. verm. p. 352.*). In aphthis oris infantum decoctum daucorum vel ſuccus ex decoctis daucis expreſſus et tantillo mellis roſacei miſtus penicillo illinitur, vel in aphthis internis ad cochlear vnum paruum deglutitur (ROSENSTEIN *l. c. p. 25.* DAREL. *Sokn-ap. p. 78.*). Ita etiam decoctum eorum tantillo ſyrupo violarum miſtum commodum emolliens ad ptyaliſmum in variolis alendum ſuppeditat (ROSENST. *l. c. p. 144.*).

Re-

Recentius cataplaſma ex daucis paratum in vlceribus cacoëthicis magnam celebritatem nactum eſt. Radix nimirum recens decorticata ſuper radula conteratur, et, ſucco manu antea expreſſo, in diſco vel ſartagine terrea incaleſcat, vt in pultem redigatur, quae ipſa vlceri immittatur, vt vndique quaſi ab emplaſtro repleatur, poſtea linteo calido tegendo. Idque bis intra nychthemerum repetatur, ſingulis vicibus vlcus linteo carpto probe depurando. Experimenta primum ab experientiſſimo SVLZERO, Archiatro Gothano, capta illoque inſcio (vt litteris a. 1766. mihi declarauit) ab amico libro *Iournal de Medecine* (*T. 24. p. 68.*) inſerta, qui et laudes ad cancroſa vlcera extendit, in quibus tamen ill. vir perfectam curationem mihi negauit ſe expertum. Dolores ſedare, ſuppurationem et foetorem coërcere et margines calloſos emollire, conſolidationem denique perficere in vlceribus mali moris conſtitit (*l. c.*). Alibi in veris carcinomatoſis vlceribus multum adiumenti tulit. Sic in cancro penis cicuta fruſtra adhibita cataplaſma dictum, iunctum ob indicia ſcorbuti potu ex polenta, profuit, etſi non conſolidationem abſoluit (GIPSON *in med. Obſ. et Inqu. T. 4. p. 178.*). Vtriusque connubio per quatuor menſes continuato in femina vlcus trienne phagedaenicum pedis inſignis ambitus ſanatum (*l. c. p. 186.*) In alio intra dimidium temporis vlcus inguinis dextri ſerpens et cancroſi habitus hiſce remediis

ceſſit (*p. 191.*). Fuit femina, ex cuius cognatione plures cancroſa labe mortui erant, cancro mammae aperto correpta et cicutam antea eludens, quae vero daucis impoſitis et lotione cum decocto cicutae optimam ſpem dedit, ſubitanea tamen morte abruptam (NICOLSON *l. c. T. 4. p. 362.*). Addi poſſunt quaedam curationes in Gallia in cancroſis vlceribus labiorum et faciei factae (HAVTESIERCK *Rec. d'obſervations T. 2. p. 561.*) Contra ea vero queritur alius cl. vir (SCHMVCKER *chir. Wahrnehm. Tom. 2. p. 151.*) in cancro ſua experientia neque foetorem vel dolores mitigaſſe, nec ichorem in pus bonum mutaſſe, nec depurationi vlceris ſuffeciſſe. Conquaſſatae radices, recens ambuſtis impoſitae, ea cito ſanant (DAREL. *l. c. p. 78.*).

Semen ſubrotundum, griſeum, aſperum alis ſerratis, aromaticum, fragrans. Oleum eſſentiale continet. Flatus diſſipat et lotium mouet ARETAEI (*Curat. acut. T. 2. c. 6.*) aliorumque auctoritate. Inde dependet ſine dubio vis in calculo, quam cereuiſia praecipue coctum pluries manifeſtauit (HELMONT. *Lith. c. 7. §. 14. p. 46.* Item. *cap. 1. §. 19. p. 6.* BOYLE *vtil. phil. exper. Exerc. 4.* CHARLETON *lithias. p. 176.*) Gratum potulentum limonii ſaporis (LEWIS *M. m. p. 251.*) Succeſſit et recentius in Anglia infuſum aquoſum vmbellarum ſex vel ſeptem feminiferarum in vaſe conſueto pro thea factum (*Berliner Samml. T. 1. p. 595.*), item oleum dauci ſub varia miſcela (*p. 598.*).

TOR-

TORDYLIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 227. Gen. pl. p. 130.*

99.

Pharm. SESELI CRETICI *Semina.*

Tordylium officinale; inuolucris partialibus longitudine florum, foliolis ouatis laciniatis LINN. *Sp. pl. p. 345.* Seſeli creticum minus C. B. Pl. annua, in Italia, Sicilia, Gallia inferiori, creſcens.

Confuſio circa ſpecies Seſeleos, quarum veteres mentionem fecerunt, obtinet. DIOSCORIDES (*Lib. 3. cap. 60-63.*) quatuor memorat, Maſſilienſe, Aethiopicum, Peloponenſe et Tordylium a quibusdam creticum dictum. Praevio LINNEO (*M. m. n. 124.*) dictam ſtirpem praefixi. Eſt, vbi Seſeli cretici nomine ſemen Laſerpitii Sileris L., de quo infra, in officinas transfertur (HALL. *Hiſt. ſt. helv. n. 794.*) De cretico indicat ill. LINNEVS ſemina eſſe diuretica ſimulque ſuperflua. Seſeleos Monſpelienſis infra ſermo erit.

CONIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 229. Gen. pl. p. 132.*

100.

Pharm. CICVTAE *Herba.*

Conium maculatum; ſeminibus ſtriatis LINN. *Sp. pl. p. 349.* Cicuta maior C. B. Deſcriptio vberior

in PROIECT. IOS. EHRHART *Diſſ. de Cicuta Argent. 1763.* Icon: STÖRCK *Suppl. de Cicuta.* Pl. biennis, creſcens ad vias, circa pagos, in maceriis.

Tres in re medica notandae veniunt Cicutae: 1) maior C. B. dicta ſ. *Conium* dictum; 2) Cicuta aquatica GESN. et WEPF. quae eſt *Cicuta viroſa* L.; 3) Cicuta minor C. B. ſ. *Aethuſa Cynapium* L. probe inter ſeſe diſcernendae, quum, etſi omnes ſuſpectae, prior tamen omnibus notis mitior, poſterior funeſtiſſimum venenum exiſtat, culpae non omnino experte tertia. Vix vllo alio caſu manifeſtius apparuit botanices in medicina neceſſitas, quum ob huius lucis defectum nec, quos veteres de Cicuta retulerunt, deleterii effectus vel et ſalutares, certum, an ad conium noſtrum vere referendi, nec quum recentius fama de efficacia perſonaret, hinc inde ſtirpes cognatae vel noxiae vel inertes omnino admiſſae ſint. Hinc diſſonà iſta de vi ſalutari, venenata, inertia Conii iudicia. Caue in primis, ne confundatur cum *Chaerophyllo bulboſo* L., quod vero procerius radice inſtruitur verno tempore globoſa, caule quidem pariter maculato, ſed ad exortum ramorum et foliorum tumido, foliis ſubhirſutis, nitidis, ad apicem pinnarum et laciniarum cartilagineis, ſeminibus ſubulatis, laeuibus.

Κώνειον Graecorum, HIPPOCRATIS, DIOSCORIDIS, GALENI rel. eſſe creditur, qua de re legatur cl. EHRHART diſſertatio cit. licet DIOSCORIDIS deſcri-

ſcriptionem ad cicutam viroſam ill. HALLERVS (*Hiſt. ſt. helv. n. 766. not. a.*) referat. Apud veteres Cicutae vocis ſignificatus varius non vnice pro ſtirpe peculiari, ſed pro omni fere planta venenata (PLINII *Hiſt. nat. L. 14. c. 5. L. 25. c. 13.*); pro qualibet fiſtuloſa caulis parte inter genicula ſita (*Virgil. Bucol. Ecl. 2. verſ. 36.*); pro potione venenata, in poenam apud Athenienſes adhibita (STEGER *Diſſ. de Cicuta Athenienſium Lipſ. 1734.*), rel. (Conf. EHRHART *Diſſ. cit.*)

Certe vix probabile, noſtrum Conium Graecos adhibuiſſe ad ciues reipublicae moleſtos necandos, vel Chios eodem praeparatione praegreſſa ſibi mortem doloris expertem eamque celerem conciuiſſe, vel SOCRATEM eo ingeſto interiiſſe. Multa tamen de eo deleterii effectus teſtimonia conſignata exſtant, vertiginis, deliriorum, dementiae, coecitatis, ſoporis, anxietatis, cardialgiae, vomitus, conuulſionum rel. quin ipſius mortis tam apud animalia quam homines contractae, de quibus conſulantur ill. HALLERVS (*Hiſt. ſt. helv. l. c.*) et cl. EHRHART (*Diſſ. §. 9.*) Verum quum de ſpecie non vbiuis conſtet, dubia ſaepe narrationum fides. Non ideo tamen dixerim, Conium innoxiam eſſe venenoque omni caſſam ſtirpem. Suſpectam iam reddit odor nauſeoſus, quaſi murinus, herbae inter digitos contritae (STÖRCK *Contin. experim. p. 10.*) et extracti, radix diſciſſa lac amarum acre fundens, ex quo obriguit intumuit valdeque doluit

lingua (STÖRCK *de Cicuta Libell. 1. p. 9.*), et consuetа vmbellatarum in aquoso vel pingui solo crescentium indoles. Nec symptomata varia relata (praecipue a recentioribus, de quorum perspicacia et fide aptius iudicare possumus,) diriora in dubium plane vocari possunt. Memorabile et, a pecoribus respui (LINN. *Westgötа resap. 159.*). Non tamen tantopere esse Conium reformidandum, vt quidam existimant, patet inde, quod etiam infantibus tenellis impune exhibitum, nec foetum affecerit sub matris grauiditate datum, nec grauidam matrem (STÖRCK *Contin. experim. p. 65. 66.*), nec detrimentum attulerit largior et per protractius tempus, ad drachmas sex extracti vsque supraque intra nychthemerum, vsus (STÖRCK *de Cicuta Lib. sec. p. 217.*).

Per tempora superiora obscura si vires eius medicae inuestigandae sint, sciendum, externe mox semen, mox radicem, mox herbam in succo praecipue, praescripta fuisse, de quibus omnibus vim lenientem, refrigerantem, anodynam, resoluentem, in procidentia ani, doloribus oculorum, tumoribus, inflammationibus, rheumatismis, erysipelate et aliis cutis exanthematibus, podagra rel. notarunt (EHRHART *Diss. cit. §. 11.*). Stimulum venereum frangere Cicutam extus admotam ARETAEVS (*de morb. acut. L. 2. c. 11.*) aliique post eum tradiderunt; quibus vero aduersatur ill. STÖRCKII experientia, etiamsi sub vsu in-

interno largiori. Dolores et tumores tollere, PLINIVS (*Lib. 26. c. 22.*) item apoſtemata et vlcera tetra ſanare (*Id. c. 24.*) reliquit. Emplaſtrum ex eadem vero vt reſoluens in tumore mammarum et teſtis et ad lactis nimium affluxum impediendum propoſuit AVICENNA (*Lib. 2. Tract. 2. c. 671.*). In ſimilibus morbis depraedicat emplaſtrum SERAPIO. Sunt et alii temporibus noſtris propiores, qui applicationem Cicutae, herbae praecipue externe in tumoribus duris ſcirrhoſis aut carcinomatibus, in diſcutiendo lacte, in gangliis, lupiis et viſcerum obſtructionibus, magni fecerunt, quos inter nominandi ſunt ETTMVLLERVS, PARAEVS, RAIVS, LEMERY rel. (Plures allegat EHRHART *Diſſ. cit.*) — Quin et exſtant exempla vetuſtiora, ingeſtam herbam vel ſuccum maiori adeo quantitate ſubinde tam homines quam bruta impune tuliſſe. Sic PLINIVS caulem viridem comedi; SEXTVS EMPIRICVS feminam producit, quae drachmam vnam ſucci absque noxa cepit. Huius ſpeciei radicem exiſtimatur RENEAVLME (*Curat. Obſ. 3 et 4.*) pro ſcirrhis hepatis, lienis, pancreatis reſoluendis ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam in ſubſtantia vel drachmam vnam ſ. duas in infuſo adhibuiſſe. Plura de antiquitate vſus interni legas in IOANNIS VIVENTII *de Cicuta commentario Ed. 3. 1774.* in *4.*

Sed euidentiores et certiores euaſerunt Conii vires, poſtquam L. B. a STÖRCK ad explorandas eas accederet, deque ſucceſſu rationem in *Libellis duobus de Cicuta, Supplemento neceſſario, Libello quo continuantur experimenta*, et alibi, vbi *de venenatis plantis* a ſe adhibitis ſermonem iniecit, rationem redderet. Subſtitit ille vero in HERBAE vſu, quo illi fauentiſſimo innumeri alii incitati medici ad eadem experimenta ſubeunda, novisque aliis augenda.

Analyſin chemicam praeſtiterunt LAVGIER (in LOCHERI *Obſ. pract. p.* 77. cl. WELL (in QVARIN *Tent. de Cicuta p.* 12.) et cl. EHRHART (*Diſſ. cit. §.6.*); vnde patet plurimum continere extracti aquoſi ſalini, item ſpiritum ammoniacalem, oleum empyreumaticum et ſalem volatilem.

Plura vero edocuit de natura eius ipſa experientia. Pilulas ex puluere radicis et ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthae inter alias praeparationes ſed cautius initio propoſuit cl. STÖRCK (*Lib. 1. p.* 13.). Verum praecipue ſucco inſpiſſato herbae, Extracti nomine, acquieuit. Paratur ex herba, vt ſolet fieri, ante antheſin colligenda, licet cl. FOTHERGILL (*Med. Obſ. et Inqu. T.3. p.* 415.), donec ſeminum rudimenta appareant, exſpectet, cuius recentiſſimae ſuccus mox poſt expreſſionem in vaſe terreo lentiſſimo igne ad ſpiſſi extracti denſitatem coquatur (STÖRCK *Lib. 1. p.* 11.). Longe debilius eſt, ſi ex ſicca herba

cum

cum ſufficiente quantitate aquae aliquamdiu cocta ſuccus exprimatur, attamen vtile (*loc. cit. et Lib. 2. p. 2.*). Negligenda eſt ſucci depuratio ſollicita (*Lib. 2. p. 2. Suppl. p. 9.*). Ante omnia quoque ab empyreumate cauendum, quod auertitur et ignis moderamine et vaſis planitie et agitatione. Ne diſpergantur efficaces partes coctione, quod fieri odor volatilis, foetidus, ſpiſſando diſſlatus, teſtatur, ſolis vi denſare illud ſuaſum fuit (RVTTY in *med. Obſerv. Inqu. P. 3. p. 299.* HAST. in *Med. Verk. p. 284.*). Extractum methodo Garayana factum, vtut eximium (EHRH. *Diſſ. p. 19.*), pretium inſigne diſſuadet. Extractum probae notae eſt craſſum ex fuſco virideſcens et ingratiſſimi foetoris, quaſi a muribus (STÖRCK *Supplem. p. 9.*). Efficacius adhuc eſſe extractum ex *Semine* paratum altero ex herba recentius notatum (*med. and phil. Commentaries T. 1. p. 326.*). Extractum ex herbae ſucco, addito q. ſ. pulueris eiusdem in pilulas redigit STÖRCKIVS. Praeſtat vero, me iudice, definitam vtriusque proportionem ſtabilire, prout et cl. BVTTER (*Treatiſe on the Kincough*) quintam pulueris partem requirit. Extractum Störckianum vel in pilulas ponderis granorum duorum redactum, eaque forma pulueribus variis ad ingratum odorem celandum conſperſum, vel in mixtura ſolutum, exhibetur. Initium fit plerumque parua doſi a granis duobus bis de die, poſt octiduum ter de die; quae poſtea ita augetur, vt drachma vna ſeſqui-

quialtera, binae ad ſex uſque (*Lib. 2. p. 217.*) per diem conſumantur. Nec vllum malum perceptum, etſi per unum alterumue annum et vltra vſus continuatus, STÖRCKIVS aliique cum eo aſſeuerant. Fuit femina, quae per totum morbi decurſum quinquaginta libras extracti conſumſit (TARTREAVX *Epiſt. apolog. p. 54.*). Superbibitur poſt quodlibet praebium vaſculum infuſi Theae vel ſimile. Mirum cl. MORRIS (*Phil. Tranſ. Vol. 54. p. 172.*) extractum Coimbrenſe efficacius habere Vlyſſiponenſi, Viennenſi, Londinenſi, quum regionum non ea diuerſitas, vt a climatis efficacia praeſtantiam deriuares. — Arte poſtea didicit STÖRCKIVS extractum cum aliis variis efficacibus commiſcere. Comperit quoque extracto ſubſtitui infuſum vel decoctum poſſe, vti et conſeruam ex herba ſuccoſa cum ſaccharo, ſyrupum, pulueremaquam, oleum vtiliter inde parari (*Contin. experim. cap. 2.*). In vitiis externis cum vſu interno pro re nata emplaſtrum, fomentum ex ſacculo herba repleto et aquae bullienti vel lacti immerſo, vel cataplaſma coniungitur (STÖRCK. Cfr. et LEBER *vom Schierling in d. Wundarzn. p. 22.* qui varias miſcelas pro neceſſitate varia ſiſtit.)

Et ſic quidem in multis pertinaciſſimis morbis liquandi ſpiſſa, obſtructa reſerandi et ſanguinem depurandi efficacia auxilio fuit. Secundum ill. STÖRCKII aſſerta indurationes etiam firmiſſimas et ſcirrhos locorum quorumlibet, fruſtra aliis tentatis, reſoluit;

quae

quae non reſoluit ad benignam ſuppurationem redigit, cancro mammarum vel aliarum partium vel ponit limites, eiusque acre emendat foetoremque diſpellit et ichorem in bonum pus vertit, vel cancrum vere ſanat; ita et aliis vlceribus medetur, fiſtulas et ſinus claudit et conſolidat, tumores oedematoſos externo vſu diſſipat, viſum cataracta nondum inueterata reſtituit, et incipientem cataractam vel ſoluit, vel progreſſum eius prohibet. (Et haec quidem ex *Libello* EIVSD. *primo*) Profuit et in arthritide, ſpina ventoſa, in vlceribus ſerpentibus elephantiaſin referentibus, in fluore albo, in tumore ingente duroque ſiniſtri hypochondrii, ictero, anaſarca et febre violenta ſtipato, rachitide, amauroſi, tumore lymphatico articulorum, tumore totius corporis ſeroſo et ſubflauo, in carie venerea, tinea capitis et tuſſi conuulſiua a retropulſa ſcabie (*Lib. 2.*). Sopiuit quoque dolorem continuum abdominis, ſanauit ſerpiginem manus et fiſſuras cutis vsque ad carnem procedentes, vomitum chronicum, mala varia venerea aliis remediis renitentia, tuſſim vehementem cum pruritu ingratiſſimo totius corporis, intumeſcentiam ex haemorrhagia vteri vehementiſſimam, tabem (*Vid. Supplementum neceſſ.* quod et confirmat virtutes variis in morbis priori libro recenſitas.) Acceſſit dein adminiſtratio eodem ſucceſſu (*Contin. experiment.*) in aphthis, in lenta febre cum ſputis foetidis flauo-fuſcis, doloribus lumborum, rheumatiſmis.

Ali-

Aliquando ob diuresin ischuriam sustulit et leuamen attulit in calculo (*p. 90.*), etiam epilepsiam quandoque curauit (*p. 91.*). Tumores cysticos minores perfecte dissipauit. etiam maiores emolliuit et liquauit, sed ob remanentem saccum recidiuae facilem ansam reliquit.

Maxime esset Cicuta facienda, et diuini remedii nomine digna, si vel vnice cancri medela existeret. Vere esse, manifeste sibi visus est obseruasse ill. vir in cancro mammarum, testis, faciei, labii, linguae, colli, vteri; nempe destruere acre cancrosum et tumorem, ex quo fiat, fundere, consolidatione naturae relicta (V. egr. *Cont. p. 74.*). Cancer fungosus consumtus fere solo remedio ex pulueris herbae Cicutae drachmis duabus et dimidia, mellis rosarum vnciis tribus, super linteum carptum extensis. (*Lib. 2. p. 290.*) Interdum in cancro nimiam suppurationem creat, vt a resorpto pure tabes metuenda: tum dosin parciorem esse oportet. Hinc et cl. COLLIN (*Ann. med. 3. p, 297.*) timet ab vsu, praesentibus internae suppurationis signis. Si tumores vetusti dolere sub vsu incipiunt, bonum (*Cont. p. 68.*). Tumores fungosos sarcomatosos verrucosos raro soluit, saepe tamen suppuratione destruxit (*p. 70.*)

Qui tot laudibus prosequitur Cicutam non tamen diffitetur, frustra aliquando administratam (*Supplem. p. 44.* et alibi), nec excludit connubium aliorum efficacium necessitate vrgente. Nocuisse expresse negat, nisi

prae

prae ſingularis naturae aegri vitio (*p. 59.*) Sic et cl. LEBER (*v. Schierl. p. 70.*) vetat admittere, quando ob indolem aegri dolores gignit. Absque vlla ſenſibili euacuatione (*Lib. 1.*) praeterquam diureſi (*Contin. p. 90.*) effectum exſerit.

Subſcripſerunt mox harum virtutum plurimis Vindobonenſes medici haud pauci, quorum memoro modo clariſſimos QVARIN (Tent. de Cicuta), LOCHER (*Obſervat. pract. Sect. 4.*), PALVCCI (*de polyp. nar. p. 73.*), LEBER (*von d. Nuzbarkeit d. Schierlings in d. Wundarzneyk.*) *Aletophilos Vindobonenſis*, COLLIN (*Ann. med. 3.*) praeter multos alios, quorum nomina ipſe STÖRCKIVS et Vindobonenſes alii hinc inde indicant. Addo ex horum obſeruatis modo, cancrum vel ſcirrhum Cicuta ad amputationem aptos reddi, dum mobiles fiat antea accreti et fixi (LEBER *p. 78.*); et in lue venerea, quando ſolutio mercurii ſublimati ob viſcera nimis debilitata non tuta eſt, vt et initio ſcorbuti, commodam fuiſſe (COLLIN *l. c. p. 297.*)

Nec exteri in re tam graui, experimentis, quid veri in hiſce praeconiis ſit, euincere, cunctati ſunt, ex quorum inſigni numero pauca modo ſeligere ſufficiat. Praecedant fauentia. Multas felices curationes ſibi aliisque Italis obuios recenſet VIVENTIVS (*libro* ſupra *cit.*) quas inter veri cancri caſus occurrunt. Ita tumores ſtrumoſos colli emplaſtro Cicutae impoſito iuncto vſu interno extracti diſpulit, item alios glandu-

la-

larum tumores. Curata cruſta lactea cum tabe glandularum vniverſali combinata. Idem in rheumatiſmo cum phthiſi, in phthiſi ſola, in tuſſi rheumatica pertinaciori, in hepatitide, in herpete retropulſa aliisque malis vtiliter extractum exhibuit. — In tumore ſcirrhoſo regionis hypogaſtricae praegrandi grauiditatem apud virginem mentiente hoc profuit (*Iourn. de Med. T. 15. p. 129.*). Feminam a tumore mammae ſcirrhoſo liberauit (*l. c. p. 223.*). Multi caſus vlcerum ſanatorum leguntur (*l. c. T. 22. p. 219.*). Scrophuloſa maligna quin cancroſa vlcera et glandulas tumidas colli ſe curaſſe eo laetatur TRECOVRT (*Memoires de Chirurgie p. 428. ſqq.*) Tumor ſcirrhoſus hepatis ſanatus, qui ruptus materiam griſeam effudit (*l. c. T. 24. p. 235.*). Puer, cataracta vtriusque oculi laborans et parotidum obſtructione ac vlceribus pedum, omnino extracti ope conualuit (*l. c. T. 24. p. 366.*). Conf. de vi in cataracta *l. c. T. 34.* Idem in polypo narium adiumento fuit (RICHARD *Rec. d'Obſerv. T. 2. p. 571.*). Tumorem vero mammae et ophthalmiam ſcrophuloſam breui ſufflaminauit ſuccus recens expreſſus initio ad duo cochlearia pro Thea per diem, et tandem ad vitrum vini datus (LEMOINE *in Iourn. de Med. T. 36.*).

Secundum obſeruationes medicorum et chirurgorum Tiguri factas (*Zürch. Abhandl. T. 2. p. 415. ſq.*) in ſcrophulis, quin iam exulceratis, votis reſpondit, vti et in mammis grauidarum induratis et abſceſſibus mam-

mammarum apud puerperas, item in teſticulis induratis. In cancro mammarum vti et ſemel in ſcirrho mammae nihil praeſtitit. Laudem vero meruit in vlceribus vteri, cutis, oris; nec omnino effectu caruit in hydrope et ophthalmiis, noxius vero nullus effectus perceptus, exceptis torminibus in quodam aegro. In affectibus venereis ter cl. mo IO. HENR. LANGE (*Diſſ. dubia Cicutae*) ſucceſſit, quinquies perperam adhibuit; qui idem decoctum laudat pro lotione manuum in ſcabie et lotione capitis in tinea et ad pediculos necandos. Crebra fuit cl. HARTMANNO (*Diſſ. Obſerv. ad Cicutae merc. ſubl. et phoſphori uſum.*) Cicutae adminiſtratio. Ea ſanauit hominem gonorrhoea cum induratione et tumore teſticulorum vlceribusque vicinarum partium contaminatum; nec minus in obſtructionibus et ſcirrhis viſcerum et ſpina ventoſa ſeſe probauit. Vomicam pulmonis eius ope ruptam et conſolidatam, vlcera profunda ſanioſa, tumorem ſcirrhoſum hypochondrii ſiniſtri, colli glandulas induratas et fluorem album ſanatum, polypum cordis ſolutum, ſtrumam inſignem liquatam, nec non arthritidem periodicam ſublatam fuiſſe, teſtatur TARTREAVX (*Epiſt. apol.*). SCHENCKBECHER (*v. d. Kinkina Anh. p. 144.*) indurationem glandularum colli, teſticuli et glandularum pone aures et ſub axillis extracto diſſipauit. Accedunt ex Germanis experimenta cl. GE. AVG. PHIL. GESNER (*Schwaben zur Arzneygel. Vol.*

1. p. 204.) felicia in indurationibus glandularum, tumoribus articulorum, ſcabie maligna, niſu ad ſuppurationem etc.

Nec tardi fuerunt Sueci in Conio arripiendo. In tumoribus et ſcirrhis mammarum LYMANNVS (*Fortſättn. af Prov. med. berätt. p. 266.*) item cl. HAST (*Med. verk. tilſt. p. 281, 284.*) vtiliter adhibuit, cui et in ſcrophulis (*l. c. p. 290.*) ſucceſſit. Ozaenam diram extracto, adiuncta infuſi per nares attractione, curauit HIDEEN (*Fortſättn. l. c. p. 302.*). Succo recens expreſſo et iniecto deuicit vlcus fiſtuloſum cum carie maxillae inferioris cl. BLOM (*Med. verk. tilſtånd p. 37.*). Ipſe ill. A ROSENSTEIN feminae in inſigni ſcirrho mammae dolentis extracto et emplaſtro ſubuenit (V. nota mea ad *Ed. 3.* libri EIVS *v. d. Kinderkr. p. 719.*). Ad reſerandam obſtructionem glandularum meſenterii apud infantes efficaciſſimum praedicat extractum ad grana quatuor vel plura per diem datum, ſuperbibito quauis vice hydromelle tenui vel ſero lactis (*Bſkd. p. 89.*). Infuſum Conii theaeforme illi quoque arridet quod, vel etiam extractum in ictero pertinaci commendat, vna cum fotibus ex herba abdomini, praecedente frictione, applicatis (*l. c. p. 296.*). Conferantur quae ſupra dicta de connubio Conii cum pice (*pag. 7.*) et infra de noxio vel inerti vſu dicenda.

Crebra quoque Anglorum fuerunt cum ſtirpe noſtra experimenta. Inſigne leuamen ſymptomatum in

in ſcirrho mammarum ex herba recenti, in pane butyraceo comeſta, femina percepit. (*Phil. Tranſ. 1763. p. 346.*). Valuit Cicuta in ſcrophuloſis tumoribus, etiam in corroſiuis et malignis vlceribus, moderante RVTTY (*Med. Obſ. et Inqu. T. 3. p. 229. ſqq.*) Laudat FOTHERGILL (*l. c. p. 400. ſqq.*) in exulceratione oculi, ſcrophulis, varis faciei moleſtis, doloribus maxillae ſuperioris, doloribus brachii, vomica pulmonum, obſtructione eorundem et exulcerationibus. Notat FARR (*l. c. T. 4. p. 108.*) ſcrophuloſos tumores frequenter inde ſolutos, et absque magna doſi et intra breue tempus. Profuit et extractum contra omnem ſpem in glandulis duriſſimis, venis tumidis cinctis, et ſcirrhis iam dolentibus, ſed per plures menſes continuatum et plerumque decocto corticis peruuiani combinatum. (WARNER *on the Eye p. 52.*) Sarcocele euanuit etiam pertinacior, praegreſſo purgante mercuriali, extracto cum decocto chinchinae dato et fomentatione decocti Cicutae fortiori bis per diem facta, cui ſuperimpoſitum cataplaſma ex foliis Cicutae et oleo (WARNER *Account of the teſticles p. 81. ſq.*). Saepe ſucceſſit auctori anonymo libri *practical Eſſays* (*p. 44.*) in indurationibus glandularum, dum vel ſoluit tumorem vel dolorem ſopiuit, item in arthriticis tumoribus. In multis caſibus, licet non omnibus, hoc auxilio arthritidem ad extrema reuocare in malo anomalo potuit CLERCK (in *Eſſ. and Obſ. phyſ. et lit. T. 3. p. 450.*). Sed WHYTT, ipſe

arthriticus, ferre non potuit (*loc. cit. p. 469.*). Varii casus virtutis eiusdem in tussi pertinaci supra hinc inde recensiti, sed neminem scio, qui in tussi conuulsiua infantum commendauerit exemplis innixus, praeter cl. BVTTER (*Treatise on the Kinkcough*) qui in vehiculo aquoso infanti sex mensibus inferiori ad duos annos nato, granum vnum, sensim pro diuersitate aetatis ascendendo, praebet, ita vt Cicuta vnice curationem absolui affirmet.

De praestantia in cancro nominatim varii exteri cum STÖRCKIO consentiunt. Sic tumorem carcinomatosum palpebrae superioris ea sublatum lego (*Iourn. de Med. T. 14. p. 332.*); item scirrhum et carcinoma labii oris (*l. c. p. 509.*); porro cancrum mammae apertum in femina, et cancrum faciei et dorsi in viro (DECOTES in *Iourn. de Med. T. 16. p. 35.*) Duplex a cl. MASARS DE CAZELES (*l. c. T. 34. p. 255.*) sistitur curati cancri mammarum exemplum. Iterum eius praesidio disparuisse tumorem cancrosum mammae et in alia femina exstirpatione facta effluxum materiae sopitum, et cicatricem inductam (PORTE *l. c. T. 17. p. 346.*). TARTREAVX (*Epist. apol. p. 51.*) meminit cancri exulcerati mammae in paruum vlcus Cicuta per octo menses adhibita redacti, in quo eximiam antisepticam vim comprobauit: post febriles varios insultus autem hydropica periit femina. Alium vero in collo exulceratum cancrum penitus sanauit (*l. c. p. 56.*).

Si-

Similis fuit felicitas in cancro mammae occulto maculis coeruleis et venis turgidis, dolore pertinaci et contabescentia corporis horrido (HIDEEN in *Fortsf. af Prov. med. berätt. p. 301.*). Nimis indeterminate, in vitiis cancrosis vim Cicutae Edinburgi exploratam, narratur (*Med. et phil. Comment. Vol. I. p. 326.*) sed, ea dosi datae, vt leuem vertiginem excitaret. Subiungendae quaedam huc spectantes historiae ab exteris cum ill. STÖRCKIO communicatae (*Contin. experim. Cap. 8.*).

Verum enim vero aequitas iubet, vt et in memoriam reuocentur multae vel de noxa vel inertia Cicutae querelae. Studio deditaque opera ill. virum refellere annisus est IO. ANDRÉE (*Observations upon a treatise on the virtues of Hemlock in the Cures of Cancers written by Dr.* STÖRCK *Lond. 1761.*) Obseruauit ex extracto adhibito vertiginem, caliginem oculorum, difficultatem loquelae, stuporem membrorum, paralysin, menstruum fluxum interceptum, febrem, alui tarditatem; nec coërcuit vlcus vel tumorem, sed sub vsu increuit ille, magisque doluit; imo singulos casus a STÖRCKIO primo libello allatos eneruare annititur. Alias difficultates mouet cl. LANGE (*Diss. dubia Cicutae vexata, Helmst. 1764.*). Queritur hic de tarditate effectus, aegros sub continuato vsu sensim magis debilitatos, appetitum destructum, dolores insignes in mammis vel aliis af-

fectis partibus perceptos, vertiginem, cephalalgiam, deliquia animi, quin conuulſiones incidiſſe, aliis tuſſim violentam cum eiectione cruenta, quin multis ſtranguriam ſuperueniſſe; in vlcere cruris venereo, cancro (Schanker), in arthritide, ſcabie, vlceribus, cutaneis malis, in ſcorbuto, in amauroſi et cataracta nullum auxilium attuliſſe, rariſſime exiguum leuamen, quin exaſperationem, fruſtra porro medelam inde in duris tumoribus mammarum et aurium et obſtructo hepate exſpectatam; vlcus cancroſum vero dirius longe euaſiſſe, nec foetorem eius quidem mitigatum, etſi ſimul ſuccus extrinſecus applicatus. Saepe multum muci feceſſit cum lotio, dum vſurparetur. — Quin in ipſa illa vrbe, qua Cicutae laurea primum eſt tributa, aduerſarius ſurrexit haud mediocris alias auctoritatis, ill. DE HAEN, (*Epiſt. de Cicuta 1765.*) referens ſe ipſum in 120 aegris remedium tentaſſe, et de effectu, quem cel. TRALLES aliique in Sileſia apud cancroſos aegros experti, narrans. Wratislauiae ſecundum haecce effata homines triginta ſcirrho vel cancro affecti, miſere perierunt, et ſex nullam curationem admiſerunt. Pauci quidem a tumoribus colli, vomica, duro et tumido abdomine, et induratione teſticulorum, vlceribus et fiſtulis mali moris liberati ſunt, et in vno aſthma leuatum. Nemo autem ibidem verum ſcirrhum vel cancrum ſuperauit, etiamſi extractum Viennenſe exhibitum. De propria ſua experi-

perientia narrat HAENIVS octo feminas mortuas, nullam sanatam, multas peius affectas. In diagnosi cancri aliorumque vitiorum arbitratur errorem commissum, fidem historicam in dubium vocans, et saepe naturae beneficio vel fomentationi cum calida aqua curationis meritum tribuens. Negat vim sopientem, vtpote quum ad 240 adeo grana ingesta, saepe dolet siccasse vlcera. Contra quas et alias difficultates defensores exstitere *Aletophili* sic dicti in *Elucidatione necessaria Epistolae de Cicuta Vindob. 1766.*, TARTREAVX (*Epist. apolog. cit.*) — In ipso cancro inertem esse GESNER (*Schwäb. Samml. 1. p. 205.*). Paucis haud magni momenti tumoribus scrophulosis, quos resoluit, exceptis, nihil in Heluetia extractum profecit, et licet plerisque innocuum, tamen quandoque sed rarissime appetitum prostrauit, cardialgiam, syncopen, vertiginem, excitauit (*Pharm. Helv. p. 50.*). In cancro aperto mammarum semper spe excidit CONSBRVG (*Nov. A. N. C. Tom. 5. p. 75.*) etsi in aliis malis valuit. Memorabilis quoque est cl. SCHMVCKERI (*chirurg. Wahrn. T. 2.*) querimonia, sub crebra licet eius experientia, quin ipsa Vindobonensi cicuta bello acquisita, capta, nihil in glandulis scirrhosis sub auribus in inguinibus et mammis nec in cancris apertis praestitisse, contra ea aegros debilitate neruosa, (*p. 82.*) nausea, ructibus putridis, vertigine, anxietate correptos, et in duobus tremorem membrorum subortum (*p. 134. sq.*). Addit, si quid boni

efficere dicenda ſit, id vnice in emollitione tumoris prope ambitum ſcirrhi, preſſione ſua moleſti, conſiſtere. — In Gallia nullum effectum vel ſiniſtrum in cancro exulcerato reliquiſſe teſtatur MONNIER (*Quaeſt. med. an cancer vlceratus Cicutam eludat? Paris 1763.*) Non ſufficere lui venereae ſubigendae (FABRE *Mal. vener. T. 2. p. 179.*). — Reſtringunt efficaciam et alii. Fide digniſſimus WHYTT (*on nervous Diſord. p. 22.*) vertiginem, tremorem oculorum, totius corporis dibilitatem inde animaduertit; et quamuis frequenter extractum vti et puluerem tentauerit, bis tamen modo voto reſpondit, ſcilicet in tumore amplo mammae ſiniſtrae, et in glandula ceruicis indurata, (*l. c. p. 434.*). GATAKERO (*Eſſays on med. ſubiects Introd. p. 8. ſq.*) teſte nunquam in Anglia tantarum virium fuit, quales STÖRCKIVS deſcribit; diureſin et diaphoreſin aliquando excitauit, raro deiectiones aluinas; maiori doſi viſum debilitauit et vertiginem produxit. Denegat illi vim ſpecificam in cancro FOTHERGILL (*Med. Obſ. et Inqu. T. 3. p. 400.*), non diffeſſus tamen in cancro progreſſum cohibuiſſe, dolores mitigaſſe et profluuium vlceris emendaſſe, largiori doſi delirium plerumque enatum, oculos agitatos vel prominuiſſe, aluum ſemel vel bis laxatam; vetat, haec ſi contingant, augeri doſin, ſed ſubſiſti iubet, donec illi aeger aſſueſcat, quibus factis triduo vel quatriduo poſt addi aliquot grana (*p. 416.*). Nunquam exulceratum cancrum

crum ſanaſſe, etſi protracto diu vſu, aſt initio ſemper egregiam virtutem ſpoſpondiſſe, innuit FARR (*Med. Obſ. et Inqu. Vol. 4. p. 108.*). Cl. AKENSIDE (*Med. Tranſ. T. 1. p. 79. 83.*) in cancro modo exiguam efficaciam inde expertus eſt: initio enim praeſtantiſſimam viſam, minuendo dolorem, ſuppurationem promouendo, indurationes ſoluendo, verum in progreſſu omnem vim perdidiſſe; non ſpernendam tamen tanquam ſpecificum anodynum in cancro praecipue veteri et topicis vitiis, in quibus malis Opio potentiorem videri. Pluries fruſtra adhibuit auctor anon. (*pract. Eff. p. 44.*) multosque inde, vt ſignificat, inuaſit calor, tremor, vertigo, caligo oculorum, breuis etſi durationis; multi modo externum vſum tulerunt, ſed efficacem. Toties, in ſpe ſua curandi cancrum, deluſum piguit vlterioris experimenti chirurgum HILL (*Caſes in Surgery, particularly of Cancers etc. p. 49.*) — Partim inutilem partim noxiam fuiſſe teſtatur HAAR (*Verhandeling over de Natuur en Aart van de Klierknoeſt en Kanker-Gezvellen*). — Queritur cel. ACREL (*Tal om Chir. Hand. förkortande p. 40.*) de fruſtraneis experimentis in tumoribus ſcirrhoſis. Alius Suecus, cl. WAHLBOM (in *Med. Verk. tilſtånd p. 106.*) dolet vel leue modo vel nullum auxilium mammis induratis vel obſtructis tumidisque glandulis tuliſſe, nec in phthiſi ex tuberculis, herpete, ſcabie ferina ex cauſa venerea vel absque ea iuuaſſe. Maximi momenti eſt

cl. BIERCHÉN (*Tal om Kräftſkador p. 9. not. ſq.*), idonei hac in re arbitri, teſtimonium, quippe qui in ſcirrhis quidem ſcrophuloſis et adhuc magis in veris ſcrophulis et inueteratis vitiis venereis, vti et in tumoribus a coagulata pinguedine, vim praeſtare expertus eſt, ſed in omni cancro genuino inſignem noxam afferre. Non inficiatur quidem dolores per primas hebdomades ſopire, ſed paullo poſt accelerare malum manifeſte et quidem pro doſeos proportione et iuncto externo vſu. Auxit doſin interdum ad vnciam vnam per diem idque pluribus menſibus, ſine alio effectu, quam ebrietatis ſenſu et diureſi copioſiori. In cancris oris ptyaliſmum, quaſi a mercurio, excitauit.

Sic igitur ſuffragiis operoſe collatis demum euincitur, quid de viribus Cicutae veri ſtatui poſſit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM CICVTAE V. ſupra. *Ph. Würt. noviſſ. p. 91. Ph. Dan. p. 173. Ph. Suec. p. 111.* PILVLAE DE CICVTA, RICHARD *Formul. noſod. p. 34.*

EMPLASTRVM DE CICVTA CVM AMMONIACO *Ph. W. p. 60.* Ex ſucco herbae Conii, aceto ſcill. gummi ammoniaco in pultem coctis, additis puluere Conii cera et oleo Capparum. Loco olei dicti Sueci (*Ph. Suec. p. 99.*) Terebinthinam admiſcent; Dani (*Pharm. p. 153.*) oleum Hyoſcyami. Ill. A LINNÉ (*M. m.*) Conio pro emplaſtro Cicutam viroſam ſubſtituit.

tuit. Eximium reſoluens in glandulis ſcirrhoſis et viſceribus induratis.

OLEVM per infuſionem et coctionem paratum. *Cod. med. Paris.*

Störckiana praeparata varia ſupra iam dicta.

ATHAMANTA.

LINN. *Syſt. veg. p. 230. Gen. pl. p. 133.*

101.

Pharm. DAVCI CRETICI *Semen.*

Athamanta cretenſis; foliolis linearibus planis hirſutis, petalis bipartitis, ſeminibus oblongis hirſutis LINN. *Sp. pl. p. 352.* Daucus creticus ſemine hirſuto IO. BAVH. Libanotis cretenſis SCOPOL. *Carn. T. I. p. 192.* Cfr. IACQV. *Enum. pl. Vindob. p. 218.* Icon: BLACKWELL *Tab. 471.* Pl. perennis, creſcens in gramineis ſubalpinis et montanis Helvetiae, in iugis Schneebergenſibus, alpibus Volchinenſibus Carniolae, etiam in Gallia meridionali a l'Eſperou.

SEMEN plerumque ex Candia translatum. Rarioris vſus, quam deberet. Nempe acre, calidum, odoris leuiter aromatici. Loco ſeminis Dauci vulgaris adhibendum (HALL. *Hiſt. n. 745.*), vtpote potentius. Aqua eiusdem deſtillata fragrans aromatica, vt ipſa ſemina, et oleum deſtillatum, ſimul elicitum, mo-

moderate pungens. Spiritus vini digeſtione vim ſeminum imbibit. Veteres ad calculum frangendum aeſtimarunt. Arriſit etiam vt vterinum, diureticum, nec non in colica flatulenta, in ſingultu rel. (SCHRÖD. *Theſ. p. 582.*)

102.

Pharm. OREOSELINI *Radix; Semen; Herba.*

Athamanta Oreoſelinum; foliolis diuaricatis LINN. *Sp. pl. p. 352.* Apium montanum folio ampliore C. B. Apium montanum nigrum ID. Conf. SCHMIEDELII et TROELTSCHII *Diſſ. de Oreoſelino, Erlang.* Icon: RIVIN. *pentap. T. 8.* Pl. perennis, in rupibus collibusque apricis Heluetiae, Galliae, Angliae, Germaniae, item in pratis ſiccioribus et plerisque collibus Scaniae creſcens.

Stirps minori hodie in pretio habita, quam meretur, ita vt nullibi fere apud auctores materiae medicae occurrat. Olim tanta laude eminuit, vt nomen adeo Polychreſti, quod illi tribuit CORDVS (*Plant. L. 2. c. 125. p. 155.*) item Veelguttae (DODONAEVS) ex corrupto Germanico, quaſi ad multa eſſet bona, tulerit.

RADIX fuſiformis, ſuccoſa, ſuccum lacteſcentem fundens, ſubamarum, glutinoſum, qui exſiccatus in reſinam ex rufo auream perlucentem concreſcit. Re-

Recens deſtillatione aquam fragrantem erogat. Tinctura ex eadem ſpiritu vini facta ſaporis et odoris eſſentiae Pimpinellae. Extractum eiusdem vinoſum primo acidulum, poſtea ſumme amarum et adſtringens. Radicem attenuare, incidere, aperire, lotium mouere, calculos ſoluere et pellere, iecoris et lienis obſtructiones reſerare, in ictero quoque prodeſſe, manducatam dolores dentium mitigare et ſaliuam elicere DODONAEO (*Pempt. p. 696.*) placet. Aptam ſanandae pecudi inter alia pronunciat TABERNAEMONTANI (*Kräuter-buch Ed. Baſ. T. 1. p. 277.*), et ruſticis in frequenti vſu pro hoc fine GOTTSCHED (*Flor. Pruſſ. p. 18.*) refert. Extractum aquoſum mucoſam ventriculi cruditatem ad grana quinque mane datum ſubegit; quo tamen efficacius extractum vinoſum, quod calorem gratum in ventriculo excitauit, et poſtea ſemper ſemel vel bis aluum mouit. (SCHMIED. *l. c. p. 41.*) Eſſentia vomitum ab ebrietate nimia compeſcuit et ventriculum roborauit (*l. c.*). In febre tertiana guttae 36 ad 40 eiusdem quouis praebio ad vomituritiones ſiſtendas ſumtae (*l. c. p. 40.*).

SEMEN ouatum compreſſum, planum, leue, cinctum margine albicante membranaceo, nares acriter ferit, ſaporis grauis inſtar corticum aurantiorum. Efficaciſſima eſt aqua, ex feminibus eruta, vires eorundem colligens; oleum vero non praeſtant niſi ſub ſicca deſtillatione. Empyreumatici iſtius gutta vna

denti

denti carioſo inſtillata dolorem ſedat (SCHMIED. *l. c. p. 39.*)

HERBA minori gradu calida, nec aquam odoram praebet. Infuſum eiusdem gratum ſaporem odoremque corticis citri prae ſe fert. Hoc in gonorrhoea benigna ſiſtenda efficax fuit (SCHM. *p. 40.*). Sanguinem depurat, lotium ſudoremque pellit. Nec ventriculum debilitat, vt alia infuſa, ſed roborat. Hoc in primis neruoſe quoque commendat cel. GE. RVD. BÖHMER (*Diſſ. de plant. indig. aeſtimatione p. 26.*). prout antea paucis verbis LÖSECKE (*Auſerl. Arzneyen. Ed. 3. p. 187.*).

PEVCEDANVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 231. Gen. pl. p. 134.*

103.

Pharm. PEVCEDANI *Radix.*

Peucedanum officinale; foliis quinquies tripartitis filiformibus linearibus. LINN. *Sp. pl. p. 353. α*, Peucedanum Germanicum C. B. πευκεδανος veterum probabiliter. Icon: GARSAVLT *Figures Pl. 452.* Pl. perennis cr. in Europae auſtralioris pratis pinguibus item locis paludoſis.

RADIX craſſa et elongata, extus coloris obſcure bruni vel nigricantis, interne albidi, ſaporis calidi et ingrate aromatici. Recens ſauciata ſuccum lacteum ſtil-

ſtillat, quod et notauit DIOSCORIDES, qui ſiccatus ſulphur colore et quodammodo odore refert. Vnde et ab Anglis Sulphur-wort dicta. Foetet haec, ſubacris, ſubamara. Quod DIOSCORIDES (*L. 3. cap. 92.*) affirmat, ſuccum colligenti cephalalgiam et vertiginem parere, niſi prius nares roſaceo perunctae, non reſpondet ALSTONII (*M. m. 1. p. 493.*) experientiae. Etſi noſtro tempore fere omnino in deſuetudinem abiit: veteribus tamen non infrequens. GALENVS (*de ſimpl. L. 8.*) non vnice radice, ſed et ſucco et liquore (lacte) vſus eſt. THEOPHRASTVS (*Hiſt. pl. l. 9. p. 1178.*) ſolum radicis probat vſum. Inter crebras veterum laudes, quas in compendium redegit IO. BAVHINVS (*Hiſt. T. 3. p. 376.*), id elucet eſſe efficax incidens et aperiens et neruos male affectos blande ſopire. Hinc lego in aſthmate, tuſſi variisque viſcerum obſtructionibus profuiſſe, excretiones varias promouiſſe, lotii, menſtruorum, lochiorum. Aluum purgandi vi inſtruitur, a quo vſu vero olim deterruit foetor. Adhibita et in malo hyſterico aliisque ſpaſticis morbis. Puluis radicis ad mundanda vlcera et conſolidanda iisdem inſperſus fuit (TRAGVS). — Recentius ſcabies pertinax ſcorbutica deuicta decocti radicis Peucedani libris ſex quotidie per hebdomades quatuor ſumti, interpolatis laxantibus, quibus interdum grana quindecim ad viginti extracti vinoſi Peucedani admiſta (DELII *Diſſ. de Peucedano Germ. p. 32.*). Extractum vinoſum

ſum ad gr. xxv. mane ſumtum roborando ſtomacho inſeruiit (*l. c. p. 35.*). Reſtituit quoque menſtrua per duos annos ſupreſſa et cachecticum labem inde enatam correxit.

FERVLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 231. Gen. pl. p. 136.*

104.

Pharm. ASSAE FOETIDAE *Gummi.*

Ferula Aſſa foetida; foliis alternatim ſinuatis. LINN. *Sp. pl. p. 356.* Aſa foetida Diſgunenſis vmbellifera leuiſtico affinis etc. Perſis Hingiſeh c. icone KÄMPF. *Amoen. exot. p. 535.* Pl. perennis, creſcens in Perſiae campis montibusque.

Aſſa foetida, ſiue Gummi reſina ita dicta, lactis inſtar ex radice diſſecta ſtillat, caloris autem ſolaris vi concreſcit in maſſam ſiccam. Teterrimi lac iſtud initio odoris eſt, et hoc ipſo Aſſam venalem longe ſuperans. Copioſior eius prouentus fit ex ſtirpibus in campis creſcentibus, quam montanis, copioſior etiam ex vetuſtis, quam iunioribus. Vnde ſtirpes modo quadriennio maiores, quarum radix pro aetatis diſcrimine peram, ſuram, brachium aequat, ſeliguntur. Harum radix, poſtquam terra ambiens ſuperius ſeparata fuerit, quadraginta dies poſt transuerſim ſupra ſecatur, quo ipſo in ſuperficiem patulam copia ſucci aſcen-

aſcendit; qui ſolis vi condenſatus abraditur et corbe excipitur. Mora duarum vel plurium dierum conceſſa, nouam ſectionem transuerſam inſtituunt, vt collectionem iterare poſſint, ſicque pergunt, donec nihil amplius promanet. Et haec quidem teſte fide digniſſimo KAEMPFERO (*l. c. Conf. Icon p. 548.*). Duplex autem Aſſae foetidae in Perſia genus proſtare, quorum vnum inciſione praegreſſa ex caulibus et foliis ope torcularis exprimi et ſiccari, alterum ex radicibus expreſſione excuti, BONTIVS (*Med. Indorum, p. 41.*) tradit.

Nondum omnino euictum, an veterum in vſum venerit. Σιλφιον vel Οπος σιλφιϑ Graecorum DIOSCORIDIS, THEOPHRASTI, HIPPOCRATIS rel., *Laſer* vel *Laſerpitium* PLINII, CELSI et rel. Latinorum a quibusdam creditur, aliis iterum negantibus. Argumenta vtriusque partis proferunt IO. BAVHINVS (*Hiſt. T. 3. p. 129-136.*) et huic contrarius BODAEVS (in THEOPHR. *p. 591-599.*). Priori ſiue aſſentientibus accedit GEOFFROY (*M. m. Traité T. 4. p 170.*), et nouiſſime cl. MILLAR (*on the aſthma et hooping-cough, p. 183. ſqq.*), qui nomina Laſer, Laſerpitium diuerſis plantae partibus vel praeparatis ex iſtis tributa ſatis confidenter exiſtimat, nam folia caules et radicem vſurpatam, ſuccumque ex iisdem elicitum, et vel fluida vel ſicca forma adhibitum. Cel. SPIELMANNVS (*M.m.p. 505.*) Aſſam innotuiſſe demum inter Arabes,

et a Graecis duodecimo seculo inclytis Σκοροδαλασαρον esse dictam, auctor est. Ὄπον σιλφιϑ contra abortum interne et externe adhibuit HIPPOCRATES. In tussi, vitiis laryngis et vocis, nec non ictero, praeter alia vitia, placet DIOSCORIDI. Sorbitiones in tussi, quibus Laser adiectum, commendat CELSVS. GALENVS calidum et viis vrinariis noxium pronunciat, modo de eodem remedio sermo. PLINIVS tam raram plantam refert, vt Laser thesauro publico seruaretur, et de adulteratione queritur. *Altiht* Arabum, quod nomen occurrit apud SERAPIONEM, etsi non apud RHASEN et AVERRÖEN aliosque quosdam legitimos auctores, putatur (GARZIAS AB HORTO *Chis. p.* 17.). Vox Assae foetidae videtur indita a Monachis in schola salernitana.

Sed gestio tradere certiora. Assa foetida transfertur frustis variae magnitudinis et figurae, coloris fusci, flauentis, rubentis, vel coerulescentis, moleculis albidis persitis aliquantum pellucidis. Optima censetur pallide rubens maculis albis variegata. Tenacitatem dentibus subacta prodit. Allium cum alio foetoris intolerabilis genere redolet; vnde et sacculi, quibus naui transfertur, in cacumine mali suspenduntur, ne peregrinantibus molestiae sit nec merces foetore inficiat. Sapor eiusdem amarus subacris est. Vetustate cum odore efficacia perit. Saepe adulterata transmittitur.

Plus

Plus gummoſarum partium quam reſinae ineſſe docent experimenta chemica NEVMANNI, CARTHEVSERI. Prior $\frac{1}{64}$ olei odorati elicuit. Foetore eius et ſpiritus et aqua deſtillatione imbuitur. Magna pars reſinae vna cum gummi in aqua ſolui ſeſe patitur, ſed turbida ſolutio euadit, prout et iſta ſpiritu vini tenuiori facta. Antiſepticae naturae eſt (PRINGLE *Diſſ. App. Exper. 10.*)

Non obſtante foetore, Indis (rarius Europaeis quibusdam guloſis) pro condimento ciborum eſt, lebete, quo iuſcula et olera ſua coquunt vel craterum oris, ea antea perfrictis (GARZIAS, KÄMPFER *ll. cc.*). Nec minori in pretio pro medicina huic genti. In colica, hydrope, tympanite adhibent; quibus ſcopis et conuenire exiſtimant ſemen, ſed debilius. Externe vero ſuccum recentem ad conſolidanda vulnera efficacem valde habent (KÄMPFER). Vtuntur et Aſſa ad ſtomachum roborandum, flatus diſſipandos, dentibus indita ad eorum dolorem ſedandum, item ad ſtimulum venereum ciendum (GARZIAS).

Efficacia, quam et Europaeis medicis multiplici experientia declarauit, partim odoris partibus partim reſoluendi vi debetur. Potens remedium in morbis neruinis et ſpaſticis eſt. Nihil magis valere ad neruorum morbos pronunciat BOERHAAVE (*Morb. nerv. p. 611.*). Vnde hyſterico et hypochondriaco malo af-

fectis omnium conſenſu ſubuenit, flatus inteſtinales diſſipando, ſpaſmos ſoluendo, et aſthma vitio ventriculi flatulento ortum vel auctum tollendo. Proficuae fuere maxime pilulae ex Aſſae foetidae partibus tribus, Aloës et ſalis martis aa parte vna, ea quantitate datae, vt aluus laxetur (WHYTT *nerv. Diſ. p. 370.*). Aliquando Aſſa ſomnum procurat et deliquium animi diſpellit (ID.). Fumigatione (IDEM) vel ſolo olfactu eius ſindoni inuolutae, (FOREST. *Op. Lib. 28. Obſ. 32. Schol.*) paroxyſmo hyſterico ſopitas feminas excitat. Commodum tum quoque auxilium praeſtat in clyſmate cum purgante quodam, ſi aluus obſtructa fuerit, applicata et, vtprimum deglutire poteſt aegra, in ſolutione data (WHYTT *l. c. p. 474.*). Valent et clyſmata laxantia Aſſa permixta in colica hyſterica ſ. flatulenta (*p. 484.*). — In aſthmate ſpaſmodico acuto infantum praeſtantiſſimam eſſe medelam recenter compertum (MILLAR *l. c.*), dum ſumatur in mixtura, ſcil. ex Aſſae foetidae drachmis duabus, ſpiritus Mindereri vncia vna, aquae Pulegii vnciis tribus; cuius cochleare vnum vel duo omni ſemihorio ingeratur, minor autem quantitas miteſcente nonnihil malo. Simul vero in clyſmate adhibita fuit (*l. c. p. 43.*). Huius vncia vna aliquando infanti menſium octodecim ſpatio 48 horarum data; nec nauſeam infantibus peperit. Remiſſione vero facta cortex peruuianus ad pulmones roborandos et reditum mali prohibendum exhibendus (*p. 46.*). —

Prae-

Praeſtans et in malo huic affini, tuſſi conuulſiua, vt raro alia medela opus fuerit, ſi tempeſtiue praeſcribitur. Prodeſt tum eius drachmam vnam et dimidiam vel duas ſoluere in aquae Pulegii vnciis octo eamque quantitatem per diem conſumere, non tamen reſpectu aetatis et aegri conſtitutionis in doſi neglecto (MILLAR *l. c. p. 132.*). Non licet tamen in prouectiori malo praeſcribere, nec quando hectica febris, haemorrhagia vel phthiſeos veſtigia ſeſe ſociant (ID.). — Guttae ex Aſſae foetidae ſcrupulo vno et liquoris C. C. ſuccinati vncia vna ad numerum triginta datae longiora intervalla paroxyſmorum epilepſiae habitualis reddidere; quin ſubinde epilepſiam penitus debellarunt, ſed abſente plethora, (LANGE *miſc. verit. med. p. 60.*).

Halitibus, quos ſpargit, foetidis tribuenda videtur in necandis vermibus poteſtas, tanto magis, quum et Allium anthelmintica virtute emineat. Agnouit hanc FRID. HOFFMANNVS (*Med. ſyſt. T. 3. ſect. 1. c. 5. §. 32. p. 107.*), cui pilulae ex Aſſa foetida, Myrrha, Croco et Mercurio dulci ſolitae erant, et qui alibi illam et Sagapenum (*l. c. p. 543.*), ob nidorem, contra vermes, praecipue ſub connubio purgantium in pilulis praedicat. Vlterius confirmat hoc WOLFFIVS (in *Act. N. C. Vol. 9. p. 41.*), qui eius granis quatuor Ialappam et ſal medium admiſcuit. Simplicitas et hic commendabilis, vnde pilulae, ex granis quatuor ad quinque in totidem moleculas melle formatae, omni tri-

horio vel quadrihorio per binos dies conducunt, ſubſequa tertio alui ductione per rhabarbarinum (ROSENSTEIN *Bſkd. Ed. 2. p. 305.*). Recentius pilulae ex Aſſa foetida, Vitriolo martis et pauxillo mellis placuerunt (*Ed 3. p. 360.*). Intrat quoque pilulas ROSENSTEINII vſitatas, ex extracto Tanaceti, Aſſa foetida, ſeminibus Santonici, Vitriolo martis et melle (*l. c. p. 376.*)

Stimulo ſuo apud ſenes torpente aluo plus facit, quam alia laxantia (MILLAR *l. c.*). Obſtructiones viſcerum, vt aliae ſimiles Gummi-reſinae, imo potentius ob volatiles partes, referat. In ſuppreſſione menſtruorum nominatim, quae ſaepe a ſpaſmis oritur, fiduciam peperit. Externe quoque emollit et reſoluit, prout in emplaſtro haec potiſſimum ſcrophulas aliasque indurationes diſſipat (PLENCK *chir. Materia p. 155.*).

Varii medelam hanc exhibendi modi ſparſim iam ſupra ſignificati. Pilularis forma ad celandum ſaporem et odorem maxime confert. Pro doſi ad ſcrupulum dimidium, vnum vel ſupra, decernitur. In aſthmate cum ouo ſorbili commendatur (GEOFFROY).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TINCTVRA FOETIDA *Ph. Lond. p. 70.* Conſtat ex Aſſa foetida ſpiritu vini ſoluta, coloris lutei pellucidi. Drachmae duae continent fere vim granorum XV.

In-

Ingreditur praeterea TINCTVRAM FVLIGINIS *Ph. Lond. l. c.* PILVLAS FOETIDAS *Ph. Ed. p. 83.* PILVLAS GVMMOSAS *Ph. Lond. p. 95. Ph. Ed. 84.* ELIXIR VTERINVM DVRIETI *Ph. Suec. p. 94.* EMPLASTRVM ANTIHYSTER. *Ph. Ed. p. 104.*

LASERPITIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 232. Gen. pl. p. 136.*

105.

Pharm. GENTIANAE ALBAE *Radix.*

Laſerpitium latifolium; foliolis cordatis inciſo-ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 356.* Libanotis latifolia altera ſ. vulgatior C. B. Icon: RIVIN. *pent. Tab. 21.* Pl. perennis in pratis exſuccis et ad radices montium creſcens.

RADIX craſſa, profunde deſcendens, teres, aromatica, acris, calida et ſubamara. Silent de hac plerique auctores materiae medicae. Ill. a LINNE (*M. m. p. 199.*) recipit, aliique pauci. Multa ſpondet ſapor. Ruſticis accepta medicina (HALL. *Hiſt. ſt. helu. n. 792.*). Alexipharmaca a SCHVLZIO (*M. m. p. 361.*) praedicata, ſaltim ſi nomini inhaerendum, niſi Athamantam Ceruariam L. intellexerit. Stomachum roborare, menſtrua et lotium pellere (LINN.). In iumentorum morbis variis vſitatiſſimam vocat VOGEL (*M. m. p. 199.* et *Ph. Heluet. p. 77.*).

106.

Pharm. SILERIS MONTANI vulgo, SESELI Ph. Lond. *Semina; Radix.*

Laſerpitium Siler; foliolis ouali-lanceolatis integerrimis petiolatis LINN. *Sp. pl. p. 357.* Liguſticum quod Seſeli officinarum *C. B.* Siler montanum DODON. *pempt. p. 310.* Icon: BLACKWELL *T. 426.* Pl. perennis, in auſtralis Europae rupibus apricis et alpibus e. c. Heluetiae, Geneuae, Piſae, creſcens.

Creditur eſſe Liguſticum DIOSCORIDIS, etſi nondum euictum. SEMEN oblongum, ſtriatum, coronatum, odoratiſſimum. Inuſitatum, ſed plurimas plantas vi aromatica ſuperat (HALLERVS *n. 794.*). Seſeli cretici nomine ſubinde in officinas recipi ſupra iam dictum. Largitur oleum odore Cumini idque coeruleum (WALTHER *de ol. animal.*). In affectionibus vteri plebi Brunſuicenſi acceptum (LANGE *Brunſuic. dom. p. 79.*).

Radix pariter efficax, ſeminibus adhuc feruentior, alpicolis in vſu; etiam in dentium dolore, ſaliuae ciendae cauſa. (HALLER *l. c.*)

LI-

LIGVSTICVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 233. Gen. pl. p. 137.*

107.

Pharm. LEVISTICI *Herba; Radix; Semina.*

Liguſticum Leuiſticum; foliis multiplicibus, foliolis ſuperne inciſis LINN. *Sp. pl. p. 359.* Liguſticum vulgare C. B. Icon: BLACKWELL. *T. 275.* Pl. perennis, in alpibus Apenninis et in montibus Rhaeticis creſcit, ſed in hortis crebro pro medicina domeſtica colitur.

Odor toti plantae ſpecificus, praecipue herbae, ingrate fragrans, ſapor calidus, aromaticus. Abundat ſucco luteo gummi-reſinoſo, Opopanacem quodammodo referente. Virtute Angelicae et Imperatoriae haud diſpar, in flatibus diſſipandis, ſudore mouendo, incidendi et aperiendi efficacia. HERBA in hyſterico praecipue malo et menſtruis pellendis inualuit. Arcanum pro expellendo partu et ſecundinis communicatum cum FORESTO (*Lib. 28. Obſ. 32. in ſchol.*) fuit cyathus ex ſucco herbae et vino Rhenano, vel ex ſemine contuſo, vino ſiue aqua Artemiſiae decocto. Inſtar acetarii comeſta vel et decocta praedicatur ad menſtrua reſeranda (CHOMEL *Vſuelles T. 2. p. 216.*). Conducunt eodem fine et balnea et cataplaſmata ex eadem.

SEMEN oblongum, brunum, altera parte ſtriatum. Eiusdem virtutis maſticatum et deglutitum, vel vino coctum.

RADIX grandis, extrinſecus flaua interne alba, praeter aroma dulcedinem quandam prae ſe fert, quae in extracto aquoſo colligitur, odora parte euanida. Extractum ſpirituoſum autem continet vtrumque. Cochleare paruum pulueris bis per diem in cereuiſia datum tam in obſtructis menſibus quam hyſterico malo conducit (DAREL. *Socken-ap. p. 69.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA DESTILLATA LEVISTICI *Ph. Brand.* aromatica.

ESSENTIA *Ph. W. p. 81.* Ex radice et ſeminibus cum ſpiritu vini.

ANGELICA.

LINN. *Syſt. veg. p. 234. Gen. pl. p. 138.*

108.

Pharm. ANGELICAE SATIVAE *Herba; Radix; Semina.*

Angelica Archangelica; foliorum impari lobato. LINN. *Sp. pl. p. 360.* Angelica ſatiua C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 206.* Pl. biennis, quae tamen abſciſſis ramis per plures annos perdurat. Creſcit in Lappo-

poniae, Noruegiae, Heluetiae, pyrenaeisque alpibus, vti et ad ripas fluuiorum alpibus proximas; rarius alibi.

Stirps omnibus partibus aromatica, et moſchum quodammodo redolens. Debilior habetur Heluetica (HALL. *Hiſt. n. 807.*). In Anglia praefertur, quae ex Hiſpania transmiſſa. (*Ph. Lond. p. 4.*) Ill. A LINNE (*Vet. Ac. Handl. 1754. p. 186.*) palmam tribuit Lapponicae radici, ſed vel primo vere vel ſero autumno effoſſae. Lapponibus planta tanto in pretio, vt illi pro diuerſa aetate et diuerſis partibus diſtincta nomina impertiant. Caulibus veſcuntur, ſed debilioribus, auide (LINN. *l. c.*), ante vmbellae explicationem abſciſſis et decorticatis, crudis pro cibo, qui leuiter aromatici et amari nec diſplicuerunt in Lapponia ill. LINNEO inter alia frugalioris menſae fercula, non ita vero extra Lapponiam (*Flor. Lapp. p. 69.*). Siccant quoque caules in fruſta tenuiſſima diſſectos et in pectoris morbis pulmenta lacte inde parant, vel iuſculis carnis eosdem incoquunt, quin ob dulcem ſaporem pro victu quotidiano adhibent, vel bellarii inſtar maſticatos deglutiunt. Tuſſi vel raucedine aliisque pectoris morbis aeſtate vexati caules cineribus calidis aſſatos edunt, prout et ſic extra morbos illis arridet (HARMENS et FIELLSRÖM *Diſſ. Med. Lapponum in coll.* HALLER. *Diſſ. pract. Tom. 6. p. 721.*). Alius ibidem mos inualuit, flores teneros, antequam e vagina ſua eruperint,

ſero

ſero lactis rangiferini decoquere, donec conſiſtentia extracti ſpiſſioris emerſerit, quod ſaporis ſubamari eſt. Hoc ſeruant pro morbis ad ſudores ciendos, in febribus catarrhalibus, ad ſtomachum roborandum, in alui profluuio, in torminibus rel. (FIELLSTRÖM *loc. cit.*). Herba antiſeptica ſecundum experimenta Pringleana. Folia ſiccatione facile efficaciam perdunt; recentia deſtillatione vires aquae impertiunt.

RADIX magna, fuſiformis, extus bruna, interne alba, ſaporis initio aromatici et dulcis, dein grate amari, odoris fragrantis. Et haec pars reliquis aromate ditior, ſecundo anno effodienda. Ineunte vere vulnerata fundit ex corticis interiori parte ſuccum flauidum vnctuoſum, qui naturae gummi-reſinoſae eſt, et radice ſecundum longitudinem ſecta in canalibus exiguis ſeſe prodit. Facile hic ſpiritu vini ſoluitur, quem ipſum colore aureo tingit. Aqua a radice profunda flauedine coloratur, etſi parum ſapidi et olidi extrahit (LEWIS *M. m. p. 54.*). Deſtillatus inde ſpiritus vix odorem abſumit. In panem Noruegi recipiunt (GVNN. *Fl. Norueg. p. 47.*). Ex radice primi anni exſiccata Lappones longaeuitatem temere exſpectant, et inter alia fortiora in colica diriſſima, cui obnoxii ſunt, ex hac auxilium petunt (LINN. *Fl. Lapp. l. c.*). Coſto ſubſtituere ſuaſit COSTAEVS (ad MESVEN *p. 105.*). Virtus referenda ad conſuetam aromaticorum, vnde nonniſi in morbis frigidae naturae, qui ſti-

ſtimulo egent, vel in quibus pituitoſa humorum diatheſis ſubeſt, locum habet. In debilitate igitur ventriculi, flatibus et colica inde dependente, paralyticis affectibus, collectionibus pituitoſis, menſtruorum obſtructione, ſudore pellendo, adhibita. Alexipharmaci quoque nomen tulit, quin ipſi peſti ſubigendae par habita. Maſticata mouet ſaliuam. In decocto vel infuſo aquoſo iuſtius exhibetur, quam menſtruis ſpirituoſis digeſta, quum ſic minus calefaciat.

SEMEN, altera parte ſtriatum altera planum, ex maioribus vmbellatarum. Vis cum odore et ſapore fugax. Aqua vires imperfecte modo extrahit, ſpiritus omnino; ſed deſtillatione aromate impraegnatur. Suppar radici viribus.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA ANGELICAE ex radice *Ph. W. p. 6;* ex ſeminibus, vel et herba et ſeminibus. *Cod. Paris.*

SPIRITVS *Ph. W. p. 187.* Ex radice cum ſpiritu vini et aqua, deſtillatione. Flatus diſpellit et ſudores mouet ad drachmam vnam vel duas.

ESSENTIA *Ph. W. p. 76.* Ex radicibus ſpiritu vini maceratis. Efficacior et plus virium Angelicae continet. Ad ſcrupulos duos.

OLEVM *Ph. W. p. 138.* Ex ſeminibus.

EX-

EXTRACTVM *Ph. W. p. 86.* Ex radicibus ſpiritu vini et aqua extractis.

CAVLES ANGELICAE CONDITI *Ph. Lond. p. 25.*

Additur praeterea aliis Eſſentiis compoſitis e. g. ESSENTIAE ALEXIPHARM. STAHLII.

109.

Pharm. ANGELICAE SYLVESTRIS *Radix.*

Angelica ſylueſtris; foliolis aequalibus ouato-lanceolatis, ſerratis LINN. *Sp. pl. p. 361.* Angelica ſylv. maior C. B. REGNAVLT *Botanique, l'Angelique ſauvage.* Pl. perennis in locis humidis creſcens.

RADIX inuſitata, debilior iſta praecedentis, attamen ſub defectu eius ſubſtitui a Lapponibus ſolita (LINN. *Fl. Lapp. p. 71.*). Ruſticis in Suecia in hyſterico malo adamata (EIVSD. *Fl. Suec. p. 246.*). Seminibus capiti inſperſis pediculi necantur (DEERING apud LINN. *l. c.*).

IMPERATORIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 238. Gen. pl. p. 143.*

110.

Pharm. IMPERATORIAE *Radix.*

Imperatoria Oſtruthium; LINN. *Sp. pl. p. 371.* Imperatoria C. B. Icon RIVIN. *pent. T. 7.* Pl. perennis in montibus auſtriacis et alpibus Heluetiae.

Ra-

RADIX teres, nodoſa, annulis diſtincta, externe cinerea, interne alba. Sapor eiusdem calidus, pungens, totum os replens, tenaciter inhaerens, odor aromaticus. Succus, e radice recente inciſa ſtillans, inſigniter acris. Nomen ſingularis efficacia impertiit, quam RAIVS aliique non immerito cum iſta Angelicae ſatiuae compararunt; vt igitur, in pituita reſoluenda ſolidis ſtimulandis et ſudore pellendo, paucis ex aromaticorum tribu ſit poſtponenda. Nominatim decoctum eiusdem in retentione vrinae et nephritide commendatum (CHOMEL *Vſuell. T. 1. p. 353.*). Muco pectus grauante proficit. Diuinum remedium in colicis et flatulentis affectibus vocatum (C. HOFFM. *officin. L. 2. c. 116.*). Maſticatam ſuffocationem vteri diſſipaſſe ſingulari caſu legitur (FOREST. *Op. L. 28. Obſ. 32. in ſchol.*). In febribus intermittentibus pertinacibus, quartanis adeo, opem praeſtitit in puluere ſumta, quin ſubinde cortice peruuiano vi ſuperior fertur (LANGE *domeſt. p. 141.*). Maſticata ſaliuam prolicit. Puluis eiusdem cum pauxillo ſeminis Aniſi miſtus in paralyſi linguae ſpecificus viſus (DECKER *exercit med. pract. p. m. 100.*). In puluere ad drachmam dimidiam vsque porrigitur. Vlceribus inſperſus eadem repurgat. Menſtruum ſpirituoſum plus virium habet in partibus acribus et amaris extrahendis, quam aqua, ſed calidiorem pariter reddit medicinam.

HE-

HERACLEVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 233. Gen. pl. p. 137.*

III.

Pharm. BRANCAE VRSINAE (perperam) *Herba.*

Heracleum Sphondylium; foliolis pinnatifidis laeuibus, floribus uniformibus LINN. *Syſt. veg. l. c.* Sphondylium vulgare hirſutum C. B. Icon: RIVIN. *pent. T. 4.* Pl. perennis in pratis vulgaris et ad agrorum margines.

HERBA dicto nomine in pharmacopoliis occurrit, licet ab Acantho deſumi deberet (LINN. *Fl. Suec. p. 88.*) eique potius vis emolliens adſcribi. Attamen Heraclei in Scania apud ruſticos frequens in dyſenteria vſus eſt.

In Sibiria planta humanam ſaepe altitudinem aſſequitur, in vniuerſum maior, quam Germanica. Hanc ſtaturam et in horto ſeruat, vt ipſe quotannis in botanico noſtro obſeruo. Varias haec acrimoniae notas exhibet. Nam caulis aut ramus corpori nudo impoſitus inflammationem et vlcus denique excitat, quae acrimonia videtur cortici inhaerere. Et Kamſchadalenſes caules crudos comedentes niſi caute dentibus corticem deradant, labiorum et gingiuarum tumorem ſibi contrahunt, in quo veſicae aſſurgunt. (GMELIN *Fl.*

Fl. Sibir. T. 1. p. 214. ſq.). Acrem quoque pronunciat, ſiue interne ſumatur ſiue extrinſecus applicetur, VICAT (*Memoire ſur la Plique Polonoiſe p. 56.*). Radix inſuper amara vrensque. Petioli foliorum radicalium poſt deraſum corticem in faſciculos collecti a Kamſchadalenſibus ſuſpenduntur et flaccidi facti per tecta ſparguntur, in quibus poſt aliquam moram exſudat farina dulcis ſaccharo analoga, quae quaſſatione et alliſione ad corpus durum facile pro vſu ſeparatur. Sic ex 40 libris petiolorum quarta circiter librae pars ſacchari eruitur. Petioli ipſi cupediarum inſtar illis ſunt. Ex iisdem farina ſua adhuc foetis Ruſſi fermentatione praegreſſa ſpiritum deſtillant, ſpiritu frumenti gratiorem. Ex farina ipſa quoque ſpiritus elici poteſt. (GMELIN *l. c.* Conf. et cl. CHAPPE *Voyage en Sibirie par* KRASCHENNINIKOW *Tom. 2. p. 364.*) Lithuani cibum ex Branca parant, quem *Barſcz* vocant, aeque fere illis, ac panis, frequentem, dum eandem loco quodam tepido, addito fermento panis et multo aquae, fermentationi committunt, vnde emergit obſonium liquidum ſ. iuſculum acidulum, cui ſaepe addunt rapas napos alia, hocque coquentes carne vel volucribus eſcam obtinent non ingratam. Nec potus ex infuſione herbae cum cereuiſia palato aduerſus eſt (VICAT *l. c. p. 56. 57.*). Negans ex hac ſtirpe cibum Barſz parari ERNDTELIVS (*Warſav. phyſ. illuſtr. p. 139.* item *Viridar. Warſav.* annexum *p. 22.*) videtur ad mo-

dum apud Polonos obuium nominatim reſpexiſſe: ſic vtriusque effatum perſiſtere poterit.

Sunt qui auertere plicam Polonicam eique ſpecifice mederi exiſtimarunt, SENNERTVS, KERGERVS, BERNITIVS, HAGENDORN. Hocque pariter fine etiamnum de cultura eius ſollerter diſpiciunt Lithuani et copioſe ingerunt. Perperam vero hoc nomine celebrari dignioribus fide teſtibus dabis, ERNDTELIO (*Warſavia phyſ. illuſtr. p. 210.* et VICATO (*l. c.*); licet et illi aberrent, qui contraria parte malum iſtud capillorum ex vſu eiusdem prognaſci ſuſtinuerunt.

SIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 234. Gen. pl. p. 138.*

112.

Pharm. NINSI *Radix.*

Sium Ninſi; foliis ſerratis pinnatis, rameis ternatis LINN. *Sp. pl. p. 362.* Siſarum montanum coraeenſe, radice non tuberoſa, vulgo Niſji, Nindſin et Dſin dſom KÄMPF. *Amoen. exot. p. 818.* c. icone. Optima exſtat in BVRM. *Fl. Ind. Tab. 29. Fig. 1.* Pl. perennis, cr. in chinae montibus, ſed in laponia colitur, vbi radix virtutis fere expers eſt.

Certiſſima, quae de hac planta ſcimus, KÄMPFERO debemus. Nomen Ninzin vel ſimile, ſono vel ſcriptione congruens, quod et radici Ginſeng (de qua

qua V. infra Panax quinquefolium L.) impoſuerunt. RAIVS (*Hiſt. univ. T. 2. p. 1338.*) PLVKENET (*Phytogr. Tab. 101. f. 7.*) MENTZELIVS (*Eph. ac. N. C. Dec. 2. Ann. 5. p. 73.*) BREYNIVS (*Diſſ. inaug. de radice Gin-ſen ſ. Niſi*), conuenientia etiam figurae radicum praeparationis modi et virtutum, confuſionem inter vtramque peperit, ſpecie tamen diuerſam; quem errorem nollem ven. OSBECK (*Oſtindiſka Reſa p. 144.*) ſuſtentaſſet. — Siſaro affinis valde ſtirps, cuius radicem Ninſi RADIX, ſapore etſi minus dulci ſed gratiori et tantillum amaro aemulatur, prout odore cum Paſtinaca conuenit. Eſtque haec fuſiformis, ad latera fibras ſpargens, inferne interdum in duo crura diuiſa, vnde et nomen Nin dſin (homini ſimilis) enatum, ſuperius quaſi annulata, carnoſa, albida, ad digiti minimi craſſitiem accedens. Credulae genti bifurcata iſta radix acceptior. Collectio radicum fit ineunte bruma, qua facta triduum aqua dulci vel aqua oryzae cocta ſecundaria et refrigerata macerantur, et dein inter ahenum operculatum ſuper igne ſuſpenduntur, vt vapor alluere poſſit; ſiccantur demum. Quibus artificiis ab ima ad mediam partem indureſcunt, et reſinoſae quaſi et perlucidae euadunt. Caro valde pretio venduntur, ita vt quinque quadrantes librae belgicae plus minus centum Ioachimicis thaleris veneant. Hinc ſub collectione furibus arcendis ſedulo inuigilant. Etenim tantum virium illi Sinenſes et Ia-

ponenſes tribuunt, vt omnibus fere medicamentis nominatim cordialibus admiſceant, et virtute praecipue roborandi, pinguedinem generandi et renibus pulmonibusque conſulendi excellere, quin ad vitam prolongandam facere, ſibi perſuadeant (KÄMPFER). Sagaciores autem Europae medici merito abſtinent a remedio tot ambiguis laudibus cumulato.

SISON.

LINN. *Syſt. veg. p. 235. Gen. pl. p. 139.*

113.

Pharm. AMMIOS VERI *Semen.*

Siſon Ammi; foliis tripinnatis, radicalibus linearibus, caulinis ſetaceis, ſtipularibus longioribus LINN. *Sp. pl. p. 363.* Ammi paruum, foliis foeniculi C. B. Foeniculum luſitanicum minimum acre SHAW *Travels T. 232.* Pl. annua, creſcens in Luſitania, Apulia, Aegypto; vnde et transfertur Venetias.

SEMEN exiguum eſt, ſtriatum, coloris griſeobruni, ſaporis ſubamari, et odoris valde fragrantis ad Origanum accedentis. Videtur eſſe Ammi DIOSCORIDIS et HIPPOCRATIS. Rariſſimae hodie praeſcriptionis. Aqua deſtillatum multum olei aetherei largitur eiusdem ſaporis et odoris, vt ſemen ipſum, reſiduum ingrate amarum eſt. Extractum ſpirituoſum ni-

nihil fere odoris habet ſpecifici, etſi ſaporem fere integrum. Carminatiui eximii nomen meretur. Sed nimium eſt praeconium MATTHIOLI (in DIOSC. *p.* 557.) contra ſterilitatem, dum propinetur mane ex vino meraco ac carnium iure in puluerem tenuem redactum ad drachmam vnam alternis diebus quater vel quinquies tribus ante cibum horis. Sponte apparet, quid de effato RENODAEI, mulieres facilius concipere, ſi poſt coitum Ammi halitum odorentur, ſentiendum. Nihilominus tamen SIMON PAVLLI (*Quadrip. p.* 214.), qui haec narrat, ſemen aliis pro clyſmate vterino in hunc ſcopum addidit.

Praeter dictum ſemen, aliud in medium profert *ill.* LINNÉ (*M. m. p.* 70.) ſcilicet AMMIOS VETERVM vt vocat, quod adſcribit *Lagoeciae Cuminoidi.* Alii diſtinguunt inter Ammi verum et vulgare, quod iam ſequitur.

A M M I.

LINN. *Syſt. veg. p.* 229. *Gen. pl. p.* 132.

114.

Pharm. AMMIOS VVLGARIS *Semen.*

Ammi maius; foliis inferioribus pinnatis lanceolatis ſerratis, ſuperioribus multifidis linearibus LINN. *Sp. pl. p.* 349. Ammi maius C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique* l'Ammi. Pl. annua cr. in Europae auſtralis aruis et vineis.

SEMEN ſtriatum, fuſcum, ſaporis aromatici, ſed debilioris, quam in praecedenti, et inodorum fere. Subſtituitur eidem plerumque in officinis.

BVBON.

LINN. *Syſt. veg. p. 235. Gen. pl. p. 131.*

115.

Pharm. PETROSELINI MACEDONICI *Semen.*

Bubon macedonicum; foliolis rhombeo-ouatis crenatis, vmbellis numeroſiſſimis LINN. *Sp. pl. p. 364.* Apium macedonicum C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique* Perſil de Macedoine Pl. biennis, Macedoniam aſſignat LINNEVS patriam et Mauritaniam. Creditur eſſe Πετροσελινον DIOSCORIDIS.

SEMEN eſt exiguum, brunum, oblongum et aliquantiſper hirſutum, ſaporis acris aromatici, Cuminum aemulantis, odoris fragrantis. Carere eo poſſumus proſtante Petroſelini vulgaris ſemine, quod ipſum adeo videtur efficacius. Vix vltra Theriacam et Mithridatium hodie vſu uenit.

116.

Pharm. GALBANI *Gummi.*

Bubon Galbanum; foliolis rhombeis dentatis ſtriatis glabris, vmbellis paucis LINN. *Sp. pl. p. 364.*

Conf.

Conf. EI. *Mant. pl. p. 355.* Ferula africana galbanifera, folio et facie liguſtici HERM. *parad. 163. Tab. 163.* Frutex africanus.

LINNEI auctoritate Galbanum officinarum ſtirpi dictae adſcribo, licet HERMANNVS de ſua dubitanter pronunciet, et alii quantum colligere licet, TOVRNEFORTIVS, COMMELYNVS (*Hort. Amſtel. T. 2. p. 115.*) aliis vmbellatarum ſpeciebus tribuant. Nihil vero impedit, quin et diuerſae ſtirpes ſimilem ſuccum erogent.

GALBANVM eſt gummi-reſina ſicca, tenax, dum recens, coloris albidi, vetuſtate autem flaueſcentis vel rufeſcentis, diſtincti maculis albidis, odoris fortis ingrati, ſaporis calidi et amaricantis. Ex Turcia transfertur. Forma fluida vel ſponte vel inciſione deſtillat ex nodis plantae triennis vel quadriennis, ſed mos eſt truncum transuerſim altitudine duorum vel trium digitorum ſuper radice ſecare, vnde ſuccus guttatim deſtillat (GEOFFROY *M. m. Traité T. 4. p. 215.*). Praefertur in granis (en larmes) allatum, quae ſaepe cauliculis vel ſeminibus plantae miſta conſpiciuntur. Ferri tamen quoque poteſt, quae in maſſis aduehitur (en pains), modo copioſae particulae albicantes, parum ſplendentes et ſpiritum vini aureo colore tingentes, inſint. Reiiciendum vero impurum coloris luridi, fuſci, ſpiſſitudinis cerae. Ferulae galbaniferae LOBEL. (*Icon. 729.*) ſucco vel aliis vilioribus vel variis ramen-

tis vegetabilibus corrumpitur, quod vero odore debiliori et ſplendoris colorisque variegati defectu cognoſcitur (GEOFFROY *l. c.* et *Pharm. Dan. p. 85.*). Mentio etiam fit Galbani liquidi ex Perſia, Terebinthinae ſpiſſitudine praediti, et fecibus multis nigris commixti, ſed ne Galbani quidem odorem prae ſe ferentis (SPIELM. *M. m. p. 560.*). — Aqua eo trita lacteſcit, ſed nec iſta nec vinum nec ſpiritus vini, nec acetum perfecte illud ſoluit, — nec mucilago ſeminum cydoniorum, mel adiumentum triturae et caloris requirit, perfecte autem illud ſubigunt mucilago Gummi arabici, ſyrupus Althaeae Fernel. et vitellus oui (BVCHHOLZ in *Nov. Act. ac. N. C. Tom. 5. p. 53. ſqq.*).

Viribus proxime ad Gummi ammoniacum accedit, ſed Galbanum calidius eſt magisque ſtimulat, prout odore illud etiam ſuperat. Differt quoque eo, quod aqua deſtillatum oleum eſſentiale ad $\frac{1}{21}$ partem circiter ponderis dimittat (NEVMANN, CARTHEVSER), vnde calida natura; quod vero Gummi ammoniaco deeſt (LEWIS *M. m. p. 288.*). In neruinis affectibus efficacius, vi reſolvente autem ammoniaco cedit. Malo hyſterico, vt gummi-reſinae reliquae foetentes, frequenti experientia ſubuenit. Flatus diſſipat et dolores inteſtinorum inde oriundos pacat. Et contra haec mala vſus externus in emplaſtris cum interno iungitur. In aſthmate et tuſſi inueterata pituitam efficaciter attenuat. Ad menſtrua quoque

reſe-

reſeranda haud infrequens. In vniuerſum autem cautionem iniungit pulſus nimis acceleratus et febrile molimen: languente pulſu melius fertur. Extrinſecus admotum emollit, reſoluit, digerit, ſuppurationem mouet; vt de vi antiſpaſmodica iam dicta taceam.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

GALBANVM PVRIFICATVM *Ph. Lond. p. 24.* Ob ſordes et aliena admiſta, depuratione opus eſt. Fit haec Galbanum immittendo in veſicam bubulam, quae tenetur in aqua bulliente, donec tam molle euaſerit, vt per pannum cannabinum prelo tranſigi poſſit. Ita omnino fere ſeruatur oleum eſſentiale, in quo inſignis virtutis pars reſidet. Sunt, qui tantum ſuadent, illud in puluerem redactum per cribrum traiicere (*Ph. Dan. p. 179.*).

GALBANETVM PARACELSI *Ph. Dan. p. 178.* Ex Galbano et oleo Terebinthinae, quibus digeſtis oleum coloris rubro coerulei abſtrahitur.

OLEVM GALBANI *Ph. W. p. 131.* Eſt empyreumaticum deſtillatione cum arena elicitum. Rectificatum in doloribus colicis, hyſtericis, ſpaſticis vmbilico illinitur.

EMPLASTRVM DE GALBANO CROCATVM MYNSICHTI *Ph. W. p. 65.* Inter alia plura Galbanum quoque recipit. Emollit, reſoluit doloresque mitigat.

EMPLASTRVM DIACHYLON CVM GVMMI *Ph. W. p. 63.* illud etiam continet. Eximium maturans.

EMPLASTRVM ANTIHYSTERICVM *Ph. Edinb. p. 104.*

CVMINVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 235. Gen. pl. p. 139.*

117.

Pharm. CYMINI *Semina.*

Cuminum Cyminum; LINN. *Sp. pl. p. 365.* Cuminum ſemine longiore C. B. An Κυμινον DIOSCORIDIS, Cuminum PLINII? Icon: RIVIN. *pentap. T. 40.* Pl. annua, in Aegypto et Aethiopia ſponte creſcit, colitur autem in Maltha et Sicilia, vnde ſemina transferuntur.

SEMEN oblongum, ſtriatum, virideſcens vel ſubbrunum eſt, Foeniculi ſemine paullum maius. Sapor huius calidus amaricans, odor aromaticus. Infuſione principium odorum in aquam tranſit, vix vero ſapidum. Deſtillatione acre oleum aſcendit, et odore cum ipſo ſemine conueniens.

Potentius eſt ſeminibus Foeniculi vel Carui. Flatus diſſipandi vi, ſtomachumque roborandi ingeſtum eminet, extrinſecus vero diſcutiendi fine in tumoribus et doloribus. Aſt inter tot alias ſimilis virtu-

tutis vmbellatas ſenſim obſoleuit. Pertinet *ad ſemina quatuor calida maiora.*

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM CVMINI DESTILLATVM *Ph. W. p. 128.* Raro interne ad pauculas guttulas. Inungitur et abdomini, ſed dilutum oleo amygdalarum ad diſcutiendos flatus et dolores colicos.

EMPLASTRVM DE CVMINO *Ph. W. p. 61.* Inter varia alia Cumini ſemina recipit, quo flatulentiam, debilitatem primarum viarum, malum hyſtericum leuet. Simile fere ſub eodem nomine in *Ph. Lond. p. 110.* Intrat quoque EMPL. ANODYNVM *Ph. Edinb. p. 103.*, item EMPL. ANTIHYSTERICVM *l. c. p. 104.*

PHELLANDRIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 236. Gen. pl. p. 140.*

118.

Pharm. FOENICVLI AQVATICI *Semina.*

Phellandrium aquaticum; foliorum ramificationibus diuaricatis LINN. *Sp. pl. p. 366.* Cicutaria paluſtris tenuifolia C. B. Icon: RIVIN. *pent. Tab. 65.* item in ERNSTINGII *Phellandrologia 1739.* quam figuram in minorem formam redegit LANGE *vom Waſſerfenchel 1771.* Pl. biennis, in foſſis et ad lacus frequens.

Su-

Suſpecta planta, vt vmbellatae aquaticae ſolent. Paraplegia tamen equorum in Suecia non ipſi, vt antea creditum (LINN. *Oländſka reſa p. 6. Wäſtgöta reſa p. 46.*), ſtirpi tribuenda, ſed curculioni (paraplectico L.) intra caulem ſaepe nidulanti, et, vt fautori huius ſententiae placet, proboſcide ſua ipſam medullam ſpinalem arrodenti (EIVSD. *Skånſka reſa p. 182. ſq.*) Male a cl. SAVVAGES (*Noſol. T. 2. P. 2. p. 83.*) ad Phellandrium refertur e WEPFERO hiſtoria noxii effectus in pluribus infantibus percepti, quam referre debuiſſet ad Cicutam aquaticam. Venenum deleterium alio loco vocat, et conuulſionibus gignendis par (*p. 31.*). Ex nimia vero ſeminum copia ingeſta grauitas capitis inſignis, temulentia, vertigo, enaſcitur (LANGE *rem. Brunſv. p. 235.*). Herba recens ſtramine pro lactis mixta efficax et certiſſimum fere contra cimices praedicatur (LANGE *l. c.* et *vom Waſſerfenckel p. 16.*)

SEMEN eſt oblongum, ſtriatum, luteo viride, magnitudinis ſeminis Anethi, leuiter aromaticum et conſtantius acre. Sapor comparatur cum iſto ſeminum Leuiſtici. Deſtillatione cum aqua erogat oleum aethereum pallide flauum, penetrans et nares feriens; ſpiritum vini imbuit colore flauo; libra vna ſeminum exhibet extracti aquoſi vnciam vnam, ſpirituoſi autem vnciam vnam cum drachmis ſex, quarum drachmae tres et grana quinque veram reſinam conſtituunt. Praeter dicta plura experimenta chemica praeſtitit cl. ERNSTING (*l. c. p. 22. ſqq.*) Vt

Vt equorum medicina iam dudum in Germania cognitum, vnde et Pferde-ſaat, Roſſfenckel dictum, et in libris artis veterinariae iam initio ſuperioris ſeculi contra profluuium atticum, tuſſim aliaque interna mala, vti et varias externas laeſiones celebratum. Serius ad hominum morbos curandos adhibitum. Quae enim de ſeminis Phellandrii efficacia in calculo et veſicae incommodis memorat PLINIVS (*Lib. 17. cap. 13. p. 1214. Ed.* DALECH.), dubium, an ad noſtram ſtirpem pertineant. Et in vi lotium et menſtrua pellendi, calculum frangendi et veſicae morbis medendi, quam DODONAEVS (*Pempt. p. 591.*) tribuit, et alii ex eiusdem auctoritate, plus ratiocinio quam experientiae videntur dediſſe. Paucis modo nec curate ſatis vſum in variis externis vitiis, in diſcutiendis tumoribus inflammatoriis et frigidis, in gangraena, in ſcirrhis et cancro, tangit BOERHAAVE vel editor libri (*Hiſt. pl. hort. L. B. Tom. 1. p. 94.*). In Belgio lego frequentiſſime aduerſus ſcorbutum ingeri, ita vt vix ſufficiat copia in paludoſa hac regione proſtans (LANGE *v. Waſſerfenchel p. 17.*). Praecipue autem in ducatu Brunſvicenſi plauſum tulit, in primis plebis, ita vt toto fere ſeculi praeſentis ſpatio indicibus pharmaceuticis ibidem obuiis receptum exſtiterit. Varia de vi medica memoriae prodidit ERNSTINGIVS (*l. c.*) non probe vero diſtinguens, quae probabilia modo ſint, quae vera et explorata. Caſibus vero prolatis rem cer-

certiorem reddidit cl. IO. HEINR. LANGE (*Braunſchw. Anz. 1761. N. 104. Brunſuic. domeſt.* et libro *v. Waſſerfenchel*). Sic igitur efficaciam eximiam praeſtitit (*v. Waſſerfenchel p. 19.*) in vulneribus recentibus (*Caſ. 1. 2. 3. 4.*), quin profundioribus, e. c. vulnere falce ſurae inflicto, in contuſionibus, in vlceribus varii generis, pertinacibus, ſcorbuticis (*Caſ. 5. 6. 7. 12. 14. 15.*) etiam cancroſis (*Caſ. 8. 9. 10.* Conf. BOERH. *Hiſt. l. c.*) ſpina ventoſa (*Caſ. 11.*), fiſtulis (*Caſ. 13.*), in haemoptyſi et phthiſi inde oriunda (*Caſ. 16.* ERNSTING *l. c. p. 37.*), in aſthmate (LANGE *l. c. p. 23.*). Multis extollitur et in febribus intermittentibus ab ERNSTINGIO (*l. c. p. 31.*), qui liquori ſuo antipyretico pro baſi dedit, accedente crebro plebis vſu (IDEM et LANGE *l. c. p. 24.*). In malo hyſterico et hypochondriaco flatus expellit ſurſum et deorſum efficaciter (*l.* proxime *cit. p. 25.*). Aegrius credas in fracturis oſſium et herniis valere, in quo poſteriori vitio tamen ſemen non omnino illaudatum dimiſerunt HEISTERVS (*Diſſ. de hernia incarcerata ſuppurata ſaepe non lethali Helmſt. 1738. p. 42.*) et LANGIVS (*l. c. p. 27.*). Nolo laudes virtutum in pluribus morbis accumulare, quibus plebs credula facile abripitur.

In recenſitis malis plerumque a plebe feminis contuſi cochlear vnum maius pani butyraceo non ſalito inſperſum ieiuno ventriculo ad ſanationem perfectam vsque ingeritur. In laeſionibus externis, praeter

ter vſum ſeminum internum, vulnus tantum mane purgatur, aqua leniter abluitur, et ſaliua ſana deligatur (*v. Waſſerf. p. 19.*). Cautior in doſi fuit LANGIVS, qui phthiſico pulueris ſeminum, quantum cultri cuſpide capi poſſet, mane et veſperi obtulit, et alio eiusdem morbi caſu ſcrupulos duos bis de die (*Domeſt. Brunſv. p. 230. ſq.*). Aliis aegris per 24 horas drachmae duae vel tres exhibitae. Placuit ſubinde miſcela ſeminum cum cortice peruuiano (*Caſ. varii*).

CICVTA.

LINN. *Syſt. veg. p. 236. Gen. pl. p. 141.*

119.

Pharm. CICVTAE AQVATICAE *Herba.*

Cicuta viroſa; vmbellis oppoſitifoliis, petiolis marginatis obtuſis LINN. *Sp. pl. p. 366. Cicuta aquatica* GESNERI, deſcripta ample in WEPFERI *Hiſt. Cicutae aquat. p. 4.* Sium aquaticum foliis rugoſis, trifidis dentatis MORIS. *vmbellif. p. 63.* Icon: *Fl. Dan. T. 208.* et GVNN. *Fl. Norv. P. 1. T. 2.* Pl. perennis ſtagnorum.

Hodie vix in medicina vſu venit, niſi radix externe applicata, et, vt quidam volunt, herba in emplaſtrum recepta. Hanc ſtirpem praecipue feriunt, quae Cicutae nomen infame reddiderunt ab auctoribus etiam antiquis conſignata. Haec potius, (vel compoſitum pharmacum) nec Conium, videtur eſſe, qua ciues inutiles ſupplicii inſtar enecarunt Graeci,

qua

qua ſine dolore necem ſibi ipſi adſciuerunt; et quae intrauit pharmacum Thraſyae Mantineenſis ex Cicuta et ſucco Papaueris, cui vim necandi absque dolore adſcripſit. Exiſtimatur quoque eſſe Κωνειον DIOSCORIDIS (*Mat. med. Lib. 4. c. 79.*), in verſione Cicuta redditum (TREW in *Comm. Noric. 1740. p. 388.*). Multiplicem Cicutae ſignificatum infuiſſe ſupra (Vid. Conium *p. 214. ſq.*) indicatum, ibidemque etiam de labe deſcriptionum querela mota, vt fere de certitudine heic deſperes.

RADIX vere et aeſtate globoſa fere, autumno autem et hieme elongata, annulata cellulis parallelis diſtincta, fibras copioſas craſſas emittens. Succum flauum fundit, qui praecipue in vtriculis ſubſtantiae corticalis colligitur. (GADD in *Vetenſk. Acad. Handl. 1774. p. 233.* Conf. et GVNN. *Fl. Norveg. T. 1. p. 27.*). Icone eandem pingi curauit EHRETI manu WATSON (in *Phil. Tranſ. N. 480. Tab. 5.* Cfr. BLACKWELL *Tab. 574. b. c.*). Iſtas qui ſecum reputat notas mirabitur confuſionem cum Paſtinaca, quae toties accuſatur. Hanc partem praeſertim reſpiciunt de veneno ſtirpis narrationes. Virus in vernali radice atrocius. Attamen et infima folia radicalia ſimilis criminis rea (GADD *l. c.*). Radix graueolens eſt calida et ſubacris. Vetuſtior ſtagnum, quo creſcit, inquinat liquido olei inſtar nitente et in ſuperficie natante (*l. c. p. 235.*). Deſtillatione cum aqua eruitur ſpiritus narcoticus volatilis ingratiſſimi odoris, per conclaue ſeſe diſpergentis, ca-

caput obnubilantis; reſidua in vaſe retorto pars odoris expers eſt, nec nocuit auiculae famelicae (*l. c.*). Apparet ex dictis, non vnice acrimonia ſua peccare, ſed parte quoque narcotica vaporoſa infeſtam eſſe.

De funeſto effectu in hominibus multae hiſtoriae exſtant. Pueri duo et puellae ſex radicem ex aqua per iumenta extractam loco Paſtinacae comederant, vnde plerique mortui, pauci poſt vomitum conualuere. Et hi quidem experti ſunt temulentiam, vertiginem, dolores ventriculi et ardorem vehementiſſimum, conuulſiones, quin ipſam epilepſiam, diſtorſiones oculorum, fluxum ſanguinis per aures, vomendi niſus in quibusdam inanes, tumorem abdominis, ſingultum, ſpaſmum maxillae (WEPFERVS *l. cit. p. 5. ſq. et p. 24.*). Alius homo vertiginem, delirium et ſuperſtitem diu ardorem ſummum ventriculi ſitimque intenſam, tumorem praeterea eryſipelaceum ad collum ſeſe propagantem eadem ſibi contraxit, euaſit tamen commodis auxiliis (*Eph. N. C. Cent. 10. Obſ. 58. p. 355.*). Notandi et caſus duo ſubitaneae poſt praegreſſam epilepſiam mortis (*Bresl. Samml. 1722. p. 286.*), itemque alius hiſce ſimilis (*l. c. p. 511.*). In Belgio ex eſu radicum tres pueri conuulſi perierunt, puella vna ſeruata emetico (SCHWENCKE *Verhandeling over de waare Gedaante Aart en Uytwerking der Cicuta aquatica Geſneri 1756.*). Mitius ceſſit res Curiae Variſcorum in ſex hominibus, vbi pariter confuſio radicis cum Paſtinaca impoſuit,

vtpote quum vomitus vel ſponte ſubortus, vel arte tempeſtiue excitatus non vltra breuem temulentiam, inſaniam vel ſtupiditatem, malum increſcere ſineret (*Commerc. Nor. 1740. p. 353. ſq.*). Quamuis vero ALBERTI (*Iurisprud. med. T. 3. p. 862.*) ex Cicuta, vt appellat, comeſta haud abſimiles dictis ſequelas recenſeat: caſus iſtos nollem huc vocari, quum noſtra ſpecies nunquam plantis hortenſibus, multo minus daucis, vt ibi narratio fert, ſeſe aſſociet. Aſt euulſas caſu radices incautos fallere potuiſſe non mirum. Plures hiſtorias continet SPIELM. *Diſſ. de veg. ven. Alſ. p. 23.*) Optimum praeſidium in vomitu tempeſtiuo eſſe conſtitit. Qui vero ex eſu perierunt, horum ventriculus et inteſtina inflammata, quin gangraenoſa vel eroſa, abdomen tumidum et vaſa cerebri infarcta deprehenſa (WEPFER, SCHWENCKE, *Bresl. Samml. 1722. p. 286. Eph. N. C. Dec. 2. A. 6. p. 321.*).

Verum et brutis, etſi non omnibus, deleteria. Perierunt tres boues praeſtantes deuoratis radicibus, ad littus vere ad vſtrinam Roslagiae in Suecia proiectis (LINN. *Wäſtgöta reſa p. 98.*). Quin probabile, ſtrages vniuerſaliores boum Torneae in Lapponia inde traxiſſe originem (LINN. *Fl. Lapp. p. 72.*). In Finnia duo boues ex aqua, ſucco ſupra deſcripto oleoſo inquinata, cecidere (GADD. *l. c. p. 234.*). In mali conſociationem infecta quoque venire ſtirpem depaſcentia ſuſpicatus eſt vir ingenioſus (*l. c.*), quin experimento euicit (*l. c. p. 237.*). Equos contra ferociam eius munitos

tos pronunciatur (GMELIN *Fl. Sibir. 1. p. 203.*) sed denegat illis hanc immunitatem GADD (*l. c. p. 241.*). Secundum LVCRETIVM capris illa competit, quod et de capris nec non de suibus recentius confirmatum; quarum istis radices in Noruegia pro pabulo, hisce pro medicina sunt (GVNNER *loc. cit.*). Cuniculus succi radicis plantae in hortum translatae, hinc effoetioris, vnciam dimidiam tulit absque noxa (SPROEGEL *Diss. Experim. circa venena p. 15.*). Canem vero male inde affici experimenta docent. Nam etsi non periit, vomuit tamen pluries et toto corpore contremuit quidam ex succi vncia vna ingesta (*l. c. p. 16.*). Alius canis iuuenculus famelicus exspirauit conuulsus radicis vncia vna intrusa (WEPF. *Cicut. aquat. p. 135.*). Molossum vero post eandem lacte deglutitam non nisi vomitus torserunt. (*l. c. p. 136.*). Pertinacior adhuc fuit canis vetuli natura, quippe ex vnciis quatuor radicis recentis vomendi modo conatum experti; ex libris autem duabus succi diluti, ptyalismum spumosum, cum vomitu vel inani vel vero, et anxietate, donec vi strangularetur (*l. c. p. 140.*). Lupum radicis vnciae duae intrusae tetano conuulsionibusque trucidarunt, (*l. c. p. 153.*). Grylli domestici in Finnia radice necantur (GADD. *l. c. p. 240.*).

Quae ill. A LINNÉ (*Mat. med. Ed. 1. p. 43. Ed. Schreb. p. 82.*) commoda in medicina ad Cicutam retulit, aliique e. c. VOGELIVS (*M. m.*) secundum eum, ad Conium iustius applicantur. Nec vlli auctor essem,

vt interno vſui dicaret. Externi autem praeſtantiae non vna ſuppetit narratio. Mos iam olim fuit, ſi in morbo *Varen* dicto, arthritidi vagae non abſimili, et in Weſtphalia endemio, abſceſſus formarentur, cataplaſma ex radice applicare, vel eandem ſub cineribus aſſatam et melle in cataplaſma redactam imponere. (WYER. in SMETII *miſcell. med. Lib. 4. p. 240.*) Sibiriae incolae radicem in pultem contuſam herpeti venereo imponunt, aut eadem pulte iſtum ſaepe fricant, quo hoc vitium auferant. Doloribus dorſi et iſchiadicis autem infeſtantibus loca affecta radice quaſſata perfricant, cauentes ſedulo, ne ſpinam dorſi tangant, vnde peius euaſurum malum eſſet (STELLER in GMEL. *Fl. Sib. T. 1. p. 202.*). Simili modo Kamſchadalenſes (*Hiſt. of Kamſchatha p. 220.*) in lumbagine prope focum partem doloroſam radice fricant. Huc et ſpectat Noruegorum applicatio externa contra arthriticos dolores (GVNNER *l. c.*). LINNEVS (*Fl. Suec. p. 92.*) iam dudum *Emplaſtrum de Cicuta* ex herba huius plantae, confici iuſſit; quod et conſilium probatum nouiſſime in Dania (*Pharm. Dan. p. 38.*). Radix ſiccando ſuo veneno exuitur. Hinc Finni ſiccatam radicem et ſale mixtam pecoribus morboſis absque damno ingerunt (*Vet. Acad. Handl. l. c. p. 240.*). Conferas ſupra dicta de ſuum morbis.

AETHV-

AETHVSA.

LINN. *Syſt. veg. p. 236. Gen. pl. p. 355.*

120.

Pharm. MEV vulgo, MEI ATHAMANTICI Ph. Lond. *Radix; Semina.*

Aethuſa Meum; foliis omnibus multipartito ſetaceis L. *Syſt. l. c.* Meum foliis anethi C. B. Μήον Graecorum. Icon: RIVIN. *pent. T. 63.* Pl. perennis creſcens in ſubalpinis Heluetiae, Italiae, Hiſpaniae, Auſtriae, et pratis montanis e. gr. in vicina nobis Hercynia in campis circa Andreae montem.

Rarius quam par eſt pro hominibus praeſcribitur, veterinariis medicis acceptior.

RADIX craſſa, ramoſa, fibroſa, in origine multiſeta, extus bruna, interne albida; acris aromaticique ſaporis, hinc calida. Menſtrua ciere, ſudorem mouere, etiam lotium, colicam flatulentam diſſipare obſeruatum. Nihilque repugnat, quin ſtomachicum, et in aſthmate pituitoſo incidens efficax reputes. Infuſum ſimplex tam radicum quam ſeminum in Anglia contra febres intermittentes placuit (BLAIR *pharmaco botan. Dec. 7. p. 318.*). Alpicolis cognita eadem efficacia (CHOMEL *vſuelles T. 1. p. 226.*). Plebi Brunſuicenſi vero malo hyſterico affectae ſollemne eſt, drachmam vnam cum vino aduſto ingerere vel maſticatam radicem deglutire (LANGE *med. Brunſv. dom.*

p. 77. sq.). Ex fibris radicis varie sibimet implexis et per mucum in formam oblongam farciminis compactis aegogropilae, fusco virides muco indurato incrustatae, in ventriculo rupicaprarum generantur. In rupibus, vbi deest Meum, non repertae sunt. Sapor odorque earundem cum radice conuenit, vt exinde virtutem emmenagogam deducas (KRAMERI *Elenchus veget. et animal. per Austr. infer. p. 320.*).

SEMEN oblongum, sulcatum, saporis similis et efficaciae.

CORIANDRVM.

Syst. veg. p. 237. Gen. pl. p. 142.

121.

Pharm. CORIANDRI *Semina.*

Coriandrum satiuum; fructibus globosis LINN. *Sp. pl. p. 367.* Coriandrum maius C. B. Κορίον vel Κοριαννον DIOSC. Κορυανον THEOPHR. Coriandrum PLIN. Icon: REGNAVLT *Botanique La Coriandre.* Pl. annua in australioris Europae, vt Italiae, Hispaniae, Galliae, agris crescens, adeo frequenter, vt subinde triticum suffocet.

Nomen impertiit foetor herbae illi cimicum haud absimilis; a κορις, cimex. Praetereuntium adeo caput loco natali tentare vehementiori pluuia ingruente recentior auctor, SEGVIER (*Pl. veron. p. 28.*), tradidit.

Non

Non omni igitur fide veteres carent, tanquam ſuſpectam ſtirpem notantes, prout, vt alios taceam, AVICENNA (*Lib. 4. Fen. 6. Tract. 2. c. 8. Fol. 494. b.*) herbae humidae vel ſucco copioſius ingeſto vertiginem, ſcotomiam, amentiam, raucitatem vocis, ſomnolentiam rel. adſcripſit, et feminibus largius ſumtis DIOSCORIDES (*Lib. 3. c. 71.*) ſimilem mentis turbationem. Viridis tamen herba Aegyptiis tantum arriſit, vt cuilibet fere ferculo folia admiſcuerint (ALPIN. *de pl. Aegypti p. 131.*). An forſitan coctione diſpulſum virus? In Hiſpania pariter comeſta et pro cordiali habita, fatuos vero inde fieri homines, ex manachorum fide refert C. HOFFMANN. (*Med. off. p. 241.*) Sed nobis modo cum feminibus res eſt.

SEMEN, praeterquam figura ſupra dicta, diſtinguitur ſtriis coloreque flauo griſeo. Viride pariter foetet, ſed ſiccum gratum fragransque aroma conſtituit. Aqua deſtillatum erogat olei eſſentialis, flaui odoris, tantillum. Nec dictae ſupra culpae reum arbitror, niſi iuſto auidius vel viride ingurgitatum, vt ſuperfluum cenſeatur MATTHIOLI conſilium, aceto prius triduo macerandi, quo veneno priuetur, et TRAGI, vel eodem modo praeparandi vel ſaccharo incruſtandi. Non ſpernendum ad flatus diſcutiendos, ſtomachum roborandum et diaphoreſin mouendam. Contra febrem quartanam TERZAGVS apud LANZONVM (*Oper. T. 1. p. 203. ſq. et T. 2. p. 381.*) commendauit infuſum ex ſemi-

num vncia dimidia et vini vnciis quinque ante paroxyſmum epotis, ductus forſitan numero ternario a PLINIO contra tertianas laudato. Apud nos rarius cibis condimento eſt.

CONFECTIO SEMINVM inter bellaria venditur.

SCANDIX.

LINN. *Syſt. veg. p. 237. Gen. pl. p. 142.*

122.

Pharm. CEREFOLII ſ. CHAEROPHYLLI *Herba.*

Scandix Cerefolium; ſeminibus nitidis ouato-ſubulatis, vmbellis ſeſſilibus lateralibus LINN. *Sp. pl. p. 368.* Chaerophyllum ſatiuum C.B. Icon: REGNAVLT *Botanique Le Cerfeuil.* Pl. annua agrorum Europae auſtralioris; in hortis copioſe coli ſolita.

Iuſculis et embemmatibus additur HERBA cibi vel condimenti potius inſtar, nam leui acrimonia non diſplicet. Odor praeterea ineſt illi, ſubdulcis foeniculaceus, qui videtur proficiſci ab oleo eſſentiali, quod parua quantitate cum aqua deſtillata aſcendit. Succi copiam vehit. Sal continet idque pungens, quod tamen, contra cl. GEOFFROY aliosque, a nitro differt; nam non deflagrat (LEWIS *M. m. p. 204.*). Vi reſoluente, detergente et diuretica in medicina inclaruit. Profuit in glandularum meſenterii infarctu (EHRHART *Pflanzenhiſt. T. 5. p. 218. ſq.*); in obſtructionibus viſcerum

rum ſuccus in iuſculo ex cancris opem tulit (HALLERI *Hiſt. pl. Helv. n. 747.*). Nec minus ſeſe probauit in aſthmate febribusque lentis; quin contra phthiſin ipſam celebrata in ſucco vel ſolo vel lacte caprino mixta vel iuſculis (LANGE *Brunſv. dom. p. 252.*). Aliis placet contra idem malum herba conciſa ſero lactis cocta et colata, mane ad libram vnam pota, vel et ſuccus in ſpiſſitudinem extracti coctus ad vnciam vnam per diem (DAREL. *Socken-apot. p. 68. p. 191.*); in Suecia haud infrequens remedium. Vlterius vero inquiratur, an tuſſiculoſis et haemoptoicis noxam afferat, vt ſtatuit GEOFFROY (*M. m. Traité T. 7. p. 17.*). Mammarum indurationes pluries herba copioſius in iuſculis vſurpata, et externe in cataplaſmate ex eadem herba et ſeminibus Lini applicato, diſſipauit. Ita et diſcuſſit furunculos, varices vaſorum ſpermaticorum, exanthemata ani et perinaei, vti et ſcrophulas, ſi ex haemorrhoidibus haec mala orta fuerint in eiusmodi iuſculis (PLENCK *Mat. chir. p. 300.*). Contra cutis vitia ſuccus expreſſus cum ſero lactis praeſtantiſſimus pronunciatur (*l. c.*); quorſum nominatim herpes manuum pertinet, in quo ſuccus immixtus epotusque eximie prodeſt, ſubiuncta poſtea humectatione manuum diluto ſaturnino (ANDRY *Orthopedie T. 1. p. 202.*). Memoranda et efficacia in hydrope, in quo per lotium lympham euacuauit, commendante RIVERIO (*Prax. med. L. 11. cap. 6. de hydrope*), qui ſuccum ad vncias binas cum vino albo per plures dies ingerendum ſuadet; cui

ſubſcribit GEOFFROY, qui ſpecificum reliquisque palmam praeripiens habet, ſi ſucci vnciae duodecim cum nitri depurati drachma dimidia et ſyrupi quinque radicum aperientium vnciis duabus commiſceantur, et haec miſcela in quatuor partes diuidatur, quarum ſingula quouis quadrihorio capiatur. Sed non alium effectum inde vidit LANGIVS, quam mite lotii profluuium (*Brunſv. dom. p. 254.*).

Extrinſecus eximium plane eſt, vt ipſe expertus ſum, in lacte puerperarum, lactationem poſt partum repudiantium, diſſipando, et nodis ex coagulis lactis ortis reſoluendis, praeprimis in connubio foliorum Alni recentium. Quo fine herba conciſa recens, ſuper orbe calefacta et in pultem fere redacta, nudis mammis applicetur bis vel pluries per diem. Potior et viſa ſub Conii connubio laudataque in nodis arthriticis (LANGE *l. c. p. 256.*). Dolores ex haemorrhoidibus linimentum ex ſucco et oleo oliuarum lenit, prout eidem fini vapores ex decoctione herbae cum lacte inſeruiunt, anum alluentes. Lotio retento cataplaſma ex herba opem fert (teſte SIMONE PAVLLI, TOVRNEFORTIO in CHOMEL *Vſuell. T. 2. p. 185.*).

Scandicis odoratae LINN. (Icon: REGNAVLT *Botanique*, Cerfeuil muſqué) *Herba* vi cum altera conuenit et expectorationem leuare fertur. Aſthmaticis inſtar Tabaci fumi hauſta ſubuenit (CHOMEL *l. c. p. 186.*)

CHAE-

CHAEROPHYLLVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 238. Gen. pl. p. 143.*

123.

Pharm. CICVTARIAE *Herba.*

Chaerophyllum ſylueſtre; caule laeui ſtriato, geniculis tumidiuſculis *Syſt. l. c.* Myrrhis ſylueſtris, feminibus laeuibus C. B. Icon: Cerefolium ſylu. RIVIN. *Tab. 44.* Pl. perennis in pratis et cultis crebra, vbi mixtum cum Caro Carui creſcit.

Ab hoc inuolucro partiali, pinnis triplicatis et latioribus ad baſin non ſeſe decuſſantibus, tum demum feminibus ſubulatis facile diſtinguitur. Abeſſe poſſet ſine iactura e medicaminum cenſu. Herba parumper foetet; et quum inſuper foliis cum Cicuta terreſtri ſ. Conio maculato conueniat: hinc forſitan maligna iudicatur. Sed deſunt experimenta certa. In Suecia floribus lanam viridi vel luteo colore tingunt (LINN. *Fl. Suec. p. 94.*).

SESELI.

LINN. *Syſt. veg. p. 239. Gen. pl. p. 143.*

124.

Pharm. SESELEOS MASSILIENSIS *Semina.*

Seſeli tortuoſum; caule alto rigido foliolis linearibus faſciculatis LINN. *Sp. pl. p. 373.* Seſeli Maſſilienſe,

ſe, foeniculi folio C. B. Foeniculum tortuoſum I. B. Pl. perennis Europae auſtralis nominatim inferioris Galliae.

SEMEN in Pharmacopoea Edinburgenſi, item Germanicis, occurrit. Oblongum, ſtriatum, coloris virideſcentis, ſaporis calidi acris, et odoris aromatici. Sub copia virtute ſimilium praeſens praxis obliuioni dedit. Aromaticae indolis eſſe, ſufficit hic indicaſſe. Specificum antidotum Cicutae eſſe, quis SCHRÖDERO (*Theſ. pharm. p. 690.*) credet?

PASTINACA.

LINN. *Syſt. veg. p. 240. Gen. pl. p. 144.*

125.

Pharm. PASTINACAE *Radix; Semina.*

Paſtinaca ſatiua; foliolis ſimpliciter pinnatis LINN. *Sp. pl. p. 326.* Paſtinaca ſatiua latifolia C. B. Icon: RIVIN. *pent. Tab. 6.* Pl. biennis, in locis ruderatis et paſcuis ſpontanea, ſed colitur copioſe in vſum culinarem.

Sic RADIX, quae in fera ſtirpe gracilis et lignoſa eſt, ſuccoſa euadit, fuſiformis, craſſa, edulis, dulcis. Ope ſpiritus vini tantillum ſacchari largitur (MARCGRAF *chym. Verſ. T. 2. p. 85.*). Cibo potius, quam medicamini eſt, coqui ſolita in iure vel pro peculiari ferculo. Nutrit probe, modo non diſpliceat dul-

dulcedine nimia. Male vero audit vetuſta vel annoſa, h. e. quae poſt anni ſpatium hieme euellitur (TREW in *Comm. Nor. 1740. p. 390. not. q.*). Haec delirium et inſaniam creare in Anglia exiſtimatur, adeo vt nomine *badneps*, h. e. Paſtinacarum inſanarum, nuncupent (RAII *Hiſt. pl. T. 1. p. 410.*). Id quod recenſiti hinc inde caſus magis confirmant. In vno vertigo, deliria turbulenta, ardor ingens ventriculi et oris, vti et oculorum labiorumque intumeſcentia inde orta memorantur (CONSTANTIVS DE REBECQVE *med. Helvet. prodr. Obſ. ſubnexa 51. p. 73.*). Similibus malis ſub niſu in vomitum et aeſtu corporis inſigni correptae duae familiae, quae vtraque ab vna eademque muliere radices emerat (ALBRECHT in *Eph. N. C. Dec. 3. A. 2. p. 321.*). Nec poenitebit legiſſe caſus a CAMERARIO (in *A. N. C. Vol. 1. p. 247. ſq.*) conſignatos eiusdem argumenti. Singulare inſuper, pecora hanc plantam intactam relinquere. — Attamen culpae expers radix lacte cocta phthiſicis et macilentis prodeſt (BOERH. *Hiſt. pl. hort. L. B. p. 108.*). Decoctum fugaſſe febrem intermittentem narratur (GEOFFROY *Mat. med. Supplement T. 1. p. 341.*). Experimento extra corpus facto calculum tam ſuccus expreſſus, quam decoctum ſoluit, vnde calculis tanquam ſalutare alimentum commendatur (LOBB'S *treatiſe on diſſolvents of the ſtone p. 120.*).

Se-

SEMEN compreſſum eſt, ellipticum, ſtriatum, marginatum, leuiter aromaticum et odorum. Aroma in ſylueſtri manifeſtius. Hoc quoque febrifugi laude olim claruit, depraedicante impenſius GARNIER (GEOFFROY *l. c. p. 340.*); etiam ad Suecorum experimenta (LINN. *Fl. Suec. p. 95.*). Contra calculum valuit, quo fine connubium cum radice Glycyrrhizae placuit (BOERH. *l. c.*). Nec reticendum BOERHAAVIVM frequenter eodem cum extracto Glycyrrh. in pilulis contra vlcera veſicae et calculum et dolores viarum lotii vſum eſſe. (HALL. *Hiſt. ſt. helv. n. 808.*)

126.

Pharm. GVMMI OPOPANAX.

Paſtinaca Opopanax; foliis pinnatis, foliolis baſi antica exciſis LINN. *Syſt. veg. p. 240. Mant. p. 357.* Panax Heracleum MORIS. *Hiſt. pl. T. 3. p. 315. S. 9. Tab. 17. f. 1.* BOCCONE *Iourn. d. ſçav. 1676. Tab. ad p. 28.* Pl. in Gallo-Prouincia, Italia et Sicilia creſcens.

Gummi ſic dictum, etſi ex Syria (FORSKÂHL *deſcr. animal. p. 157.*) transfertur, non dubito cum LINNEO (*Mat. med. p. 84.*) ſtirpi praefixae tribuere. De ſuo Panace peregrino tradit DODONAEVS (*Pempt. p. 309.*), vulneratione caulis praeſertim circa radicem fundere aeſtate ſuccum, ſponte concreſcentem, Opopanaci colore ſimilem; et de Panace Siculo ſemine

ne hirſuto, BOCCONE (*Iourn. des Sçavans l. c.*) e caule inciſo in Sicilia ſtillare gummi, quod genuinum antiquorum Opopanax cenſendum. Idque quoque accidit in plantis alibi in Europa calidiori creſcentibus, quarum ſuccus concretus ſimillimus.

Eſt gummi-reſina extrinſecus bruna vel rubicunda, interne pallidior et nonnihil variegata; odoris fragrantis ingrati, ſaporis calidi amaricantis, Leuiſticum aemulantis. In fruſtis difformibus aduehitur, raro guttarum vel lacrymarum forma. Aqua trita lacteam illam reddit, ex qua ſtatione deſidit reſina. Aqua inde deſtillata odorem eius recipit. Melle ſolui ſeſe non patitur; ſubigitur autem oxymelle, ſyrupo Althaeae Ferneliano, cereuiſia per exhalationem concentrata, mucilagine gummi arabici (BVCHHOLZ in *Nov. Act. nat. Cur. T. 5. p. 61. ſq.*).

Reſoluit aperitque, vt aliae ſubſtantiae gummi-reſinoſae, vnde in aſthmate, tuſſi, menſtruorum obſtructione, item contra ſtrumas ſcirrhos et nodos vſurpata a drachma dimidia ad integram ſupraque Maiori doſi aluum laxat. Raro vero hiſce ſcopis praecipitur. In emplaſtro ad omne genus plagarum efficaciſſimum pronunciat Panormitanum gummi BOCCONE (*l. c.*). Adhibita etiam Opopanax ſic ad obſtructiones multiplicis generis reſerandas.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TROCHISCI MYRRHAE *Ph. W. p. 236.* VNGVENTVM APOSTOLORVM *l. c. p. 240.* aliaque Opopanacem recipiunt.

ANETHVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 240. Gen. pl. p. 145.*

127.

Pharm. ANETHI *Semina; Herba; Flores.*

Anethum graueolens; fructibus compreſſis. LINN. *Sp. pl. p. 377.* Anethum hortenſe C. B. Icon; REGNAVLT *Botan.* l'Anet. Pl. annua, in agris Luſitaniae et Hiſpaniae item Conſtantinopoli (FORSKÅL *Fl. Aegypt. arab. p.* XXIII.) ſpontanea. Seritur autem copioſe in hortis culinaribus.

Etenim herba et vmbellae et ſemina condiendae carni, crambi, cucumeribus aliisque cibis inſeruiunt, quos aromatico ſapore inficit.

SEMINI ſubrotundo bruno potior in medicina vis; illudque fragantis odoris eſt non admodum grati, ſaporis aromatici, calidi. Sed iam in vniuerſum in medicina rarioris vſus. Vt alia ſimilis naturae in flatibus colicaque inde oriunda et vomitu ſopiendo laudatum; praecipue autem in ſingultu, commendatione etiam FORESTI (*Op. omn. Lib. 6. Obſ. 29. et Lib. 18. Obſ. 12.*), qui ſeminibus in cereuiſia infuſis vel decoctis

coctis iuncta herbae externa applicatione vsus est. Conciliare somnum ex vetusta DIOSCORIDIS, GALENIque laude sine dubio ad nos promanauit. Verior est efficacia in lactis augmento, quam variis vmbellatarum seminibus inesse experientia docuit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA ANETHI DESTILLATA. Ex seminibus. Efficax.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. W. p. 128.* Vna cum aqua ascendit, moderate vrens. Exhibetur contra flatus et singultum. Singultum contumacem ex frigida causa hausto ex Olei huius guttis quatuor et olei amygd. dulc. vncia dimidia compescuit OTHO HEVRNIVS (RAII *Hist. pl. T. I. p. 415.*).

OLEVM COCTVM *Ph. W. p. 122.* GALENO iam probatum pro somno ciendo et digerendi scopo. Abdomini illitum contra flatus et tormina valet. Est et in clysmate carminatiuum.

128.

Pharm. FOENICVLI *Semen; Herba; Radix.*

Anethum Foeniculum; fructibus ouatis LINN. *Sp. pl. p. 377.* *α*, Foeniculum dulce C. B. *β*. Foeniculum vulgare germanicum. C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique*, le Fenouil commun. Pl. biennis, crescit in rupibus cretaceis Galliae inferioris, Angliae, Germaniae australis et Maderae.

Sub praefixo nomine varias complectitur ill. A LINNÉ ſtirpes varietatum titulo, quas cl. MILLER (*Gardeners Dictionary* art. *Foeniculum*) in ſpecies ſingulares diſpeſcuit. Nempe Var. *β vulgare germanicum* negat cultura tranſire in *dulcem*, et illam, cuius caulibus ſub nomine *Finochio* Itali inſtar acetarii delectantur, adſcribit ſpeciei *Azorico* a ſe dictae, caule humili quatuor vel quinque pollices craſſo diſtinctae. Verum manebo in varietatibus initio dictis. Tota ſtirps grate odora, nec minus dulcedine aromatica placens. Hinc omni parte efficax. Μάραθρον Graecorum et Foeniculum Latinorum creditur eſſe; et ab hiſce valde aeſtimatum fuit.

SEMEN *vulgaris Germ.* exilius eſt, quam dulcis, brunum magisque aromaticum. Condimentum panis et aliarum eſcarum. Medicis et prae reliquis partibus acceptum. Sed frequentius praeſcribitur illud ex *dulci* C. B. quod et in Pharmacopoea Lond. et Edinb. adhuc locum obtinet. Scatet oleo eſſentiali, nec minus oleo vnguinoſo, ad expreſſorum naturam accedente. Semen carminatiuum et pectorale eſt auertitque flatulentiam et tormina ex purgantibus. Diſcutiens quoque eſt ſub vſu externo, praecipue in ophthalmiis, in quibus ſolet ſaccis reſoluentibus excipi. Hoc pariter ac

HERBA radix iam antiquitus lacti augendo paria habita. Decoctum herbae et radicis potandum hoc

hoc ſcopo ſuaſit HIPPOCRATES; (*de morb. mul. Lib. 1. Sect. 5. p. 608. Foeſ.*), eſum vero herbae vel ſemen epotum aut cum ptiſana decoctum DIOSCORIDES (*Mat. med. Lib. 3. cap. 81. p. 205. Sarac.*). Horum veſtigiis inſiſtens cl. BERGIVS (*Nov. act. Vpſ. Vol. 1. p. 104.*) optimo ſucceſſu decoctum, ex Foeniculi dulcis radice item herba eiusdem et ſemine vna cum herba Anethi et Cerefolii, lacte ſubito orbis exhibuit. Compendioſe magis antea commendauerat ill. A ROSENSTEIN (*Barnſjukdomar p. 12.*) ſemen Foeniculi lacte vaccino aqua diluto decoctum. Lacte decocta folia etiam ad leniendas inflammationes mammarum faciunt (HALL. *Hiſt. n. 760.*).

RADIX caret fragrantia reliquarum partium, ſed ſapor communis. Spiritus vini plus quam aqua ex illa extrahit, etſi infuſi aquoſi ſapor longe fortior; nam exhalatione plurimum dulcedinis et aromatis perit (LEWIS *M. m. p. 277.*). Efficaciter aperit. Diuretica emmenagoga cenſetur et exanthematibus pellendis apta.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

AQVA FOENICVLI SINE VINO *Pharm. omn.* Germanicae, Danica et Londinenſis parant ex ſemine; et haec quidem fragrantior, nam ſemen plus olei aetherei continet, et efficacior. Gratum carminatiuum et opportunum infantibus pro vehiculo aliorum medicaminum.

OLEVM DESTILLATVM *Ph. omn.* Ex seminibus. Vna cum aqua sub destillatione surgit, flauum, blandum et subdulce, odoris seminum. Frigore coit in spissitudinem butyraceam. Ad elaeosacchara contra flatus et tormina.

SEMINA FOENICVLI CONDITA ex pistoribus dulciariis petuntur.

CARVM.

LINN. *Syst. veg. p. 240. Gen. pl. p. 145.*

129.

Carum Carui; LINN. *Sp. pl. p. 378.* Carum pratense, Carum officinarum C. B. Καρος DIOSC. Καρεον AETII, Careum PLINII. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Carui. Pl. biennis in pratis Europae frequens, in Anglia rara.

Ad confusionem specierum vitandam faciunt dicta (*p. 283.*) de Chaerophyllo sylvestri. Artem colendi Caruum, quae exercetur multis in locis, docuit cel. GLEDITSCH (*vermischte Abhandl. T. 2. p. 376. sq.*). Culta planta maiora semina profert magisque oleosa et gratiora, spontanea autem acriora (*l. c. 382.*), pretio tamen vix inferior. In oeconomia semina vulgare condimentum panis et aliorum ciborum sunt; et spirituosorum potatoribus placet spiritus, eorum aromate destillatione, impraegnatus. Radices teneriores in-

inter acetaria recipiuntur. Rarius hae faccharo melle et mufto condiuntur; nec vinum Carui, in Germania olim hinc inde vfitatum, Carites, hodie valde notum. I. G. WEINMANNO (*de Chara Caefaris*) videtur effe Chara Caefaris, ex cuius radicibus cum lacte milites VALERII panem coxerunt. Folia tenera iufcula ingrediuntur. Officinae vnice feruant

SEMEN ouato oblongum, ftriatum, incuruum, obfcure brunum. Sapor eiusdem moderate calidus eft, fubamarus, odor grate aromaticus. Infufum aquofum odorum magis fpirituofo, fed fapore imbecillius et coloris pallide rubri. Deftillatione cum aqua aroma afcendit, extracto remanente fere infipido; vnde patet amaras partes effe valde parcas. Vehit multum olei aetherei, quod fimul elicitur idque tanta copia, vt vnciae triginta feminum eiusdem circiter vnciam vnam erogent (LEWIS *M. m. p. 187.*), vel ex alio experimento libra vna drachmas duas (SPIELM. *Chem. p. 214.*). Commiftum cum partibus animalibus femen facile fermentefcit (MACBRIDE'S *experim. Effays p. 45.*). Corminatiui merito, ftomachici et refoluentis, remedii nomen fert. Ad flatuum moleftias auferendas hypochondriaci et hyftericae eiusdem tantillum vtiliter maflicant. Sic contra colicam flatulentam varie tam interne, quam externe in pulte cum mica panis et vino rhenano, adhibetur. In tertiana non fpernenda (LINN. *Fl. Suec. p. 95.*). Lac quoque

auget nutricum (DAREL. *Socken-apoth. p. 68.*). Infuſum cum melle mucum pulmonum reſoluit (BLAIR *Pharm. Dec. 5. p. 195.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SEMINA QVATVOR CALIDA MAIORA recipiunt illud.

AQVA SEMINVM CARVI *Ph. Wiirt. p. 7.* Deſtillatione cum aqua. Aromatica, carminatiua. In *Ph. Lond. p. 56.* fit cum ſpiritu vini tenuiori.

OLEVM ESSENTIALE SEMINVM *Ph. W.* Coloris lutei, inſigniter calidum et acre. Contra flatus efficax interne, vti et externe abdomini illitum.

PIMPINELLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 241. Gen. pl. p. 145.*

130.

Pharm. PIMPINELLAE ALBAE ſ. NOSTRATIS *Radix; Semen; Herba.*

Pimpinella Saxifraga; foliis pinnatis foliolis radicalibus ſubrotundis, ſummis linearibus LINN. *Syſt. l. c.* Pimpinella Saxifraga minor C. B. Pimpinella rotundifolia SCOPOL. *carn. Ed. 2. p. 208.* Icon: RIVIN. *pentap. T. 83.* Pl. perennis in collibus aridis copioſa.

Conuenit haec ſpecies cum *Pimpinella magna* L. (de qua poſtea) viribus, annuente quoque collegio

gio medicorum Lond. (*p. 15.*), quibus potiſſimum RADIX pollet. Haec digiti craſſitiem attingit, elongata, alba. Inſigniter acris eſt, vrens linguam, etſi non diu, recens halitum volatilem ſpargit. Mora acre ſenſim debilitatur. Oleum deſtillatum vehit. Soluit pituitoſos humores; hinc pituita pulmones vel ventriculum grauante, vt in raucedine, tuſſi catarrhali, aſthmate, appetitu proſtrato, efficax; hinc et in angina aquoſa et pituitoſa cum aliis in gargariſmis decoquitur. Ad menſes et lochia mouenda olim celebris (HOFFM. *med. offic. p. 533.*). Maſticata ea, ſaliua copioſe affluit, et in paralyſi linguae ſtimulat. Sic in collutione conducit in otalgia ſine inflammatione. Vt ſimilia aromata ſudorem pellit. An reliquias Mercurii extergat, vt SCHROEDERVS (*Theſ. pharm. p. 651.*) BORRICHIVS et Stahliani voluerunt, a quibus in vniuerſum in magno honore habita, nondum euictum experimentis ſatis eſt. Verum eiusdem menſtruum ſpiritus vini eſt, nam exiguam modo partem ſibi aqua vindicat. Oleum, quod vna cum aqua aſcendit eſſentiale, flauum eſt acerrimum. Doſis radicis eſt ad ſcrupulum in puluere vel ad drachmas duas in infuſo ſemiuinoſo.

SEMEN debilius eſt radice, ſed efficacius HERBA; quae vero vix in vſu ſunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ESSENTIA PIMPINELLAE ALBAE *Ph. W. p. 84.* Spiritu vini paratur. Calida valde, ſudorem pellit, colicam flatulentam ſufflaminat. In angina catarrhoſa eximia, dum ad guttus triginta vel quadraginta vel ſola vel temperata ſyrupo quodam grato capitur, vel gargariſmis diſcutientibus admiſcetur ad drachmas duas pro infuſi vel decocti vnciis octo.

EXTRACTVM PIMPINELLAE *Ph. W. p. 89.* Maceratione radicis in ſpiritu vini tum in aqua, ſubſequa inſpiſſatione. Carminatiuum, ſed rariſſimi vſus.

PVLVIS STOMACHICVS BIRCKMANNI *Ph. W. p. 159.* eam continet.

131.

Pharm. PIMPINELLAE ALBAE (V. *n. 130.*) NIGRAE *Radix.*

Pimpinella magna; foliolis omnibus lobatis, impari trilobo LINN. *Syſt. veg. p. 241.* Pimpinella ſaxifraga maior, vmbella candida C. B. Pimpinella foliis pinnatis, foliolis lanceolatis ſerratis acutis GERARD *Fl. Galloprov. 255.* Pl. perennis, in ſyluis et pratis creſcens.

Recentius hanc LINNEVS a priori in ſpeciem ſingularem disiunxit. Virtuti illi non cedere iam ſignificaui, vt nihil addere attineat.

Sed

Sed seorsim dicendum de varietate huius, cui nomen *nigrae* pharmacopolis.

Daucus cyanopus CORDI *Hist. L. 2. c. 122. p. 155.* Tragoselinum maius vmbella candida radice succum coeruleum fundente, IOHREN item DE BERGEN *Flor. Francof. p. 180.* Cr. in subulosis Germaniae hinc inde, e. c. circa Francofurtum ad Viadrum, Fürstenwaldae, Freyenwaldae et alibi in Borussia, item circa Zwickauiam in Saxonia.

RADIX, recens obscure fusca, exsiccatione nigra euadit. Ditior est succo, quae effoditur vere, quam autumno (HARNISCH *meditationes de Pimp. nigra p. 16. Lipf. 1758. 8.*). Haec destillatione erogat aquam saphirinum et oleum coeruleum. Colorem quoque impertit suum destillatione spiritui vini, quod ELSHOLZ (*destill. curios. c. 13. p. 50.*) iam notauit, simulque saporem aromaticum, quo vtroque sine adhibita frequentissime Francofurti (HARNISCH *l. c. p. 9.*) et etiamnunc Petropoli (GORTER *Flor. Ingr. p. 46.*). Vires medicas in primis celebrauit HARNISCH medicus Geranus, casum hydropis essentia curati (in *Select. Francof. T. 2. p. 308.*) recensens, aliumque (*T. 4. p. 362. sq.*) erysipelatis exulcerati, praeter praeconia alia multa; et serius idem in peculiari tractatu (*Meditat. cit.*), vbi sedecim historiae, in achoribus et tinea, erysipelate exulcerato, arthritide vaga, malo ischiadico, malo hysterico exacerbato cum abscessu in inguine, catar-

rho ſuffocatiuo, hydrope anaſarca, teſticulo venereo, calculo, in febre catarrhali rel. efficaciam demonſtratam cupit. Et in hiſce quidem plerumque eſſentia vel et puluere ſiue infuſo radicis vti et nonnunquam foliorum vſus fuit; ſed, quod fatendum, vix absque aliorum praeſtantium miſcela. Hinc in morbis tantopere diuerſis laudes, hinc ſine dubio et vlterioris tentaminis ab aliis neglectus. Vix arbitror pluribus ſufficere, quam albam illam vulgarem.

132.

Pharm. ANISI VVLGARIS *Semina.*

Pimpinella Aniſum; foliis radicalibus trifidis inciſis LINN. *Sp. pl. p. 379.* Aniſum herbariis C. B. Icon; REGNAVLT *Botan.* l'Anis. Pl. annua, cr. in Aegypto in Syria aliisque orientalibus regionibus. Sed colitur in Gallia, Hiſpania, Melita, quin et Saxonia ſuperiori et Thuringia copioſe.

SEMINI additur epitheton, vt diſcernatur ab Aniſo ſtellato, quod ſaporem et odorem aemulum habet, ſed vim potiorem. Praefertur ex Hiſpania proueniens, quod Alonienſis nomen habet; hocque minus eſt, ſed aromatis plus continet. Eſt granum oblongum baſi ventricoſum, ſtriatum, viridi-fuſcum, ex duobus ſeminibus plana facie nexis conflatum. Dulce et aromaticum, ſed minus calidum, quam multa alia aromata, odoris fragrantis grati. Oleum aethereum in-

includit, cuius vncia vna vel plus ex libris tribus feminis deſtillatione elicitur (LEWIS), et id quidem in cortice feminis latere videtur; praeterea autem expreſſum, quod craſſius eſt et odoris ſaporisque expers, altero copioſius, in medullari parte reſidens. Omnem efficaciam ſpiritus vini abripit. Condimentum haud infrequens panis et bellariorum. Medicis placet, quod incidat et ſtimulet. Nam flatus extricat, ſtomachum pituita grauatum vel motu languentem ſtimulat, et in pituitoſis pulmonum affectionibus ſubuenit. Vt ſimilia torminibus a purgantibus praecauet. Meconium recens natorum expellere ad ſcrupulum vnum datum cum pulte ſaccharata notat HEVRNIVS (*Prax. med. p. 338.*). Per inferiora et ſuperiora blanda in hiſce ſaburram euerrere, SCHRÖDERVS (*Theſ. p. 526.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SEMINA QVATVOR CALIDA MAIORA. Horum e numero Aniſum eſt.

AQVA ANISI *Ph. W. p. 7.* Deſtillatione feminum aqua odoras partes imbibit. Aromatica, grata.

AQVA SEMINVM ANISI COMPOSITA. *Ph. Lond. p. 55.* Additis Angelicae ſeminibus deſtillatio fit ſpiritu vini tenuiori.

SPIRITVS *Ph. W. p. 188.* Maceratione feminum cum ſpiritu vini praegreſſa, paratur. Carminatiuus, et in affectionibus pectoris frigidis valet.

OLEVM

OLEVM DESTILLATVM. Vbiuis obuium; flauum odoris, qui feminum Anisi, blandius, quam solent reliqua aromatum olea. Leui frigore in substantiam butyraceam coit, pellucidam. Penetrans adeo, vt lac, post captum oleum, emulctum, Anisum spiret. (GEOFFROY.) Saccharo ad aliquot guttas exceptum contra flatus colicamque inde ortam conducit. Abdomini quoque in hisce malis illinitur.

OLEVM EXPRESSVM coloris virideſcentis est. Hoc partem aetherei abripit. Insuetum.

CONFECTIO SEMINVM ex officina pistorum dulciariorum petenda. Gratum carminatiuum.

SPIRITVS SALIS AMMONIACI ANISATVS *Ph. W. p. 195.* Destillatione salis ammoniaci, cinerum clauellatorum et feminum Anisi cum spiritu vini. Volatilis naturae; in subigenda pituita pulmonum et flatibus dispellendis a guttis decem ad triginta vel quadraginta valet.

BALSAMVS SVLPHVRIS ANISATVS *Ph. W. p. 31.* Ex floribus sulphuris et Oleo Anisi destillato digestis. Aduersus dictum pulmonum malum dosi guttarum quinque ad duodecim.

APIVM.

APIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 241. Gen. pl. p. 146.*

133.

Pharm. PETROSELINI *Semina; Herba; Radix.*

Apium Petroſelinum; foliis caulinis linearibus, inuoluccellis minutis LINN. *Sp. pl. p. 379.* Apium hortenſe ſ. Petroſelinum vulgo C. B. Icon: BLACKWELL *Tab. 172.* Pl. biennis. Creſcit ad ſcaturigines Sardiniae, teſte COLVMNA. Sed colitur in omni culinari horto.

Duplex varietas, quarum vnius folia inſtar condimenti, alterius radix pro cibo in iuſculis et obſoniis (LINN. *Amoen. T. 7. p. 24.*).

SEMEN oblongum, plano conuexum, ſtriatum, profunde viride. Magis aromaticum et amarum eſt, quam alia plantae pars. Continet oleum eſſentiale, quod plurimam partem fundum aquae petit. Efficaciſſimas partes ſpiritus vini extrahit. Reſoluere, flatus diſſipare et lotium pellere conſenſu medentium conſtat. Externe applicatum pediculos necat; notante iam CONR. MICH. VALENTINI (*Act. N. C. Vol. 1. p. 285.*) ex plebis experientia, ſed modum reticente. Vnguentum vero, ex feminibus et butyro non ſalito ROSENSTEINIVS (*Barnſjukd. Ed. 3. p. 533.*), capiti illinendum, hoc fine commendat.

HERBA

HERBA. Suppar viribus semini, oleum aethereum pariter largitur. Odor ingratus. Sunt, qui epilepsiam hac stirpe excitari, saltim insultus exasperari statuunt; qua de re iam dudum lites motae. Epilepticum citat HANNEMANNVS, (*Eph. N. C. Dec. 3. A. 3. p. 78.*) qui, post Petroselinum in iusculis vel aliis ferculis comestum, semper grauiori paroxysmo correptus fuit. Et, vt recentiorem obseruationem producam, feminae mentio fit, epota aqua, in qua pisces cum herba et radicibus cocti erant, epilepticae, sed narcoticis praecipue et foliis Aurantiorum sanatae (MARIOTTE *in Iourn. de Medec. T. 23. p. 545.* vbi similes effectus ex aliis auctoribus allegati). Oculis nocere alii arguunt. Auctum inde eorum vitium iam natum dolore et inflammatione BOYLE (*Works T. 1. p. 503.*). Sic et ALSTONVS (*Lectures on Mat. med. Vol. 1. p. 381.*) ex comesto copiosius Petroselino crudo plenitudinem vasorum capitis et leuem inflammationem oculorum et faciei obseruauit. Conquassata herba et mammis imposita lac discutit (GEOFFROY *M. m. supplem. T. 1. p. 382.* CHOMEL *T. 1. p. 279.*). Concisa et aegri lotio leuiter cocta et applicata tumores glandularum, praecipue scirrhos recentes mammarum breui dispellit, etiam quando Cicuta et Mercurius frustra tentata (LANGE *misc. verit med. p. 26.*). In puncturis insectorum herba contusa ex praecipuis remediis externis est (TISSOT *Avis, Lyon, p. 359.*). Sub experimentis extra cor-

corpus humanum calculus vrinarius decocto foliorum immissus friabilis euasit, magisque inde quam ex infuso (LOBB *on Dissolvents of the Stone p. 125.*). Succus non in quolibet calculorum genere suffecit (*l. c p. 64.*).

RADIX elongata, digitum crassa, alba. Acrimoniam leuem cum dulcedine iunctam habet. Siccatione omni fere vi orbatur. Aperiens censetur, praesertim efficax in lotio mouendo et calculo. Hinc FR. HOFFMANNVS et in lithontripticum suum (COHEN *Diss. de calculo p. 31.*) recepit. Additur decoctis aperientibus, vel in ferculis crebrius scopo medico comeditur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

RADICES QVINQVE APERIENTES MAIORES.

SYRVPVS ex iisdem.

AQVA PETROSELINI *Ph. W. p. 7.* Ibi ex foliis destillatur secundum. Secundum *Cod. Paris. p. 119.* autem ex seminibus; quod praestat. Diuretica est et vulgare hoc fine vehiculum.

134.

Pharm. APII *Radix; Semina; Herba.*

Apium graueolens; foliolis caulinis cuneiformibus, vmbellis sessilibus LINN. *Sp. pl. p. 379.* Σελινον Graecorum. *α*, Apium palustre s. Apium officinarum C. B. *β*, Apium dulce, Celleri Italorum TOVRNEF. *Instit. p. 305.* Icon: BLACKWELL *Tab.*

Tab. 443. Pl. biennis. Var. *α*, in foſſis et paludibus creſcit; *β*, autem hortenſis eſt.

Feram ſtirpem ſuſpectam reddit cognatio cum venenatis vmbellatis aquaticis, odor radicis et herbae ingratus, et ſapor ſubacris amarus, noxius demum eiusdem effectus in quibusdam morbis notatus.

RADIX craſſa, ramoſa, ſuccum flaueſcentem fundens. Si ſiccatur, integre fere odore ſuo ingrato priuatur et dulceſcit. Rarius longe ſpontaneae ſtirpis radix inſtar medelae vſurpatur, quam cultae pro cibo, etſi auctores non ſemper curate inter feram cultamque diſtinxerint. Sed inter aperientia locum obtinuit, et obſtructionibus viſcerum ſoluendis lotioque mouendo dicata. Cultura grandeſcit ad caput, pugni ſupraque, magnitudinem, ex quo craſſae fibrae deſcendunt; huiusque ope dulceſcit et odore moleſto orbatur. Et haec quidem cocta iuſculis crebro recipitur, et pro acetario eſt, LINNEO licet improbante (*Amoen. ac. T. 7. p. 25.*). Plurimum aquoſi laticis continet. Cibi tamen appetitum ciet inciditque ob aroma reſiduum. Comitiali morbo obnoxios eadem male affici IO. BAVHINVS (*Hiſt. Tom. 3. p. 101.*) notat, auctoritate LEONELLI et ſcholae Hollerianae nixus. Extendit noxam LINNEVS (*Mat. med. p. 87.*) ad apoplecticos, vertiginoſos, caliginoſos et pediculis affectos. Et recentius ſenibus vim inferre indicauit (*Am. acad. T. 7. p. 25.*). Succus expreſſus ad vncias

ſex

ſex initio horroris ſumtus febrem intermittentem ſudore iugulare traditur (CHOMEL *Vſuelles. 1. p. 276.*). Ex emollitis calculis, in ſuccum vel decoctum radicis immiſſis, patuit, calculoſis oppertunum cibum eſſe (LOBB'S *Diſſolv. of the ſtone p. 94. 95.*).

SEMEN ouale ſtriatum, coloris cinerei. Sapore acri et amaricante inſtruitur, odore graui haud ingrato. Olei aetherei tantillum dat aqua deſtillatum. Sed odoras ſapidusque partes ſpiritus vini omnino extrahit. Semen ex Apio dulci longe debilius, quam ex paluſtri. Et hoc carminatiuum et incidens eſt; ſed inter tot alia exoleuit.

FOLIA pariter graueolentia. Vix medicamentis accenſentur. Iis acetarii in modum comeſtis vox, diu exſtincta, eſt recuperata. (CHOMEL *l. c.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

RADICES QVINQVE APERIENTES MAIORES.

SYRVPVS ex hiſce.

SEMINA QVATVOR CALIDA MINORA.

SYRVPVS HYSSOPI *Ph. W. p. 212.* Inter alia recipit radices Apii.

BVPLEVRVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 225. Gen. pl. p. 129.*

135.

Pharm. PERFOLIATAE *Herba; Semina.*

Bupleurum rotundifolium; inuolucris vniuerſalibus nullis, foliis perfoliatis LINN. *Spec. pl. p. 340.* Perfoliata vulgatiſſima aruenſis C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* la Perce-feuille. Pl. annua, aruenſis.

SEMEN oblongum, ſulcatum, nigrum, ſaporis auſteri. Et hic quidem imbecillior eſt in HERBA. Vtraque pars vulneraria habita. In primis olim contra hernias a SOLENANDRO (*Conſil. med. L. 4. Conſ. 13.*), SIMONE PAVLLI (*Quadr. p. 472.*), WELSCHIO (*Hecatoſt. 2. Obſ. med. 33.*) aliisque celebrata in cataplaſmate vel emplaſtris. Sic et vt praeuerteretur herniae vmbilicali cataplaſma praeceptum ex herba recenti contuſa admiſta farina et vino (CHOMEL *Vſuell. T. 2. p. 302.*). Vt ne vero dicam, miſcela aliorum, quae ſaepe facta eſt, et ſubiuncto ſimul brachierio vel alia preſſione effectum dubium reddi: herniae vera natura cognita, quam inanis ſimilium externorum laus ſit, conſtabit. Contra ſugillationes ex lapſu decoctum aqua paratum vel puluis exhibitus fuit (CHOM. *l. c.*); vereor, eodem ambiguo ſucceſſu.

Bupleurum falcatum L. (IACQV. *Fl. Auſtr. T. 2. Tab. 158.*) lego pariter vulnerarium haberi, et de-

decoctum radicis pro antifebrili medicamento (HALL. *hist. st. helv. n. 776.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM PERFOLIATAE. Non vbiuis exstat.

EMPLASTRVM PRO HERNIOSIS *Ph. W. p. 65.* Inter tot alia semina Perfoliatae complectitur. Pro infantibus adhibetur, sed fallaci fide.

ORDO. VII.

HEDERACEAE.

HEDERA.

Syst. veg. p. 202. Gen. pl. p. 111.

136.

Pharm. HEDERAE ARBOREAE *Folia; Resina; Lignum; Baccae.*

Hedera Helix; foliis ouatis lobatisque LINN. *Sp. pl. p. 292.* Hedera arborea C. B. Κισσος Graecis. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Lierre. Frutex colore saturatiori semperuirens, qui *α*, iunior foliis lobatis truncis et muris adhaeret, sub frigidiori coelo sterilis; *β*, adultior foliis ouatis flores fructusque in mitiori climate fert.

FOLIA ſaporis amari, auſteri, nauſeoſi. Recens contuſa ad alenda vlcera cauſticis excitata applicantur. Mos hic inualuit in Gallia (CHOMEL *Vſuell. T. 2. p. 378.*), nec non apud plebem in Anglia, dicto ſcopo et pro vlceribus manantibus (LEWIS *M. m. p. 306.*). In Weſtrogothia (LINN. *Wäſtgöta reſa p. 201.*) placet refrigerio, quod ambuſtis, vlceribus et eryſipelati vti et fonticulis, quin ophthalmiae, conciliat. Haecque ſunt, quae tantopere commendauit cl. LE ROY (*Sur l'ecorce de Garou.*) pro ſuſtinenda et augenda ſuppuratione cortice Daphnes Gnidii producta, dum quotidie mutentur. Obſeruaui vero limitem exulcerationis definiri magnitudine et figura folii, quam forfice adaptes. Cocta vino depurarunt vlcera et vulnera (CHOMEL *l. c.*). Opem quoque attulere cocta aqua et applicata, quum langueſceret ſuppuratio inter funeſta varia ſymptomata in variolis (PEBORDE in ROVX *Iourn. de Medecine T. 40. p. 514.*). Lac diſpellere in cataplaſmate traditur (HALL. *Hiſt. n. 826.*). In athrophia autem infantum puluis eorum multoties profecit binis vel tribus cuſpidibus mane per nouem dies captis, repetendus, ſi opus, poſt ſequens plenilunium; nam auctor lunae phaſium aeſtimator eſt (NEBEL in *A. N. C. Vol. 5. Obſ. 120. p. 400.*).

RESINA, vulgo Gummi dicta. Fundit eam truncus adultioris arboris vel ſponte vel inciſionis adiumento in regionibus auſtralibus, in India, etiam

in

in Anglia (RAY *Hiſt. pl. T. 2. p. 1506.* item LISTER *Phil. Tranſ. Vol. 19. p. 308.*) et Geneuae (IO. BAVH. (*Hiſt. T. 2. p. 114.*). Quae vero venalis proſtat ex Oriente transmiſſa. Conſtat ex glebis grandioribus compactis ſemipellucidis rubro brunis, quibus rubiginoſae maculae vel venae inſperſae. Flammae admota ardet, ſaporis reſinoſi ſubadſtringentis, odoris, dum fricatur, grati. In ſpiritu vini rectificato eius $\frac{3}{4}$ partes fere ſoluuntur, qui ipſe colore inde ex bruno rubro imbuitur (LEWIS). Adſcripta illi vis reſoluens in menſtruorum ſuppreſſione ad mentem STAHLII et humorum pituita; nec non balſamica, vnde et variis emplaſtris, etſi rarius, admiſcetur. Denti carioſo particula eius inditur (CHOMEL *l. c. p. 379.*).

LIGNVM eſt molle, poroſum. Ad veterum, CATONIS, VARRONIS, PLINII, teſtimonia poculum ex eo fabrefactum vinum modo transmittit non aquam eo permiſtam. Sed WORMIO (*Muſ. Lib. 2. c. 17. p. 171.*) experimentum inſtituente vtrumque liquidum poſt tres dies exſudauit. Craſſitiei vaſculi habendam rationem vult LINNEVS (*Fl. Suec. p. 76.*). Quidam loco piſi fonticulis globulum ex ligno tornatum immittunt, vt ſuppuratio alatur (HILDANVS *Cent. 1. Obſ. 41.*).

BACCAE rotundae, nigrae, vmbilico et ſtylo notatae, acidae, iam in deſuetudinem omnino abierunt. Veteribus purgantium et emeticorum in nu-

mero. Pulueris earum largior dosis sudorem mouit (BOYLE *Vsefulness of nat. Phil.* in *Works T. 1. p. 507.*)

VITIS.

Syst. veg. p. 240. Gen. pl. p. 144.

137.

Pharm. VVAE *recentes, passae; Agrestae.*

Vitis vinifera; foliis lobatis sinuatis nudis. LINN. *Sp. pl. p. 293.* *α*, Vitis vinifera C. B. Icon: SCHMIDEL. *Ic. plant. T.* VII. cum ampla synonymia. REGNAVLT *Botanique*, La Vigne. *β*, Vitis corinthica s. apyrena C. B. Frutex sarmentosus, perennis, cirrhis suis fulcris vicinis adhaerens. Sponte crescit in regionibus australibus quatuor mundi plagarum. Colitur autem in aliis sub mitiori coelo sitis, sed non vltra quinquagesimum primum gradum septentrionem versus, et tricesimum versus aequatorem.

De cultura, praeparatione vini et aliorum productorum legantur BIDET *sur la culture des vignes et sur le vin, Paris 1759; Vollständige Abhandlung d. gesammten Weinbaues u. anderer daraus entstehender Producte 1. 2. Band. Frft. u. Leipz. 1766. 1767.; Traité complet sur la Maniere de planter et cultiver la vigne, extrait de* MILLER *augmenté etc. T. 1. 2. Iverdon 1768.*

MVNCH-

MVNCHHAVSENS *Hauſvater T. 3. p. 412.* IOH. CHPH. ER. SPRINGERS *Abh. v. d. Deutſchen Weinbau Lemgo 1769. Memoire ſur la meilleure maniere de faire et de gouverner les vins par* ROZIER *Paris 1772.*

Cultura magna varietas fructuum ſiue *vuarum* propullulat. Aliis figura oblonga, aliis globoſa, aliis prae breuitate pedunculorum angulata. Nec magnitudo vbiuis eadem. Color mox viridis, mox rubellus, coeruleus, brunus, flauidus. Compages mox firmior, mox laxior. Succus vel dulcis, vel acidus, vel moſchati ſaporis. Epidermis mox tenuis, mox craſſior. Pedunculi vel longiores vel breuiores, hique vel craſſiores vel exiliores. Bonitatem determinat coelum, ſolum colendique ratio. Vitis variae partes peculiaribus nominibus donatae. Folia dicta *pampini;* cirrhi, *capreoli*; ſurculi teneri, *palmites;* ſuccus ſectione transuerſa caulis emergens, *lacryma;* ſuccus vuarum immaturarum, *omphacium*, vulgo agreſta (ab ομφαξ, vua immatura, quae quibusdam et agreſtae nomine venit.)

Crudae eduntur vuae maturae, dulces, ſapidae. Hiſpanicae eminent ſaporis praeſtantia, intra ſabulum in clauſis calce vrceis transmitti ſolitae. Ratio etiam in crudis eſt habenda virtutis ſitim mitigantis, blande reſoluentis, calorem et putredinem temperantis, vt in fructibus horaeis ſolet. Aſt debiliorem ventriculum offendunt, quod fermenteſcunt

haud aegre; nec epidermis vuarum facile concoquitur. *Omphacium* cibis condimentum praebet, et syrupo inseruit. Veteres Rob et Syrupum inde paratum gargarismis contra anginam admiscuerunt. Potior vero vsus est vuarum siccatarum, et vini ex recentibus vel semisiccis praeparati.

PASSVLAE s. VVAE PASSAE, quarum duplex genus: maiores et minores, s. corinthiacae. Inter *maiores* quaedam volumine sunt magis conspicuae, subfului coloris et dulciores, Damascenae dictae; aliae minores coerulescentes, haeque vel racemis adhuc affixae venduntur, vel decerptae. Siccari solent vel racemo ad basin dimidium transcisso et in vite relicto, vel eundem lixiuio, ex cineribus vitis, immergendo et dein solis ope siccando. *Minores* s. *corinthiacae* ex varietate *β* apyrena sunt. Vuae huius sole siccantur, deinque in doliis conculcatae aqua marina humectantur. Nigricantes sunt, dulcissimae cum leui acore. Non amplius, vt olim, ex Corintho petuntur, sed ex Zacyntho, Cephalonia aliisque maris Ionici insulis — Priores passulae bellarii instar eduntur vtrumque genus ferculis additur. Efficacia medica caricas aemulantur, sanguinem demulcendo, inuiscando, emolliendo, lubricando. Vsitatae igitur in tussi, languentibus pleuriticorum sputis, stranguria. *Exacinatae* autem h. e. quibus semina exemta, desiderantur, idque in decoctis vel infusis. Copiosius ingestae al-

aluum laxant, quod et praeſtant, ſi apud infantes ſuppoſitorii in modum vna acinis orbata et oleo intincta applicatur (ROSENST. *Barnſ. p. 22.*). Gratum potulentum fermentatione ex paſſulis, malis citreis, et ſaccharo emergit (WARG'S *Kokbok p. 498.*).

ACINI ſ. ſemina leuiter adſtringunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Succus ex vuis maturis expreſſus MVSTVM vocatur, ſed ob fermentationem, quam facile in primis viis ſubit, vitandus. Coctione eius auolant partes aquoſae ſuperfluae, ſicque ſpiſſius euadit, nigreſcentis coloris, ſaporisque aciduli. Haec, ſi dimidiam partem muſti abſumit, *Sapa*, ſi tertiam vel quartam *Defrutum* audit. Sicque vario gradu inſpiſſatum olim cibis condimento fuit, cuius vero locum poſtea mel vel ſaccharum occupauit. Nec ſaponaceam vim, quam olim magni fecerunt, hodie multum curamus. Quae poſt preſſionem vuarum remanet pars, *Vinacea* vel vindemiarum feces nuncupatur, cui tamen muſti haud exiguum inſidet. Hinc et, ſi aqua affuſa fermentationi ſubmittitur, vinum debile inde exſurgit, operarium dictum. Dum adhuc ſeruant calorem ex praeuia fermentatione ad diſcutiendam paralyſin rheumatiſmosque inſtar balnei parti affectae applicantur (LIEVTAVD *Prax. med. p. 830.*). Interim non ſemper in paralyſi ſucceſſit, etſi aliquando. Etenim bal-

neum ad vmbilicum vsque adhibitum, febrem largumque sudorem optimo euentu excitauit, cuius remedii vis a calore et vapore penetrantissimo nares feriente et vasa leuiter stimulante, deriuanda (TISSOT *Epist. med. pract. p. 356.*).

Fermentationis ope mustum in VINVM vertitur. Largiuntur illud, praeter vuas, poma, vnde Pomaceum s. Cidre, mel, vnde Hydromel, dactyli et omnes fructus acido dulces, vnde tot vina in oeconomia familiaria. A liquido autem, quod in vinum transeat, postulatur, vt sal acidum in largiori aqua suspensum, vti et oleum mucilaginem terramque debite inter sese iuncta, complectatur. Partes hae vel sponte vel addito fermento in motum vertuntur, vnde aër fixus extricatur, qui saepe intra dolia accurate obturata retentus, eadem displodit. Fermentatione bene succedente de ipso oleo aliquid cum aqua ope acidi et mucilaginis tam arcte copulatur, vt nouum mixtum spirituosae naturae emergat. Attamen pars eiusdem a partibus oleosis et mucilaginosis retinetur, quibus terrestres maiori copia adhaerent, et quae secum forma partim vasis fundum partim superficiem petunt. Non huius loci est, sigillatim artificia, quae pro peculiaribus vinorum speciebus requiruntur, excutere. Nec attinet hic de clara eadem reddendi per ichthyocollum, albumen ouorum rel. vel conseruandi ratione, dicere.

Vi-

Vinorum vero multa genera sunt. Generatim vel alba; vel rubra sunt, quae coloris diuersitas variis gradibus discrepans non a succo vuarum, sed epidermidis pigmento dependet. Porro vel dulcia, quae viscida vnctuosa materie abundant, hinc et pinguia apparent et terra calidiori proueniunt; vel acida sunt, simul subinde austera. Quaedam generosiora sunt vel plus spirituosi continent, alia aquosa magis. Vetustate insuper crescit vinorum virtus.

Inter *Hispanica* eminent, quae in Granada, Andalusia, Valentia crescunt, quorsum vinum Illicitanum (Alicanter) coloris profunde rubri vel dulce vel, si aetate prouectius est, austerum, amaricans; vinum Tinto dictum haud absimile profunde rubrum; vinum Xeres ab vrbe huius nominis ita vocatum, crassum amaricans. — Inter *Lusitanica* memoro Portugallicum, cuius album dulcius, rubrum acerbius, vtrumque crassum et generosum. — Rarius ad nostras regiones perueniunt *Italica*, quorum generosissimum ad radices Vesuuii crescens, Lacryma Christi dictum, coloris rubri, odoris suauis, tenue; cui tantum adiungo Moschatellinum. — *Gallia* pariter vinorum varia specie ferax, quorum multa nomina ex Prouinciis vel distrietibus minoribus, quibus coluntur, trahunt, etsi indole sua vix diuersa. Vsitatissimum est illud, quod simpliciter Gallicum vocatur et ad septentrionales regiones copiosissime transfertur, vt illud circa Lu-

te-

tetiam vel in ducatu Aurelianenſi vel diſtrictu Burdegalenſi, vel album vel rubrum. Differt a proxime dicto efficax Pontac; quo nomine oenopolae nimis liberaliter inſigniunt alia vina gallica rubra, licet verum inter exiguos modo cancellos creſcat, hinc pretioſius. Campanaceum duplicis coloris, ſpirituoſum inſigniter eſt, temulentiam ſubitaneum, ſed breuis durationis excitans. Placet in albo ſpuma enata, dum vitro infunditur, quam vero varia fraus inducere didicit. Burgundicum calidioris naturae et pretioſum. Addo Frontiniacum ſaporis nonnihil moſchati, generoſum. — Tranſeo ad *Germanica*, quorum princeps Rhenanum, ſubacidum, tenue, neruos inſigniter reficiens. Huius ſpecies primariae ſunt vinum Hochheimenſe, Koſtheimenſe, Bacheracenſe, Rheingauenſe. Sequitur Moſellanum, ad Rhenanum propius accedens. Praetereo Heluetica, Alſatica, Franconica, Auſtriaca, aliaque Germaniae vina. — Plerisque dictorum, niſi omnibus, palmam praeripit vinum *Hungaricum*, illud nominatim, quod Tockayenſe dicitur, et in ciuitatibus maxime ſubmontanis in comitatu Zemplinienſi ſitis, praeſertim Mad, Tolcſva, Benye, Talya, Kereſztur, Tarczal, Szerencs et Tockai prouenit. In vſu vero eſt omnia, quae circa ſubmontana iſta loca occurrunt, per excellentiam vina Tockayenſia vocare, etſi non negandum diſtrictus duos, qui der Zuckerberg dicuntur, optimum et Caeſareae menſae reſeruari

ſo-

ſolitum, proferre (SCHOSVLAN *Diſſ. de vinis Vienn. 1767.*) — Ad *exotica* vina pertinet vinum Capenſe ex promontorio capitis bonae ſpei, rubrum, dulce, generoſum; vina Canarienſia, vt vinum Maderaicum, vinum Palmae, quibus adiunctum nomen Sec, quoniam ex ſemiſiccis et corrugatis vuis parantur. Ex Candia transfertur vinum Maluaticum. In diſpertiendis vinis ſecundum loca natalia ſtupendam operam impenderunt BEHR (*v. d. Mat. med. p. 475. ſq.*) et NEVMANNVS (*Chymie B. 2. Th. 4. p. 604. ſqq.*). Sed dolendum oenopolas male callida arte ſaepiſſime imitari natiua vina, vel colorem, vel gratiam vel conſiſtentiam vel vires additamento vario vinis conciliando. Quae ſi modo valetudini non officiant, etſi crumenae dolum inducant, facilius ferenda, quorſum ſaccharum vſtum, paſſulae maiores, Santalum rubrum, ſuccus Myrtillorum rel. pertinent. Quae vero per ſaturnina (V. infra Plumbum) Arſenicum vel alia venena fit correctio, huic iam dudum ſupplicium meritum ſtatutum. (Cfr. ROZIER *Obſeruations ſur la Phyſique ſur l'hiſtoire naturelle et ſur les arts a. 1772. Aout. n. 3.* item SAGE *Examen chymique de differentes ſubſtances minerales p. 157. ſq.*)

Vſui medico in primis inſeruiunt Vinum Gallicum album, vinum Pontack, Rhenanum et Hiſpanicum album. Quod ad vires vini attinet, condimenti potius vicibus quam potus perfungi memento, moderate

rate vero potatum praeſtantiae ſingularis eſſe. Ob ſpirituoſas partes auget circuitum ſanguinis, eumque ad caput determinat, hinc maiori copia pro diuerſo gradu exhilarat, inebriat, deliria, ſoporem, apoplexiam gignit; quibus ipſis ad naturam opii propius accedit. Continuato abuſu mater complurium chronicorum morborum eſt, tremoris artuum, viſcerum obſtructionis, podagrae, calculi, aſthmatis, hydropis, debilitatae ſenſilitatis, et lente demum obrepentis apoplexiae. Calculi vrinarii ſtamina ſuggerere vetus querela eſt, ad vinum Rhenanum nominatim aliaque acida vina extenſa, et hunc quidem a tartaro vel calce vini deriuarunt multi, quod vero in dubium vocat inter alios quoque ill. SPIELMANN (*M. m. p. 103.*), qui ipſe contra ea mucilaginem per fermentationem non rite attenuatam accuſat. Magis ſalutaria ſunt vina imbecilliora, quam fortiora. Rubra vina adſtringunt, hinc largiori vſu exſiccant, et fluida inſpiſſant. Negligenda vero maxime, quorum fermentatio ſuppreſſa eſt, et quae ſub acceſſum aëris ſpumeſcunt, ob mucilaginem non ſatis ſubactam, et nouam fermentationem in primis viis oriundam, vt fit cum Campanico. Dulcia abundant viſcida vnctuoſa ſubſtantia, vnde vis ſoluens eorum debilitatur, parcior ineſt acidis vinis vt Rhenano, quod igitur commodum menſtruum eſt variorum metallicorum, vt reguli antimonii, limaturae martis rel. Parcior vini vſus in ſenibus eſto, nec tenellae

aetati

aetati porrigitor. Abſtineant ab acidis vinis, vt Rhenano, Moſellano, qui acido primarum viarum laborant, vt hypochondriaci et hyſtericae. In febribus, ſub plethora et impetu ruentis ſanguinis non conuenit; in iis vero, quas neruoſa debilitas vel putrida diatheſis comitatur, refocillat egregie. Sic generatim in neruoſis morbis, vacuo praecipue ventriculo, eximium (WHYTT *nerv. Diſ.* in *Works p.641.*). Prudenter vſurpatum languentem ventriculum roborat, appetitum auget, ciborum digeſtionem adiuuat, vires reſtaurat, diaphoreſin ciët, et acidae naturae ſi eſt, ſaepe diureſin. Extrinſecus ante nares retentum, temporibus carpisque illitum, reficit eximie debilitate vel animi deliquio detentos. Fotus vel balnei inſtar infantibus ſubuenit ex partu difficili eneruatis; et celampſia infeſtante e re eſt infantem linteo vino Rhenano humectato obuoluere (ROSENST. *Bſkd. p. 64.*). Diſcutit praeterea reſoluitque ecchymoſes tumoresque externe calide applicatum, et rubrum praeſertim roborandis partibus inſeruit.

SPIRITVS VINI deſtillatione, vel ex vino vel fecibus eiusdem, elicitur. Prodit ſe ſapore et odore et natura, dum ignis admouetur, ardente. Encheireſi dicta aſcendunt vna cum aquoſis partibus oleoſae eſſentiales, quae oleum vini conſtituunt. Vulgarem materiem ſpiritus vini quoque praebent hordeum, vnde *ſpiritus frumenti*, arundo ſaccharifera, vnde *Rum*, vt alia taceam ſpirituoſae fermentationi oppor-

tu-

tuna. Redintegrata deſtillatione *ſpiritus vini rectificatus* et iterum repetita *rectificatiſſimus* ſ. *Alcohol vini* obtinetur, hoc eſt, ſpiritus ab aqua liberatus, qui ſuper puluere pyrio vel goſſypio deflagrans vtrumque accendit. Sufficit vnica ad illum eruendum deſtillatio, modo lente et miti igne fiat. Alius illum parandi modus eſt per additum ſpiritui rectificato alcali, quod aquam abſorbet: ſed etiamſi poſtea noua deſtillatio ſubſequatur, ſemper ſalis alcalini aliquid adhaeret.

Spiritus vini ſtringit fibras, inſpiſſat plerosque humores, nominatim ſanguinem. Moderate et a non aſſuetis potus digeſtionem ciborum promouet, appetitum cibi creat, ventriculum roborat, vt cereuiſiae ipſi et vino, (quum iſta flatus facile creet, hoc acore moleſtum ſit), in morbis neruoſis aqua dilutus praeferri mereatur (WHYTT *l. c. p. 641.*), et flatus diſſipat. An haec commoda Suecis, etiam moratioribus anſam dederunt ante prandium ſpiritus vini vel generoſioris vini vitrum ingurgitandi, non dixerim? In calidioribus regionibus ſub eadem mediocritatis lege vires ſudoribus exhauſtas mirifice reſarcit, et deliquiis animi praeuertit (ill. ZIMMERMANN *Erfahrung T. 2. p. 318. ſq.*). Putredinem praeterea humorum arcet et temperat, vnde collectionibus naturalibus et praeparatis anatomicis conſeruandis inſeruit, et tantae in itineribus marinis praeſtantiae. Immodica ingurgitatio omnem eam noxam affert, quam de

de vino ſupra monui, tanto magis metuenda, quum et minori quantitate infeſtus ſit, et vilius pretium liberaliorem vſum potatoribus concedat. Caueant vero, quos ſerius abuſus poeniteat, ne derepente abſtineant, vt ne ad hydropem viam ſternant. Chirurgi fotibus et gargariſmis, quo reſoluat, addunt. In ambuſtis omnibus praefert lintea eodem madefacta et pluries applicata SYDENHAMVS (*Op. p. 271.*); ſed nocet quando iam nigrorem induxerunt (PLENCK *Mat. chir. p. 444.*). Fortior arterias diſciſſas minores conſolidat, hicque ill. PETERSENII AB HEIDENSTAM, Arch. Reg. Sveciae, (*Kgl. Reſe-Apothequet p. 67.*) Liquor ſtipticus eſt. In vulneribus vero lymphaticorum vaſorum nihil valet, quum lympham non condenſet (PLENCK *l. c. p. 438.*). Refraenat ſuppurationem vulnerum largiorem, ſi eodem deligantur (*l. c.*). Roborat relaxata ligamenta. Saepe tamen externe nocuit vi ſua ſtringente et ſtimulo in vulneribus ſclopetariis, in vulneribus cerebri, contuſionibus diriori-bus, tumoribus calloſis, de quibus omnibus haud proletarie egit cl. PLENCK. Vapores calefacti ſpiritus vini diſpellunt oedemata (HEIST. *Inſt. chir. p. 350.*).

Vinum vel alia materies, quae fermentationem ſpirituoſam ſubiit, ſi nouam fermentationem ingreditur, ſecedunt inteſtino motu oleoſae et terreſtres partes, quae acidum obuoluerant, et in ACETVM vertitur. Nec ſemper opus eſt iterata fermentatione li-

quorum, ſpirituoſam iam perpeſſorum, ſed eaedem materies, quae huic ſubeundae pares ſunt, continuata fermentatione aceſcunt. Vini acetum vel ex aceſcentibus vinis, vel fecibus vini, vel vtrisque mixtis vel et ex reliquiis poſt preſſionem paratur. Si prius, diſſipata per coctionem copia aquae et ſpiritus additur fermentum, vegetabile quoddam acidum, vel acetum iam praeparatum deinque mixtum fermentationi committitur. Alios diuerſos modos aliunde petas. (E. gr. ex WALLERII *Chem. phyſ. förſta delen p. 268.*) — Acetum hiſce rationibus productum multas adhuc partes terreſtes et inflammabiles et abundantiam aquae retinet, quae igitur ſeparari debent. Rectificationem ſ. concentrationem aceti hunc laborem vocant, et ipſum ACETVM, CONCENTRATVM ſ. RADICATVM. Non ſufficit huic fini deſtillatio iſta vſitata, qua ACETVM VINI DESTILLATVM *Ph. W. p. 2.* emergit. Quod primum transſtillat aquoſum, quod ſequitur fortius eſt, tandem ſi retortum vas vſurpatum fuerit, aſcendit liquor empyreumaticus, quod vero non accidit deſtillatione in veſica facta, ſiquidem in hac oleoſae tartari partes liquore diluente orbatae ad alembicum vsque non poſſunt pertingere. Nec concentrationi omnino ſatisfacit congelatio a STAHLIO (*Opuſc. phyſ. med. chem. p. 398. ſq.*) commendata, quae tamen etiamnum placet auctoribus et *Pharm. Dan.* (*p. 117.*) et *Ph. Suec.* (*p. 55.*). Fortius longe fit ex viridi aeris vel per ſe, vel ope olei vitrioli, vel ex

fac-

ſaccharo ſaturni per idem auxilium expulſum, et purius et volatile magis. Eſt et alia methodus non ſpernenda, acetum cum alcali fixo ſaturandi et inſpiſſandi, et addito vitrioli oleo acetum iterum expellendi, quam viam et ingreſſus eſt cl. WESTENDORFF (*Diſſ. de optimo acetum concentratum eiusdemque naphtham conficiendi ratione Gotting. 1772.*). Nimirum deſtillatione aceti communis ad ſiccitatem vsque facta hoc ipſum alcali minerali, nominatim Sodae (V. infra caput de Salicornia) ſale, ſaturatur, et cum eodem in cryſtallos redigitur. Harum cryſtallorum exſiccatarum et comminutarum partibus duabus olei vitrioli pars vna inſtillatur, et deſtillatione ſuper leni igne in vas recipiens purus aceti ſpiritus volatilis transmigrat. Ita auctor, ex vnciis ſedecim cryſtallorum, aceti puri vncias decem ad duodecim, obtinuit. Conſtitit vero guſtu fortius hoc eſſe alio acido vegetabili, vaporibus autem denſis et odore penetrante, eſſe volatilius et penetrabilius, purius denique et ſubtilius. Potentius longe iudicat eſſe alcohole aceti a cl. EHRENREICH confecto et laudato a cl. SCHWARZ (*Verwahrungsmittel gegen die Peſt, nebſt einer Abhandlung vom concentrirten Eſſiggeiſt Danz. 1770.* Conf. HAGENS *chem. Prüfung d. Ehrenreich. Alcohol Acet. Königsb. 1771.*)

Vſus aceti multiplex, hic conſiderandus, eſt tam pharmaceuticus, quam medicus. Menſtruum eſt ad variorum vegetabilium vires extrahendas, nonnulla

tamen debilitat, alia efficaciora reddit, vel virtute diuerſa imbuit. Soluit et quasdam gummi reſinas et ſuccos inſpiſſatos, quin metalla varia, praeprimis plumbum, cuprum, ferrum. Facile et copulam init cum ſpiritu vini. Acetum ſimplex ſanguinis colorem paullo magis fuſcum reddit, vix vero coagulum inducit. Deſtillatum vero, ex FREINDII experimento, venae animalis viui iniectum ſanguinem in grumum et coagulum vertit. (SCHWENCKE *Haematologia p. 130.*) — Reliquis acidis vegetabilibus antiſtat vi refrigerante; vnde in acutis ad febrem, calorem, ſitim mitigandam eximium, potulentis additum, vt in Poſca vel Oxycrato HIPPOCRATIS et DIOSCORIDIS, vel mixturis, vel miſcela varia cum melle, vt in Oxymellis variis ſpeciebus. Quantum vi antiſeptica valeat, experimentis oeconomicis pro carne ſeruanda, rel. pariter conſtat, ac aliis, in morbis, creberrimis. Nempe et putredinem auertit et coërcet efficaciter, in ſynocho huius naturae, variolis putridis, petechiis, gangraena, ipſa peſte. Hinc et varia aceta mixta tanquam alexipharmaca in officinis occurrunt. In caſtris ad maxime neceſſaria iam retulerunt Romani (VEGETIVS *de re milit. Lib. 3. c. 3.*). Nec ad praecauendos morbos autumnales putridae naturae in exercitu potentius aliquid aceto per aeſtiuum calorem crebrius poto, praecipue locis paludoſis (PRINGLE *Diſ. of army Ed. 5. p. 111.*). LVDWIGIVS (*Aduerſ. med.*

med. pract. Vol. 1. P. 1. p. 68.) in prophylaxi febris putridae petechialis efficacius longe acetum quam in ipsa curatione inuenit, et sudorifera efficacia tum in primis excelluit, qua ipsa morbo praeuentum est. — Penetrabili sua natura remotissima adeo adyta permeat, spissos humores soluit, obstructaque reserat. Hinc in deliquiis animi ante nares retenta vel temporibus carpisque illita eximie recreat; hinc in inflammatione vel alia stasi, quin et concretionibus polyposis soluendis valet. Ita et obesitatem nimiam minuit, etsi non semper absque aliorum malorum sequela (LEWIS *M. m. p. 16.*). Sudorem potenter mouet (v. SWIETEN *Comment. T. 3. p. 572.*). Lotium quoque pellit; cuius exemplum memorabile hydrops iam ad putredinem vergens dedit, sed vrinae fluxu copioso sublatus (WESTENDORF *Diff. cit. p. 74.*). Vis eius in mania crebro experimento constitit (LOCHERI *Obs. pract. p. 66. 68.*). Post prandium scilicet aceti destillati vncia vna et dimidia consumta, ita vt omni quadrante horae cochlear vnum ingereretur, ante meridiem autem infusum Hyperici. Ab horum vsu mox insolitum illud in oculis disparuit, et dein pacati sensim ad se redierunt. Quo plus sudarunt aegri, eo citius leuati. Promotae et simul reliquae secretiones et excretiones, in feminis menstrua, quae antea vel parca nimis vel suppressa fuerunt. Repetiit hanc laudem ROSENSTEINIVS (*Rese-Apot. p. 48.*). Famam,

quae curatione puellae hydrophobae Patauii increbuerat, vanam fuiſſe, nec eandem vera hydrophobia laboraſſe, litteris cl. MORTON (*Phil. Tranſ. 1765. p. 139.*) compertum. Lumbrici terreſtres aceto immiſſi mox necantur (TORTI *Therap. ſpec. Lib. 5. cap. 6. p. 510.*). Humani motibus crebris aceto conſperſi indicant, quam male afficiantur (v. DOEVERN *de verm. inteſt. p. 68.*). Anthelminticis igitur adſcriptum, in febribus verminoſis non vna de cauſa eximium. Acetum potum optime venenum narcoticorum, nominatim Opii, eneruat, ſubiuncto emetico et fomentatione capitis cum eodem et odoratu eiusdem fortioris. (ROSENST. *Bſkd. p. 61. ſq.*).

In haemorrhagia vteri poſt partum conuenit lintea aceto cum aequali parte aquae, vel aceto forti madida frigide abdomini et lumbis applicare (TISSOT *Avis p. 451.* LEAK *on childbed-fever p. 271.*). Vapores eiusdem ad corrigendum aërem putridum et in morbis huius naturae conducunt, dum acetum ſuper patina per carbones ſubſtratas exhalat, vel ſurculi Abietis eodem humectantur. Sic et exhalatione aceti emendatur aër conclauis, fumo fornacis vel carbonum vaporibus inquinatus (ROSENST. *Bſkd. p. 118.*). Mirifice leuant expectorationem aquae calidae, cui acetum admixtum, halitus ex ſpongia vel patina capite linteo obtecto inſpirati (PRINGLE *Diſ. of army p. 144.* TISSOT *Avis au peuple p. 101.*). Diriori malo ſolius

ace-

aceti calefacti vapores requiruntur (TISSOT *l. c.*). Pernionibus admiſſi eosdem diſpellunt (*Id. p. 570.*); prout in vniuerſum aceto in vapores diſtracto vis eius ſoluens augetur, ceruſſae exemplo.

Sunt praeterea alia aceta, ex aceto variis plantis infuſo parata, eaque vel ſimpliciora, vel magis compoſita; etiam coctione producta.

Simpliciora infuſa, ACETVM CALENDVLAE, COLCHICI, LAVENDVLAE, PAPAVERIS, RHOEADOS, ROSARVM, RVTAE, SAMBVCI, SCILLAE, TVNICAE, quorum vires in plerisque praecipue dependent ab aceto, in paucis ab ipſa ſtirpe.

Magis compoſita ſunt, ſimulque calida:

AQVA PROPHYLACTICA ſ. ACETVM BEZOARDICVM SYLVII *Ph. W. p. 22.* In aliis pharmacopoeis et in libris practicis BARTHOLINI, MYNSICHTI aliorumque compoſitiones variae occurrunt. Nempe, additis variis aromaticis digeſtis et deſtillatis, creditum vim aceti augeri poſſe in contagioſis morbis, quin ipſa peſte, dum eius cochlear vnum vel alterum aqua quadam diaphoretica miſceretur idemque olfactu exciperetur.

ACETVM BEZOARDICVM *Ph. W. p. 1.* Similis praecedenti formula, ſecundum quam ſimplex digeſtio ſufficit. Vſus idem.

ACETVM PROPHYLACTICVM (Vinaigre des quatre voleurs ſ. Vinaigre contre la Peſte) CHARAS

Pharm. R. Tom. 2. p. 863. Formula haec: Rc. Summit. rec. Abſynth. maior. et min. Roriſm. Salv. Menth. Rut. aa. ℥ij ß Flor. Lavend. ſiccat. ℥ij All. ʒij. Calam. arom. Cinnam. Caryoph. Nuc. moſch. aa ʒij Acet. opt. ℔viij. Macera calore ſolis vel igne arenae in matracio rite obturato per dies xij; poſt colaturam iuncta preſſione adde camphorae ſpiritu vini ſolutae ℥ß D. Exiſtimatum, eſſe optimum prophylacticum contra peſtem, mane et veſperi cochleari eius ſumto eoque ante nares retento (CHARAS). Confert vero et in aliis epidemiis, inſpergendo illud veſtibus et muccinio, et poſt acceſſum ad aegros os eodem eluendo (ROSENST. *Apot. p. 23.*), prout variae, aceto in vniuerſum adſcriptae, virtutes ad hoc iterum referendae.

SAL ACETI (WESTEND. *l. c. p. 7.*) Conficitur ex cryſtallis connubio aceti cum alcali minerali paratis, dum iisdem in particulas groſſiores contuſis olei vitrioli aliquot guttulae inſtillantur. Commode in lagena vitrea ſeruatur, vbi, modo probe obturetur, diu odorem volatilem purumque aceti ſeruat. En elegans odoramenti genus, debilibus et ſyncopticis efficaciſſimum.

ACETVM DVLCE (SPIELM. *Chem. p. 193.*) Fit ex aceti concentrati et ſpiritus vini rectificatiſſimi partibus aequalibus. NAPHTHAM ACETI primus Comes DE LAVRAGAIS (*Iourn. des ſçavans 1759. Iuillet.*) produxit, ſed ope aceti aeruginis; cl. WESTEN-

DORFF

DORFF (*l. c. p. 9.*) autem ita, vt miſcelam, ex aceti concentrati ſui ſpiritusque vini ſumme rectificati partibus aequalibus, deſtillationi ſubmittat, donec dimidia fere totius pars tranſierit, tum liquori transgreſſo addat decimam ſextam partem ſalis tartari puri, in quatuor aquae partibus ſoluti. Supernatat tum aquae naphtha inſtar olei; concentratum autem acetum eam penitus fere iterum ſoluit; acida mineralia magnam eius partem abſorbent, reſiduumque magis reſinoſum relinquunt; eadem facile cum aliis oleis deſtillatis ſeſe coadunat; in deflagratione flammam magis albam exhibet quam ſpiritus vini, tardius vero quam naphtha vitrioli conſumitur, cuti inſtillata frigus ſenſibile excitat. Anodynum blandiſſimum praedicatur, blande ſedans dolores ſpaſticos et tuſſim conuulſiuam coërcens, doſi paullum maiori, quam naphtha vitrioli.

De TARTARO ſ. ſale eſſentiali vini, quo dolia incruſtantur, tam albo, quam rubro, infra inter mineralia dicam.

Lixiuium e cineribus ſarmentorum vitis ſaturatum valde contra panaritium commendatur (*Nouvelliſte economique et litteraire T. 5.*). Debet ſcilicet calefieri, quantum fert aeger, et eidem digitus immitti. Dicitur conuenire quocunque morbi gradu, quod nimium.

PANAX.

Syſt. veg. p. 773. Gen. pl. p. 554.

138.

Pharm. GINSENG *Radix.*

Panax quinquefolium; foliis ternis quinatis LINN. *Sp. pl. p. 1512.* Aureliana canadenſis LAFITEAV (in *Memoires concernant la precieuſe plante de Ginſeng Paris 1718.* Conf. et *Hiſt. de l'ac d. ſc. 1718. p. 42.*) cuius iconem et deſcriptionem contractam ſiſtit BREYNIVS in *prod. rar. pl. 2. p. 35. ſq. Fig.* ad *p. 52.* Araliaſtrum foliis ternis quinquepartitis Ginſeng ſ. Ninſin officinarum EHRET. TABVL. A TREW. *ed. Tab. 6. fig. 1.* Gin-ſeng Chinenſibus. Planta perennis.

Creſcit in Tataria Chinenſi in ſyluis montoſis denſiſſimis, vbi vidit teſtis autoptes Miſſionarius S. I. P. IARTOVX (*in Lettres edifiantes et curieuſes Recueil 10. p. 159.*), qui plantae etiam et radicis ex itinere a. 1709. iconem cum deſcriptione adornauit, quam vtramque ſuo libro inſeruit DV HALDE (*Deſcr. de la Chine T. 2. Tab.* ad *p. 180.*) In Canada etiam habitat, vnde iam a. 1704. cl. SARRASIN (*Hiſt. de l'ac. d. ſc. 1718. p. 44.*) FAGONI miſit, et vbi poſtea Miſſionarius LAFITEAV inuenit, confirmante et cl. KALMIO (*Reſa til N. America T. 3. p. 334.*), in Penſyluania aliisque Anglicis coloniis alii. Ad oſtium fluuii de la

Ware

Ware cl. BARTRAM locis vmbrosis legit (*Comm. Nor. 1741. p. 361.*). Tam auide in Canada superioribus annis collecta, vt metus, ne prae lucri cupidine olim interitura plane esset. (KALM *l. c.*). Nempe inde in Galliam, quin Chinam etsi clam copiose translata, vnde pretium eiusdem insigniter decreuit.

De confusione huius cum radice Ninsi supra (*p. 258.*) iam diserui. Diuersas autem specie esse demonstrarunt BREYNIVS (*Diss. de radice Gin-sem etc.* recus. in *l. c.*) et TREW (in *Comm. Noric. a. 1742. p. 388.*). Carissima pretio, vtinam et virtute. Fuit vncia eius vna pro 7 ad 8 vncias argenti Pekingi vendita (DV HALDE *l. c. T. 4. p. 9.*); quin ad recentioris auctoris (OSBECK'S *Ostindiska resa p. 144.*) testimonium vncia eius dimidia pro 30 ad 48 semivnciis argenti in China suo tempore prostitit venalis. Hinc et excubiis arcentur furaces homines et imperatori Chinensium soli reditus ex collectione seruati, quam militibus suis procurat.

RADIX, dum sicca examinatur, crassitie plerumque digiti minimi est, Petroselini radici non absimilis, tam interne quam extus flauo albescens, rugosa vel annulata, compactae et corneae fere substantiae, et subinde inferius subdiaphana, fracta circulum in medio prae se fert resinosum rufescentem, plerumque in duo ramos siue crura diuaricatur (vnde forsitan nomen Sinicum, quasi *homini simile* dixeris) aliquando

in

in tria vel quatuor. Odoris expers eſt, ſaporis autem dulcis Glycyrrhizae aemuli, ſed gratioris cum leui amaritie et aromate miti linguam parumper pungente. Quo maior, quoque ponderoſior eſt, eo maioris fit — Praeparatur vero immergendo illam poſt lotionem aquae bullienti, dein ſuper vaporibus Milii cuiusdam cocti, quibus colorem brunum adipiſcitur, ſiccatur. Ope ſolis vel ignis mox ſiccatam ſpernunt Chinenſes, quoniam tum deſtituitur colore iis placente (IARTOVX *l. c. p. 182. ſq.*). Americanam vi longe Tatarica inferiorem eſſe perhibent (OSBECK *It. p. 145.*).

Apud Chinenſes ob vires medicas, quas inde exſpectant, in ſumma exiſtimatione eſt. Tartaris Mantcheoux igitur Orhota h. e. Regina pratorum dicta. Nec magnatibus vlla fere medela praeſcribitur ſine eiusdem connubio. Nimirum pro infallibili remedio in deiectione virium a nimia intentione animi vel exercitatione corporis habent, et ſoluere pituitam tenacem, roborare pulmones et ventriculum, pleuritidi mederi, ſiſtere vomitus, hyſtericis affectionibus ſubuenire, contra vertiginem valere, ad vitam longam facere, ſibi perſuadent (IARTOVX *l. c.*). Plures aliae virtutes hinc inde recenſitae leguntur (Vid. e. g. DECKERI *Exercitat. pract. p. m. 670.* qui ipſe illam tentauit, BREYN. *l. c. p. 39.* RVMPH. *Herb. amb. auctar. p. 47.*), ex quibus modo efficaciam in conuulſiuis affectibus ſedandis, ac veneris appetitu ciendo, memoro, de qua poſte-

posteriori mihi et peregrinatores mercaturae causa Chinam petentes narrarunt, quo fine ditiores Sinenses crebro adhibent (BREYNIVS). Omnia conueniunt, in refocillandis neruis praecipuam potentiam consistere. Hancque delassatus labore in sese et expertus ven. IARTOVX (*p. 163.*) notabilem inde acceleratione pulsuum animaduertens; qui et foliis instar infusi Theae vsus est. Repetitis dosibus scrupuli vnius radicis horrendas conuulsiones compescuit in viro consulari DECKERVS (*l. c.*). Chinensibus in more est, decoctum radicis in orbiculos sectae ingerere; in puluere autem ad drachmam vsque dimidiam DECKERVS dedit, cui et tinctura, vel extractum spiritu vini paratum proficuum visum. Cum Hepatica nobili TRAGI comparat virtutem RENEAVME (*Hist. de l'ac. d. sc. de Paris cit.*). Iusto pauciora sunt Europaeorum experimenta, quam vt de vero pretio decerni possit. Nimia vero Chinensium esse praeconia, quis non videt?

ORDO.

ORDO. VIII.
SARMENTACEAE.

SMILAX.
Syſt. veg. p. 743. Gen. pl. p. 524.

139.

Pharm. SARSAPARILLAE vel SALSAPARILLAE rarius ZARSAE *Radix.*

Smilax Sarſaparilla; caule aculeato angulato foliis inermibus ouatis retuſo-mucronatis trineruiis LINN. *Sp. pl. p. 1459.* Smilax aſpera (ob caulis aculeos non foliorum) peruuiana ſ. Sarſaparilla C. B. Smilax viticulis aſperis virginiana folio hederaceo leni Zarza nobiliſſima PLVCK. *Phytogr. Tab. III. Fig. 2.* REGNAVLT *Botan.* La Salſepareille. Frutex ſarmentoſus in regno Peruuiano Mexicano et Braſilia creſcens.

Dictam ſpeciem Equ. A LINNÉ pro vera habet. PROSPER ALPINVS (*Plant. aegypt. p. 136.*) autem Smilacem aſperam L., vt ex icone vlterius patet. Nempe in Zacyntho inſula eius radices eiusdem omnino figurae ac Sarſaparillae L. inuenit, et percepit ibidem non minus contra luem veneream adhiberi, et in faſces colligi, ad exteros quoque transmitti. Huius

ius quoque ſententiae fuit FALLOPIVS eodem ſucceſſu hiſce radicibus vſus, et AMATVS LVSITANVS. GVILANDINVS autem in ſuo cum ALPINO colloquio aduerſatur, confuſionem radicum valde ſimilium arguens. TOBIAS ALDINVS (*de Smilace aſpera; an ſit eadem ac Sarſaparilla americana? Meſſan. 1652.*) affirmat Smilacem aſperam eſſe veram, varios alios citans, et poſſe omnino lui venereae opponi. Smilax aſpera Hiſpaniam et Italiam praeter Palaeſtinam et Graecos inſulas patriam habet, et, ſi fides cl. WILH. FORDYCE, Peruuianum quoque regnum et Braſiliam. CAR. MVSITANO (*de lue ven. Lib. 3. c. 1. Op. Tom. 2. p. 434.*) non minus haec ipſa frequenter ſucceſſit, qui et ſapore, cortice, medulla, facultate conuenire, quin alteram vincere teſtatur. Similis efficaciae teſtis quoque eſt MONARDES (in CLVS. *exot. p. 349.*) Cl. FORDYCE ſynonymum allatum C. BAVHINI Smilaci aſperae L. adiungit, et vim a ſe totque aliis exploratam huic praecipue tribuit.

RADIX in pharmacopoliis obuia conflatur copia radicularum ſarmentoſarum aliquot pedes longarum, ad pennam anſerinam vsque craſſarum, ex trunculo pollicaris craſſitiei emergentium, extus fuſca interne alba. Faſciculatim vincta intra corbiculos vendi ſolet. Et, ſi probae notae eſt, facile findi ſe ſinit. Manifeſtam amaritiem cum aliqua ſtipticitate tribuit NIC. MASSA (in LVISINI *Aphrod. p. 81.*). Decoctum ſatuum leniſſime

ſal-

ſalſum pronunciat SWIETEN (*Comment. T. 5. p. 568.*) Extractum praeterea aquoſum amaricans (NEVMANN), ſpirituoſum autem ſubacre (CARTHEVSER). Aqua lota ſpumam agit et manus nitentes reddit (ERNDTELII *Warſauia phyſ. illuſtr. p. 212.*).

Crebra in primis eius in lue venerea laus fuit, poſtquam Hiſpani eam verſus medium ſeculi decimi ſexti in Europam tranſtulere (MONARD. *l. c.*). Extollunt efficaciam in hoc morbo FRANC. XIMENES, VIDVS VIDIVS, TRINCAVELLIVS, FALLOPIVS, MASSARIAS, CAESALPINVS, VARANDAEVS, THOM. RVDIVS, NIC. MASSA, ALEXANDER TRAIANVS PETRONIVS, ex quibus praecipua loca excerpſit cl. FORDYCE (in *med. Obſerv. et Inqu. T. 1. p. 149. ſqq.*) aliique multi, quorum nomina ſignificat BOEHM (*Diſſ. de variis ſyphilidis therapiis Argent 1771. p. 24.*). Infantes a nutricibus lactentibus infectis, etiamſi maculis, puſtulis, vlceribus et nocturnis doloribus correptos ſanari facillime farina Sarſaparillae panatellis aut pulticulis admixta, auctor eſt HARRIS (*Morb. infant. p. 233.*). Dictorum multi hanc radicem Guaiaco praeferunt idque in decocto. Quoniam autem veram adhibendi eam rationem, quibusque in caſibus praeciſe conueniat, non dilucide expoſuerunt, in obliuionem fere tranſiit; quin alii de inertia publice conqueſti, vt MONTANVS, FRACANTIANVS, GVARGVANTVS, IOHRENIVS, BROMFIELD rel. vel leuiori

uiori modo malo parem exiſtimarunt, vt PASCHALIS, SAPORTA, RVDIVS rel. (BOEHM *l. c. p. 26.*) vel in connubio modo mercurialium; prout Angli medici decoctum Sarſaparillae ſolutioni mercurii ſublimati ſaepe adiungunt (V. *Med. Obſ. et Inqu.*). Fiduciam nouiter inculcauit cl. FORDYCE (*l. c.*) caſibus pluribus in medium prolatis, quibus vim ſuam comprobauit. Decocto vero vſus eſt, ex radicis quantum fieri poteſt recentis vnciis tribus decoctae intra vas apertum in aquae fontanae libris ſex, donec remanſerint librae duae menſurae ciuilis; ſubinde ſaporis cauſa pauxillum radicis Liquiritiae addidit. Quam ipſam quantitatem praebiis duobus vel tribus intra nychthemerum propinauit. Saepe idque cito curationem abſoluit ſine ſudore et domi manendi neceſſitate, et absque diaeta nimis rigida, praeſertim caſibus, in quibus nec Guaiacum nec Mercurius aliquid praeſtiterunt. Sicque dolores nocturni oſteocopi vix tolerabiles conſopiti. Proficuum maxime fuit macilentis et ad phthiſin pronis; redierunt enim cibi deſiderium, toroſitas priſtina, vires. Cl. HVNTER quoque luem in homine quodam vlceribus inguinum ſimul foedato curauit. In pertinaciſſimis malis connubium eiusdem cum mercurialibus maximam vim praeſtat. Confirmat et vim decocti, aliis fruſtra in lue adhibitis, L. B. DE STÖRCK (*Ann. med. 2. p. 225. ſq.*). Simili, vt FORDYCE, modo adhibuit cl. PLENCK (*Mat. chir. p. 105.*)

optimo effectu, ſuadetque, vt vlcera crebro decocto expurgentur. Sudorem mouendo labem veneream tollere SYDENHAMVS (*Oper. p. 29. 114.*) arbitratur, quod vero non congruit cum cl. FORDYCE obſeruatis. — Addo hic formulam decocti Liſbonae inter medicos familiaris, quo incommoda poſt ptyaliſmum et vſum mercurii liberaliorem reſidua tollunt, etſi non vnice in hoc Sarſaparillae meritum: Rc. Rad. Sarſap. Santal. alb. et rubr. aa ʒiij, Glycyrrh. Mezer. aa ʒß Lign. Rhod. Guaiac. Saſſafr. aa ʒi Antim. crud. ʒij M. et infund. cum aqu. font. bull. ℔x per horas xxiv, dein coqu. ad ℔v. Colaturae capiat aeger ℔jß ad ℔v quotidie.

Reſoluens inſuper efficax a variis habetur, quo nomine in rheumatiſmis commendatur (SCHOLZIVS in *Conſ. craton. L. 2. Conſ. 6.*) et in tumoribus duris diſſipandis (SCVLTETI *Armament. chir. Obſ. 26.*) Praeſeruationi ab arthritide decoctum inſeruire notarunt WITTICHIVS, (*Conſ. med. 65.*) CLAVDINVS (*Exp. rat. L. 3. c. 24.*) SPIESSIVS (*de arthr. p. 61.*). In vlcere cancroſo naſi, alio vlcere eiusdem partis titillatione moleſto, pruritu demum eius cum rubedine foeda et genae dextrae, decocti internus vſus proficuus inſigniter fuit. In homine, qui proxime dicto malo laborabat, fomentatio ſimul adhibita eſt (BRISBANE'S *ſelect Caſes in the Practice of Med. p. 28.*).

In

In Marchia huic radici feliciter ſubſtituunt radicem *Caricis arenariae* L. (GLEDITSCH *alph. Verz. d. Arzn. p. 55.*).

140.

Pharm. CHINAE *Radix.*

Smilax China; caule aculeato teretiuſculo foliis inermibus ouato-cordatis quinqueneruiis LINN. *Sp. pl. p. 1459.* China Radix C. B. Smilax minus ſpinoſa fructu rubicundo radice virtuoſa China dicta KÄMPF. *Amoen. p. 781. Tab. 782.* RVMPH. *Herb. Amb. Auct. p. 72. Tab. 30.* vbi et radix depingitur. Conf. SAM. GOTTL. GMELIN'S *Reiſe durch Ruſſland T. 3. p. 32. Tab. 6.* quae praeſtat prioribus. Frutex cr. in China, Iaponia, Perſia ſeptentrionali (GMEL.), nec non in Iamaica (BROWNE).

RADIX eſt nodoſa, lignoſa, ponderoſa, epidermide fuſco-rubeſcente veſtita, intus pallide rubicunda. Fruſtis planis vulgo ſeruatur. Praefertur, quae ex India orientali prouenit, quae ipſa pallidior duriorque eſt Americana. Virtute vero poſteriorem priori non cedere creber apud Americanos vſus teſtatur (BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p. 359.*). Inodora, ſapore fere omni deſtituitur, niſi vnctuoſo: NIC. MASSA (in LVISINI *Aphrod. p. 86.*) tamen amaritiem et auſterum ſaporem tribuit maſticatae.

Circa annum 1535. in Europam incomparabilis in lue venerea remedii nomine translata fuit (THE-

VET *Cosmogr. vniuers. Lib. 11. c. 25.*). Decocti tum forma ingerebatur ex vncia vna radicis dissectae pauxillo aquae maceratae, dein in duodecim libris aquae ad consumtionem tertiae partis coctae. Huius poculum magnum calide in lecto ebibebatur, vt probe insudaret aeger per duas vel tres horas, sub commoda diaeta et vsu purgantium, si opus esset, sicque continuarunt per 24 dies; quibus peractis reliquiae radicis ex decocto pro potu ordinario inseruierunt. Vlcera, si quae adessent, fouebantur eodem decocto. (VESAL. *Epist. de radice Chinae in Aphrod. p. 584-598.* Cfr. et ASTRVC *de morb. ven. p. 112.*). Sed non parem esse lui venereae profligandae innuit FALLOPIVS (*Tract. de morb. gall. c. 60.* in *Aphrod. p. 802.*) C. BAVHINVS (*Lib. 2. compos. med. c. 10.*) ASTRVC (*loc. cit. p. 113.*) multique alii, quos citat. Nec hodie amplius vlla in fide contra hunc morbum est.

Non plus virtutis praestitit Imperatori R. CAROLO quinto in morbo articulari (VESALIVS *l. c.*). An verius in hydropisi, melancholia, lippitudinibus valet, in quibus felicem satis succesſum affirmat FALLOPIVS (*l. c.*), in obstructione lienis, (AMATVS LVSITANVS *Curat. 61. cent. 5.*) aliisque obstructionibus (RIVER. *Prax. med. Lib. 12. cap. 5.*) in phthisi, scabie, lepra? In demulcendo sanguine siue eiusdem acrimonia mitiganda, vnice illius efficacia, me iudice, consistit. Ita conducit post vario-

riolarum inſitionem infantibus per 14 dies ptiſanam ex hac radice bibere, ne minuta exanthemata propullulent (ROSENSTEIN *Bſkd. p. 185.*). Obeſitatem porro gignit (FALLOPIVS); quo fine a mulierculis Aegyptiis in balneis vſurpatur (diſplicent enim in gynaeceis arundinaceae feminae) et emaciatis vtiliter exhibetur (ALPIN. *med. Aegypt. p. 236. 253.*). Apud Americanos ſuibus pabulum radix praebet, idque, deficiente alio, vnicum eſt (BROWNE'S *nat. Hiſt. of Iam. p. 359.*).

R V S C V S.

LINN. *Syſt. veg. p. 751. Gen. pl. p. 534.*

141.

Pharm. RVSCI ſ. BRVSCI *Radix; Turiones; Semina.*

Ruſcus aculeatus; foliis ſupra floriferis nudis LINN. *Sp. pl. p. 1474.* Ruſcus C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* le Houx Frelon. Frutex in Heluetiae, Galliae, Italiae nemoroſis aſperis, ſaxoſis creſcens.

RADIX formatur fibris craſſis calami latitudinis, initio ſubdulcis, dein inſigniter amara. Invſitata. Contra hydropem adhibita. Aſcite conualuit mendicus, memoratus a RIVERIO (*Obſervat. Cent. 3. Obſ. 52.*) decocto per menſem integrum ſumto, purgatione per Sennam bis vel ter in auxilium adhibita. Aliud

ſimile exemplum narrat vti et bina de curato hydrope matricis IO. BAVHINVS (*Hiſt. univ. plant. T. 1. 582.*).

Ex numero QVINQVE RADICVM APERIENTIVM MAIORVM eſt

TVRIONES olim contra infarctus viſcerum adhibiti I. B.

SEMINA inſtar Coffeae toſta potum haud ingratum praebent et lotium pellentem (ZANNICHELLI *de Ruſco eiusque medicamentoſa praeparatione. Venet. 1727. 8.*).

142.

Pharm. UVULARIAE *Herba.*

Ruſcus Hypogloſſum; foliis ſubtus floriferis ſub foliolo LINN. *Syſt. veg. p. 751.* Laurus alexandrina fructu pediculo inſidente C. B. Icon: Hypogloſſum COLVMN. *Ecphr. Tab. 165. fig. 2.* Suffrutex in montibus vmbroſis Hungariae, Italiae, Liguriae creſcens.

HERBA adſtringens. Contra vuulae prolapſum adhibita. Sed hodie obliuioni data, quum meliora ſuppetant.

ME-

MENISPERMVM.

LINN. *Syſt. veget. p. 748. Gen. pl. p. 530.*

143.

Pharm. COCCVLI INDI (*Baccae*).

Meniſpermum Cocculus; foliis cordatis retuſis mucronatis, caule lacero LINN. *Sp. pl. p. 1468.* Cocculus officinarum C. B. Tuba baccifera RVMPH. *Herb. Amb. p. 35. Tab. 22.* Arbor creſcens in India inter rupes et ſaxa maritimarum orarum, ſub vmbris altarum arborum, e. gr. in Zeylona, Malabaria, Iaua, Amboina.

FRVCTVS bacca eſt nucem includens reniformem rugoſam, quae ex putamine fragili et medulla ſ. nucleo albo componitur. Hac forma in officinis obuia. Baccis apud Indos piſces capiuntur et enecantur, dum ſcilicet ſemimaturae, cum cancellis Koeman ſ. Bernard l'hermite dictis, qui in quibusdam cochleis reperiuntur, conteruntur et ſic in pilulas formatae in aquam proiiciuntur. Hac paſta auide a piſce deuorata vertiginem concipit et quaſi inebriatur, ita vt ad aquae ſuperficiem delatus capi facile queat. Hiſce baccis quoque aves Paradiſiacas irretiunt, proiectis illis in foueas, vbi aqua pluuialis ſtagnat, quam ipſam aues bibunt. Quin gentibus iſtis ad vaccas hircosque capiendos inſeruit, ſed ſub connubio fructus Incos, vt inebriatum animal transfodi facile poſſit

(RVMPH. *l. c.*). Ambiguum eorundem effectum esse, haec saltim docent. Contra pediculos valere insuper legitur (DALE *Pharm. p. 345*). An homini pariter venenum, nondum satis constat?

CISSAMPELOS.

LINN. *Syst. veg. p. 750. Gen. pl. p. 533.*

144.

Pharm. PAREIRAE BRAVAE *Radix.*

Cissampelos Pareira; foliis peltatis cordatis emarginatis LINN. *Sp. pl. p. 1473.* Clematis baccifera glabra et villosa, rotundo et vmbilicato folio PLVMIER *Plantes de l'Amer. 78. Tab. 93.* Caapéba PISO *Ind. hist. uat. p. 261.* Pl. perennis Americae australis, nominatim Brasiliae, volubilis.

Nomen pharmaceuticum Lusitanicum est, significans vitem feram.

Folia vulnera sanare vel integre vel contusione praegressa applicata feruntur (SLOANE *Hist. Iam. Tom. 1. p. 201.*). Succus horum expressus contra serpentum morsus praedicatur a PISONE (*l. c.*), qui et radicem cum foliis contusam et vino haustam assumti veneni vim retundere refert.

RADIX vero, praecipue celebrata, est lignosa variae crassitiei, ab ista digiti ad brachii infantilis vsque, extus cortice rugoso brunoque obducta interne

ob-

obſcure flaueſcens, ex annulis concentricis conſtans. Sapor eiusdem amaro dulcis, odore autem caret. Notatur et alia ſpecies extus alba, interne citrina, cui, dum recens eſt, color carneus adſcribitur, dein palleſcens (GEOFFROY *Hiſt. de l'Acad. d. ſc. 1710. p. 57.*). Poros, farinam, ſales radicis LEVWENHOEKIVS (*Epiſt. phyſ. 44. p. 417.*) microſcopio ſcrutatus eſt, et, huius quoque ope, admiſto ſanguini decocto eiusdem globulos fuiſſe diſperſos vidit, vt inde ad vim ſanguinem ſoluendi concludas (*l. c.*). Americanis iam dudum accepta fuit. Hiſce nimirum aqua vel cereuiſia vel vino macerata pro potu ordinario fuit in renum vretherum et veſicae obſtructionibus, et magnates Luſitani nullum in calculi moleſtiis tollendis aliud remedium excellentius agnouerunt (PISO *l. c.*). Diuretica vi planta apud Nigritas Iamaicae ſeſe commendat, qui in primis radicem eo fine in decoctis adhibent (BROWNE *Hiſt. of Iam. p. 357.*).

Senſim vero et ab Europaeis cum ea experimenta capta, poſtquam, vt vero ſimile, Luſitani in Europam eam transuexere. Pariſios per Regis Galliae legatum, AMELOT, a. 1688. peruenit (*Hiſt. de l'ac. d. ſc. de Paris 1710. p. 56.*), tumque varii medici Galli eius vſum fecere, interque hos HELVETIVS, qui in *Traité des maladies les plus frequentes et des remedes ſpecifiques*, eius mentionem aliquoties honorificam iniicit. In Germania nondum initio ſeculi famam excitauerat,

ſed multum ibidem ad eiusdem exiſtimationem contulit LOCHNERVS (*Schediaſma de Pareira braua Norimb. 1719. Ed. 2.* in 4.) caſibus potius diſtincte prolatis, quam luxuriantis eruditionis ornamentis, quibus obuelantur.

Specificum contra omnia renum mala et veſicae non dubitat vocare HELVETIVS, affirmans calculos oliuae magnitudinis inde feceſſiſſe, ſicque lithotomiae neceſſitatem diſparuiſſe, non diffitens tamen non in omnibus eandem efficaciam demonſtraſſe. Negat quidem radice calculos vere frangi cl. GEOFFROY (*Mem. de l'ac. d. ſc. l. c. p. 57.*), ſed pituitam, qua ſabulum nectitur et in verum calculum conferruminatur, ſolui arbitratur, et copiam ſabuli poſt vſum ſecerni, hincque vix vnquam in colica nephritica fruſtrari ſpem obſeruauit. LOCHNERO (*l. c. p. 66.*) laudes etſi reſtringenti ſaepe in nephritide calculoſa ſubuenit, aliis multis fruſtra tentatis. Valuit et in vlceribus renum et veſicae, ſuppreſſionemque lotii tenacis feliciter ſuſtulit (GEOFFROY *l. c. p. 58.*). Succeſſit etiam in hydrope, in morbo tympaniti haud abſimili ex pituita vitrea intra primas vias collecta, contra vermes in vrinae veſica deliteſcentes (LOCHNER *p. 83.*), in aſthmate (IDEM. *p. 81.* et GEOFFROY *l. c.*) humido (HOFFM. *Med. ſyſt. T. 4. P. 2. p. 272.*), in ictero a bile craſſa (GEOFFROY *p. 58.*), in fluore albo (LOCHNER *p. 78.* CARL'S *med. Rathſchläge 12. p. 67.*)

Pa-

Patet ex hiſce, vi ſingulari pollere in tenacibus humoribus ſoluendis.

Quo de radicis efficacia tanto certiores euadamus, praeſtat eandem ſolam vel in puluere ad drachmam dimidiam vel integram pro doſi aliquoties de die (LOCHER et GEOFFROY) capere, vel in infuſo ſiue decocto, drachmas ſcilicet duas vel tres in libra ſeſquialtera aquae, decoquendo, donec ſuperſit libra vna, hancque quantitatem in tres partes diuidendo. (GEOFFROY). Varia tamen connubia a quibusdam facta, prout LOCHNERO miſcela cum Acmella, vel cum Speciebus decocti nephritici FORESTI, vel cum Lino cathartico placuit. Sic et cl. BLACKRIE (*Diſquiſition on medicines that diſſolve the ſtone T. 2.*) ſolitus erat contra vrinam cruentam et vlcera viarum vrinariarum radicem vna cum dimidia parte foliorum Vuae vrſi decoquere. Tinctura et extractum ſpiritu vini factum fortiorem ſaporem habet praeparatis aquoſis huius generis, hinc et vi antiſtant.

PRAEPARATA.

ESSENTIA PAREIRAE BRAVAE *Ph. Wurt. p. 84.* Fit ſpiritu vini.

ARI-

ARISTOLOCHIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 686. Gen. pl. p. 467.*

145.

Pharm. SERPENTARIAE VIRGINIANAE *Radix.*

Ariſtolochia Serpentaria; foliis cordato-oblongis planis caulibus infirmis flexuoſis teretibus, floribus ſolitariis LINN. *Sp. pl. p. 1363.* Ariſtolochia Piſtolochia ſ. Serpentaria virginiana, caule nodoſo CATESBY *nat. Hiſtory of Carol. T. 1. p. 29. Tab. 29.* Conf. deſcriptio BANISTERI in *Phil. Tranſ. Vol. 20. p. 467.* Planta perennis Virginiae.

RADIX formatur fibrillis numeroſis ex trunculo communi erumpentibus, extrinſecus bruna, interne pallidior. In pharmacopoliis huic ſaepe particulae herbae adhaerent. Sapor amarus pungens, odor aromaticus. Tam aquam quam ſpiritum vini imbuit vi ſua. Extractum tamen ſpirituoſum fortius eſt altero, et hoc dimidium modo ponderis alterius ſ. aquoſi conſtituit. Eſt ex genere, quod plures ſpecies cum grato aromate amaras complectitur.

Primus eius mentionem fecit THOM. IOHNSON (GERARD'S *Herbal 1633.*), maximeque probabile, CORNVTVM (*Canad. plant. p. 214, a. 1635.*) ſub nomine Radicis Snagroel nothae Americae hanc intellexiſſe. Et-

Etenim celebrata olim in America tanquam antidotum veneni ſerpentum. Morſum ſerpentis venenatiſſimi Boicininga eadem eneruari (DALE *Pharm. p. 194.*) fertur, quod fieri vlterius deſcribitur maſticata hac planta et ſucco deglutito, foliis quoque contuſis vulnerique applicatis (GEOFFROY *M. m. T. 2. p. 248.*).

Id certe communi conſenſu agnoſcitur, pollere inſigni efficacia in febribus, ob virium deiectionem vel humorum putredinem, malignis, et illas potenter erigere, hanc manifeſte coërcere. Vim antiputredinoſam eiusdem eximiam confirmant et experimenta extra corpus (PRINGLE'S *Diſ. of the army App. Experim. 7. 11. 14.*), quae tamen vel nihil, vel parce modo adſtringit (*Experim. 17.*). In febre putrida maligna, tertio ſtadio, quando ſtupor inſignis pulſusque nimis debilis ſentitur, delirium inſtat et petechiae apparent, Serpentaria vi vitali proſpicitur. Eo fine decoctum addito tantillo liquidi ſpirituoſi conducit, vel puluis radicis in ſubſtantia a ſcrupulis duobus ad drachmam integram. Praeſtans quoque eiusdem miſcela cum cortice peruuiano eſt (PRINGLE *loc. cit. p. 312. ſq.*). In febre bilioſa putrida praeuertit gangraenae et pulſum febremque neceſſariam concitat. Tertio iam die vel maturius tum locum habuit, pulſu nimirum ſubmiſſo. Forma infuſi in hoc morbo commodiſſima viſa (HILLARY *Diſ. of Barb. p. 165.*). Non minus proficua in angina gangraenoſa eſt, tam initio morbi, quam ma-

malignis quibusdam ſymptomatibus ingruentibus, ea tamen doſi, vt non poſſit ſudorem pellere. Iungitur ſimul vtiliter gargariſma ex decocto baccarum Sumach et Serpentariae cum tantillo aluminis, nec pro rei conditione alia topica negligenda (*Med. Obſ. en Inqu. Vol. I. p. 219. ſq.*). Subuenit et, ſi quid vnquam, decoctum huius radicis in dyſenteria viribus collapſis et pulſus infirmitati, vel in connubio corticis peruuiani vel Theriacae (PRINGLE *Diſ. p. 274.*).

Nec in febribus intermittentibus ſpernenda, quas eadem curauit SYDENHAMVS (*Oper. p. 310.*) in pauperibus ante paroxyſmum vino data, et ſudoris intra ſtragula ſimul probe habita ratione. Conſtitit et ſubinde eiusdem connubio vires corticis peruuiani auctas et breuiori tempore citiusque febrem ſublatam; quo fine corticis ſcrupulis duobus vnus radicis admixtus (LYSONS'S *practical Eſſays upon intermitting Fevers etc. p. 16.*).

In puluere plerumque a granis decem ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam exhibetur. Praeter dictas miſcelas, alias cum ſale ammoniaco vel camphora rel. pro re nata experientia probat. Sic et decoctum vulgare eſt.

PRAEPARATA.

ESSENTIA SERPENTARIAE VIRG. *Ph. W. p. 85.* Fit ſpiritu vini.

TINCTVRA *Ph. Lond. p. 72.* Spiritu vini tenuiori.

TIN-

TINCTVRA *Ph. Ed. p. 47.* Digeſtio ſit radicis cum aqua epidemia et Coccinella.

146.

Pharm. ARISTOLOCHIAE ROTVNDAE *Radix.*

Ariſtolochia rotunda; foliis cordatis ſubſeſſilibus obtuſis, caule infirmo, floribus ſolitariis LINN. *Sp. pl. p. 1364.* Ariſtolochia rotunda flore ex purpura nigro C. B. BLACKWELL *Tab. 256.* Pl. perennis auſtralis Europae.

RADIX rotunda, rugoſa, bruna, interne rufa. Iungenda ſtatim cum hac

147.

Pharm. ARISTOLOCHIAE LONGAE *Radix.*

Ariſtolochia longa; foliis cordatis petiolatis integerrimis obtuſiuſculis, caule infirmo floribus ſolitariis LINN. *Sp. pl. p. 1364.* Ariſtolochia longa vera C. B. Icon: MILLER'S *Figures Tab. 51. Fig. 2.* Pl. perennis eiusdem patriae.

Vtramque olim combinauit LINNEVS in vnam ſpeciem, iam vero disiungit, licet affinitatem vtriusque etiamnunc non diffiteatur.

Poſterioris RADIX longa eſt ad dimidium pedem vsque, extus fuſca et rugoſa, interne vero flaua. Haec quoque nauſeoſa amara cum ſenſu quodam acrimo-

moniae et odore forti. Rotundam esse efficaciorem SCHRÖDERVS (*Pharm. p. 538.*) innuit, abstergere potentius altera FERNELIVS (*method. med. Lib. 6. cap. 12. p. 163.*); huicque saporem acriorem et magis amarum tribuit SPIELMANNVS (*M. m. p. 199.*). C. HOFFMANNVS (*Med. offic. p. 135.*) contra longam, calidiorem et saporis manifestius amari et acris, pronunciat. In praxi promiscue praecipiuntur. Hinc virtutes heic vna exponendae.

Vterinum sanguinem pellunt, vnde nomen traxisse originem videtur, etsi alii ab inuentore (CICERO), vel inuentrice (NICANDER), deriuent. In menstruis vel lochiis suppressis vel secundinis retentis iam antiquitus (HIPPOCR. *de nat. muliebri p. 572. oper.* FOËSII) in laude, nostro tamen tempore senescente. Inclaruit praeterea vis eius resoluens, in obstructionibus viscerum et asthmate (FERNEL. *l. c. Lib. 5. cap. 7. p. 110.*) conspicua. Asthma scorbuticum nominatim indicat SIM. PAVLLI (*Quadrip. bot. p. 24.*).

Amara prout iam dudum contra arthritidem, quocunque iure id fiat, auctoritatem nacta: ita in communionem praeconii Aristolochiae transierunt. Inter veteres GALENVS (*L. 6. simpl.*), MESVË (*L. 2. de purg. simpl. c. 27.*), RHASES, efficaciam agnouerunt. Post hosce non dubitauit GVAINERIVS (*de aegritudinibus iunctur. c. 29.*) ex drachma vna Aristolochiae rotundae cum aqua mellis per mensem vere et hieme bi-

bibita, perfectam contra podagram immunitatem promittere. Arceri hacce radice paroxysmum affirmat SIGISM. KOLREVTERVS (*Tract. de arthr. c. 8. p. 52.*). Pertinet et huc olim celebratum secretum antipodagricum Episcopi Monasterienſis, quod ex VALENTINO recenſet SPIESSIVS (*de arthr. p. 57.*): ex radice Aristol. longae vnciis tribus et spiritus Iuniperi vulg. Mensura vna, digestis per duodecim horas et colatis, cuius cochlearia tria omni aurora capienda per duos menses, hinc bis in septimana iteranda. Ab hac non multum differt Essentia saturata, ex Aristol. rot. radice et spiritu vini rhenani parata, et ad quinquaginta guttas, bis vel ter per septimanam probo successu praeseruatiuo scopo hominibus morbo obnoxiis exhibita (KLAVNIG in *Eph. N. C. Cent. 5. Obs. 66. p. 113.*); et alia, vt videtur, dilutior praecedenti, a BRVNNERO (HELD in *Eph. cit. Cent. 6. Obs. 86. p. 364.*) in podagricis praecipue phlegmaticis vtiliter tentata, ex radicis Aristol. long. vnciis duabus et spiritus vini libris tribus digestis, data ad duo cochlearia per duos menses, postea hebdomadatim bis per integrum annum. Non minus eximio solatio extractum radicis resinosum forma pilulari ad grana quindecim captum fuit (KLAVNIG *l. c.*). Ingreditur et alterutra harum radicum celebratum nimium ante paucum tempus *Puluerem antiarthriticum* Ducis Portlandiae vel Principis Mirandolae, cuius haec formula: Rc. Rad. Aristol. rotund. Gentian. Summit. et Fol.

Chamaedr. Chamaepit. Centaur. min. aa M. F. puluis. Huius drachma vna quouis mane ieiuno ventriculo in cyatho aquae et vini vel alio vehiculo commodo sumitur per spatium mensium trium; tum diminuitur dosis ad $\frac{3}{4}$ drachmae per tres menses, postea ad drachmam dimidiam per sex menses; post annum vnum sufficit drachma dimidia alternis diebus. Saepe vsus binorum annorum requiritur; nam lente vim exserit. Ita quidem, nisi ratio, certe consuetudo praecipit, quae in specificis sic dictis plerumque minutula curat. Nomen Anglicum a Duce tulit, diu arthritide hereditaria affecto, sed vsu huius remedii insigniter leuato, qui ipse publici quoque iuris formulam fecit (CLEPHANE in *med. Obs. et Inqu. T. 1. p. 126.* Conf. et *Chirurg. Pharmacy p. 340.*). Sed tantum abest, vt Anglicanum inuentum sit, vt similes formulae ex amaris in arthritide veteribus iam familiares, vt GALENO, AËTIO, TRALLIANO, PAVLO AEGINETAE rel. qui ipsi ista non nisi frigidae et phlegmaticae temperiei hominibus dederunt, calidis autem et biliosis tanquam noxia repudiarunt. In Gallia ille puluis iam dudum pulueris Principis Mirandolae nomine notus, cuius compositionem TOVRNEFORTIVS (*Hist. des plantes de Paris T. 1. p. 122.*) addita tantum radice Centaurii maioris, designauit. Et in *Codice medicam. Paris.* (*p. 65.*) puluis arthriticus amarus dicitur. — Id vero de amaris hoc in morbo in vniuersum sciendum, etsi protra-

tractiori eorum vſu primarum viarum acor frangatur roburque harum reſtituatur, immodico tamen grauari ventriculum, et vel incenſo vltra digeſtionis vim appetitu, diaetae errores ciëri vel digerendi ingeſta poteſtatem ſufflaminari, et calida ſua natura nocere iis praecipue, quibus plethora temperiesque ſponte calida contingit. Et haec quidem in connubio ſpirituoſorum, ſecundum exempla ſupra allegata, tanto damnoſiora (BRVNNERVS *de pancr. p. 143.* WERLHOF *Caut. med. Tract. 1. p. 32.*). Hinc ex puluere antiarthritico multi apoplexiam, paralyſin vel morbos acutos, ſenes praecipue, contraxerunt (*Chir. Pharmacy l. c.*). Et in homine quodam arthritis quidem inde ſedata ſed reſpiratio difficilis, tuſſis ſicca morsque ſubitanea ſucceſſit, tuberculis pulmonum poſt mortem conſpicuis (GAVBIVS in *Verhandelingen door de Holl. Maatſchappye d. Weetenſch. P. 4. p. 305.*).

Quum ſpongioſa radix ſit, ad fonticulos dilatandos confert (ALSTON. *M. m. Vol. 1. p. 392.*). Nec infrequens vſus pulueris inſperſi vel decocti ad detergenda vlcera ſordida et ſpongioſa, vel iniectionum in fiſtulis. Speciatim extollit vim pulueris aqua decocti et intra petiam applicati, vel et lotionem, in vlceribus vetuſtis tibiarum SIM. PAVLLI (*l. c. p. 24.*). Sic et clyſmate haec radix vlcera ex haemorrhoidibus internis ſanauit, et metum fiſtulae futurae diſſipauit (CHOM. *Vſuelles T. 1. p. 207.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLVIS ARTHRITICVS AMARVS *Cod. Paris. p. 65.* f. PVLVIS PRINCIPIS MIRANDOLAE. f. DVCIS PORTLANDIAE V. supra.

148.

Pharm. ARISTOLOCHIAE VVLGARIS (vulgo) f. ARISTOL. TENVIS Ph. Lond. *Radix.*

Aristolochia clematitis; foliis cordatis caule erecto, floribus axillaribus confertis LINN. *Spec. pl. p. 1364.* Aristolochia clematitis recta C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* l'Aristoloche clematite. Pl. perennis, crescens in Gallia copiose in vineis fossisque, in Austria, Tataria.

RADIX tenuis, repens, vnde in hortis molestе luxuriat. Odore et sapore praecedentibus similis. FVCHSIVS quoque et DODONAEVS viribus conuenire affirmant. Et reliquis frequentius in Scotia adhibetur (ALSTON *M. m. T. 1. p. 391.*). Quamobrem ad hanc transferre licet virtutes supra memoratas, quas inter ad antipodagricam praecipue respectum. Hac nominatim in extracto vel puluere, praecipue autem Essentia simplici, praecautum est insultui, rarius iam natus deuictus. Nec minus commoda in alia Essentia composita, ex baccis Iuniperi, Caryophyllis, Cinamomo, et in superando malo visa est. Quin eam praerogatiuam habet haec radix prae aliis sui nomi-

minis, quod aluum blande laxet, minus ſanguinem commoueat, et ſpaſmos in ſuris podagricorum inſultum praeſagientes ſopiat. (HELD in *Eph. N. C. Cent. 6. p. 363. ſq.*)

Foliorum puluis a veterinariis vlceribus equorum ſanandis inſpergitur (HELD *loc. cit.*).

149.

Pharm. ARISTOLOCHIAE TRILOBATAE *Herba; Radix.*

Ariſtolochia trilobata; foliis trilobis caule volubili, floribus maximis. LINN. *Sp. pl. p. 1361.* Ariſtolochia folio hederaceo trifido, maximo flore, radice repente PLVM. *Spec. 5.* Conf. BERGIVS in *Vet. Ac. Handl. 1764. p. 239.* IACQV. *Obſ. bot. P. 1. p. 8. Tab. 3.* Pl. herbacea, Surinami et in Iamaica creſcens.

Non recepta hucusque in officinas, ſed quas in ſenſus mutationes excitat, et quae in patria de eius efficacia explorata ſunt, dignum eam medicorum attentione reddunt. Odore graui, eaque amaritie HERBA inſtruitur, qua fere Padus. Chemicis experimentis conſtitit, infuſi aquoſi vel pulueris forma vſui interno eſſe accommodatiſſimam; nam ſpiritu vini et coctione et deſtillatione ſapor odorque valde debilitantur (BERGIVS *l. c. p. 241.*). In America contra ictus ſerpentum familiaris eſt (BARRERE *Hiſt. nat.*

de *la France Equinox. p. 16.*). Surinami nominatim in infuſo cum alia planta, Amara dicta, tanquam febrifugum et in aliis multis morbis ingeritur (IACQV. *l. c.* ex ore ill. DE HAEN, cui Surinamo id perſcriptum). Teſte quoque cl. ROLANDRO, olim in America meridionali commorato, ibidem praemunire corpus contra contagioſos morbos creditur et antidotum habetur, quin telorum venenatorum (*Handl. l. c. p. 240.*). In Europa neminem ſcio, qui tentamini medico ſubiecerit, praeter cel. BERGIVM. Grana ſex ad viginti STIPITVM manifeſtam ſudoris eruptionem produxiſſe in ſanis ſub experimento obſeruauit. Semel puero a ſerpente venenato commorſo exhibuit, quum, variis licet ante tentatis, totum corpus intumuiſſet, vehementerque doluiſſet, ad ſenſum autem frigidiſſimum. Dederat eius aliquot drachmas in infuſo, ſub connubio externae inunctionis olei Lini camphorati: ob defectum vero remedii reliquum curationis oleo dicto perficere oportuit.

RADICI grauis odor ineſt, hancque in Iamaica, ob incidendi, ſudorem pellendi et ventriculum roborandi virtutem, magni faciunt (BROWNE'S *nat. H. of Iam. p. 329. Spec. 3.*).

150.

Pharm. ARISTOLOCHIAE ANGVICIDAE *Radix.* *Ariſtolochia anguicida;* foliis cordatis acuminatis, caule volubili fruticoſo pedunculis ſolitariis, ſtipulis

lis cordatis LINN. *Sp. pl. p. 1362.* Conf. IACQV. *ſel. ſt. amer. p. 232. Tab. 144.* Frutex cr. in Indiis, nominatim Carthagenae Americes in fruticetis.

Nauſeoſum odorem tota planta ſpargit. Succus vero RADICIS, maſticatione ſaliua commiſtus, ſi inſtillatur ſerpenti ad guttam vnam vel alteram adeo per tempus inebriatur, vt impune tractari queat. Pluribus guttis deglutitis ſub conuulſionibus moritur. Gratum circumforaneis artificium, vt quaeſtus cauſa venenatos ſerpentes contrectent. Odor ſerpentibus tam ingratus, vt oblata modo radice aufugiant. Succus ingeſtus nauſeam excitat. Fertur etiam externe vulneri, a ſerpente recens inflicto, impoſita vel interne vſurpata morſus periculum auertere (IACQVIN *l. c.*).

ASARVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 367. Gen. pl. p. 235.*

151.

Pharm. ASARI *Radix; Folia.*

Aſarum europaeum; foliis reniformibus obtuſis binis LINN. *Sp. pl. p. 633.* Aſarum C. B. Ασαρον DIOSCOR. videtur. Icon: *Fl. Dan. Tab. 633.* Pl. perennis, vulgaris praeſertim in coryletis.

RADIX fibroſa eſt, coloris griſei vel bruni, ſaporis nauſeoſi, acris, amaricantis, odoris grauis, ſubaromatici, vt in Nardo Celtica vel Valeriana fere.

Vomitum ciëre aluumque mouere inter omnes conſtat. Ob priorem effectum tanti fecit ill. A LINNÉ, vt Ipecacuanhae ſubſtituendam ſuaſerit (*Am. ac. T. 7. p. 307.*). Hic idem in puluere tenerrimo exhibitam emeſin creare, in groſſiori autem aluum ſollicitare absque euerſione ventriculi, notat (*l. c.* et *Fl. Suec. p. 161.*); propriane experientia, an potius teſtimonio MATTHIOLI (in DIOSC. *p. 36.*) ductus? qui ita mentem MESVËS (*de ſimpl. c. 22. p. 45.*) explicat, licet Arabs, quo tenuius tritum eo magis vrinam mouere, minus autem aluum ducere, edixerit. Poſt moram duorum vel quatuor annorum blandius operatur in ciendo vomitu et alui purgatione. Sic quoque feuerior ſiccatio eam hiſce viribus plane priuat (NEVMANN'S *Chemie*, Ed. ZIMMERM. *p. 897.*). In puluere certiſſime ventriculum vellicat, cuius doſin ſcrupulum vnum aſſignat RONDELITIVS, drachmam dimidiam KLAVNIG, drachmam integram LINNEVS (*M. m. p. 119.*). Seruat et hanc vim radix, vino infuſa (ALSTON *M. m. Tom. 1. p. 395.*). Sed infuſa vel decocta cum aqua primum amittit vim emeticam, dein catharticam, ſaltim mediocris pro ſecundo ſcopo coctio requiritur (RAII *Hiſt. vniv. pl. T. 1. p. 208.*). Mutantur vero tum iſtae vires in diureticam et diaphoreticam.

In intermittentibus diuturnis, teſtibus MATTHIOLO, KLAVNIGIO, PETZOLDO, Berolinenſibus

bus (*Act. med. Berol. Dec. 1. P. 9. p. 37.*) aliisque multis, auxilio fuit, nisi velis subinde euacuando hasce vnice disputisse; in menstruis pellendis, quae potestas adeo insignis narratur, vt meretriculae decoctum, grauidas sese sentientes, frequenter malo consilio ingesserint (RAY *l. c.*); in hydrope (RVLANDI *Curat. emp. L. 4. p. 342. Lib. 3. p. 219. 229.*).

Adiungenda radicis vis errhina, de qua mox vlterius.

FOLIA effectu cum radice congruunt. Efficaciora fere folia pro vomitorio vel cathartico vsu habet LINNEVS, ad numerum sex contusa et macerata frigide per noctem in vini vncia vna (*Am. ac. l. c.*). Tanquam errhinum adhuc celebratiora, pulueris eorum granis binis vel pluribus naribus attractis. Non vero ilico effectus sese exserit, sed tempore aliquo post, et tum non mucum modo sed subinde ipsum sanguinem prouocat (QVINCY *Pharm. p. 188.* ALSTON *M. m. Tom. 1. p. 394.*), idque quidem sine sternutatione. Et hoc quidem momento folia videntur esse radice debiliora (LEWIS *M. m. p. 113.*). Hoc modo aliquando cephalalgia dira (WHYTT *on nerv. dis. p. 513. Works p. 710.*), inflato autem puluere in meatum auditorium surditas (COLBATCH *Discourse on acid and alcali P. 1. p. 164.*) curata. Profuit et puluis naribus exceptus in ambiguo morbo hydrope cerebri, ad lympham e capite detrahendam (WHYTT'S *Works p. 745.*). Sic-

que vlcus ſinus frontalis feliciter euacuatum (DESMARS in VANDERMONDE *Recueil period. 1757. p. 70.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM ASARI *Ph. Wurt. p. 89.* Spiritu vini fit, ad ſcrupulum vnum ſupraque datum in pilulis. LINNEO ſcopis dictis commodum (*Amoen. ac. p. 307.*).

TINCTVRA ASARI *Cod. Pariſ. p. 211.*

ELECTVARIVM DIASARON FERNELII, ad vnciam dimidiam, obſoleuit; ita et COAGVLVM ASARI HARTMANNI, ad gr. quindecim vel viginti exhibitum.

PVLVIS STERNVTATORIVS *Ph. Lond. p. 89.* Ex foliis Aſari, Maioranae, Mari, et floribus Lauandulae contritis.

PVLVIS CEPHALICVS *Ph. Edinb. p. 71.* Ex foliis Aſari et Maioranae.

ORDO.

ORDO. IX.
STELLATAE.

RVBIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 218. Gen. pl. p. 52.*

152.

Pharm. RVBIAE TINCTORVM *Radix.*

Rubia tinctorum; foliis annuis, caule aculeato *Syſt. veg. l. c.* α, Rubia ſylueſtris aſpera C. B. β, Rubia tinctorum ſatiua C. B. Ἐρυθροδανον vel Ἐρευθοδανον Graecorum. Icon REGNAVLT *Botan.* La Garance. Pl. perennis, ſponte creſcens in Heluetia, Italia, Monſpelii.

RADIX reptans fibris calamum anſerinum craſſis ex trunculo nodoſo oriundis, profunde rubra, ſaporis ſubamari, et aliquantum ſiccantis. Plerumque illi quoque auſterus ſapor tribuitur: ſed ſolutionem vitrioli non obfuſcat (ALSTON *M. m. T. 1. p. 377.*). Ex odore vim aliquam antiſpaſmodicam colligit LVDWIG (*Aduerſ. med. pract. T. 1. p. 752.*).

Ob colorem rubrum gratum eumque conſtantem, quem radix Lino, Lanae, Goſſypio impertit (vid. HELLOT *l'art de la teinture des Laines et des Etoffes des Lai-*

Laines en grand et petit teint p. 369.) ſollicite colitur in Anglia, Gallia, Belgio, Heluetia, in Germaniae Sileſia, Marchia et alibi. Artem colendi et praeparandi abunde docuerunt DV HAMEL (*Memoire ſur la Garance et la Culture avec la deſcription des ſes etuves pour la deſſecher et des moulins pour la pulveriſer Paris 1757. 4.*) *Mr.* L. DE MARSEILLE (*Traité de la Garance ou Recherches ſur tout, qui a rapport a cette plante, ouvrage egalement utile aux cultivateurs et aux teinturiers Paris 1768. 12.*) GLEDISTCH (*verm. Abhandl. T. 2. p. 305.*) REVELLI (*Inſtruzioni ſulla cultura e preparazione della Garanza Turin 1770. 8.*). Color alcali eleuatur, acido obſcuratur. Nec ſiccata modo ſed et recens tingit. Zelandica radix medio punctum prodit (HALLER in BOMARE *Diction. T. 5. p. 30.*) obſcurius. Hinc praefertur, quae tota rubra eſt. Indica excellit viuo colore. — Tingit tam aquam quam ſpiritum vini et olea deſtillata rubedine ſua (LVDWIG *l. c.*).

Singulari exemplo caſu primum, dein experimentis crebris, conſtitit, illam in ipſa adeo oſſa colorem ſuam transferre. Idque, quantum ſcimus, primum ANTONIO MIZALDO (*Memorab. vtil. ac iucunda Cent. 7. aph. 91. Lutet. 1566.*) innotuit, vtqui, Erythrodanum, inquit, vulgo Rubia tinctorum dictum, oſſa pecudum rubenti et ſanguineo colore imbuit, ſi dies aliquot illud depaſtae ſunt oues. Cuius quidem narrationis ratio non eſt habita, donec IO. BELCHIER, Chi-

Chirurgus Anglus, prandens apud tinctorem ossa rubra intra carnem suillam miraretur; cuius vero coloris causam hospes Rubiam tinctoriam, cum furfuribus ad pannos abstergendos vsurpatis, a sue comestam indicauit. Perculsus rei nouitate de ea coram Societate scientiarum Anglicana exposuit, ipse experimenta addens (*Phil. Transf. Vol. 39. n. 442. p. 287. sq. et n. 443. p. 299. sq.*). Repetita dein experimenta in Italia a MATTHAEO BAZANO (*Comment. Bonon. T. 2. P. 1. p. 129. Part. 2. p. 124. sq.*); in Gallia a GEOFFROY, DV HAMEL (*Mem. de l'ac. des sc. a. 1739. 1743. Phil. Transf. n. 457.*) a FOVGEROVX (*Memoires sur les os*); in Germania a LVDWIGIO (*Quaest. med, an os fiat ex membrana et cartilagine, an in vtrisque Lipsiae 1743.*), IO. BENIAM. BÖHMERO (*Progr. quo callum ossium e Rubiae tinctorum radice pasta describit* et EIVSD. *Diss. radicis Rub. tinct. effectus in corpore animali Lipsiae 1751.*), DETHLEFIO (*Diss. de ossium calli generatione Gott. 1753.*) DELIO (*Diss. de callo et cicatrice*) STEINMEIERO (*Diss. de Rubia tinctorum Argent. 1762.*) LÖSECKIO (*Obs. anat. chir. med. p. 44.*). Sicque adhucdum in collectione praeparatorum theatri anatomici Gottingensis varia elegantia sceleta volucrium radice hac, sub perillustris HALLERI moderamine, pastarum probe tincta seruantur. Exhibetur vero brutis radix in puluerem trita aqua lacteque subacta, vel furfuribus siue farina mista vel in bolis vi intruditur. Quo

iu-

iunius animal, eo magis ſuccedit experimentum. Interdum animalia ſub eodem pereunt, generatim languent et extenuantur. Selectus praecipue in hunc finem canum, porcorum, gallinarum, columbarum, factus. In columbis et pullis gallinaceis tertio vel quarto die a comeſta Rubia exſtinctis, conſumtis vix drachmis duabus vel tribus oſſa eleganter roſea euaſere (BÖHMER *Diſſ. cit.*). Oſſa firmiora et duriora magis et elegantius, e contrario autem rara et ſpongioſa minus debiliusue rubent; idem accidit in vno eodemque oſſe, in quo medium magis rubet, quam extremum, item externa facies magis quam interna. Tumida ſpongioſa et friabilia inde euaſiſſe ſtatuit ill. DV HAMEL, quod vero BAZANVS et BÖHMERVS negant. Perit vero ſenſim rubedo oſſis, ſi, loco Rubia permixti, conſuetum pabulum animali per aliquod tempus offertur (BÖHMER); licet LÖSECKE (*Wahrnehm. p. 76.*) aſſeueret, ſe ipſos dentes in cane poſt quatuor adhuc annos rubentes vidiſſe. Haec tamen tinctura neque in cartilagines nec tendines, nec ligamenta, nec perioſteum cadit. Sed vnice oſſa tinguntur, in quorum telam celluloſam puluiſculus manifeſtus deponitur, et in hiſce cruſtae rubrae oſſis partes albas ambeunt. Ipſos dentes tingi, vt ex exemplo allato colligitur, ita alio confirmat BÖHMER (in *Epiſt.* HALLER *T. 3. p. 59.*). Ita et roſtrum et vngues. Eſtque terra oſſis, quae potiſſimum coloratur.

Car-

Cartilago autem vel callus tum rubeſcit, quando oſſeſcunt (DV HAMEL *l. c. 1739. p. 10.* FOVGERGVX *l. c. p. 26.*): attamen LÖSECKE absque hacce conditione cartilaginem infici refert.

Vt ne vero credas, ſolida vnice quaedam corporis animalis Rubia colorari: ſciendum iam dudum quibusdam, ſcilicet CARDANO, THVRNEISSERO, PORTAE, DVRANTI, DODONAEO, ETTMÜLLERO aliisque idem lotio contingere notum fuiſſe, recentius pariter confirmatum (a BÖHMERO in *Diſſ. p. 24.* LEVRET *ſur les accouchemens p. 278.*), quibus propria mea obſeruatio accedit. Manu retenta adeo id praeſtitiſſe fertur (CARDANVS *ſubtil. p. 517. extr. 18*). De lacte quidem dubitatum, ſed refellentibus experimentis aliorum (STIEFF *de vita nuptiisque plantarum Lipſ. 1741.* YOVNG *de lacte* in SANDIFORT *Theſ. Diſſ. T. 2. p. 549.* qui de lacte vaccarum confirmat.) Sanguinis color quoque exuberantior viſus (BAZANVS *l. c. p. 128.* BÖHMER *Diſſ. §. 13.*). Ita ſerum ſanguinis dilute rubrum apparuit et ipſa bilis (*l. c. §. 13.*); vti et axungia articulorum rubra (*l. c. §. 14.*). Subinde, ſed rarius, ſudor tingitur (LEVRET *l. c. p. 280.*). Quantum ex hiſce experimentis in Phyſiologiam redundauerit lucis, praecipue quoad oſſium naturam et generationem, ex perill. HALLERO (*Elem. Phyſ. Tom. 8. p. 327. ſq.*) abunde cognoſcitur.

Aſt

Aſt non vnice Rubiae haec efficacia tingendi oſſa competit: ſed et Stellatis aliis, Galio Mollugini, luteo, Aparini (GVETTARD *Mem. de l'ac. d. ſc. a. 1746. p. 48. ſq. et l. c. 1747. Hiſtoire p. 57.*), vti et Valantiae cruciatae (BÖHMER *Diſſ. cit. p. 42.* STEINMEIER *l. c.*). Radice Galii (quodnam?) cuniculis grauidis proiecta oſſa paruulorum colorem grate roſeum aſciuerunt (ROSNER *Diſſ. vires lactis* in *collect.* HALL. *Diſſ. pract. Tom. 7. p. 242.*). Fruſtra vero ceſſit experimentum cum radice Anchuſae tinctoriae, Coccinella (*Mem. cit. 1746. p. 102. ſq.*). Nec felicius cum Iſatide vel Carthami floribus (NONNE in *Act. Mogunt. T. 1. p. 131.*). Et alius de ſimili euentu queritur, ſiue pigmentum indicum, ſiue Curcumae radicem, Crocum, Carthami iterum flores, lignum Braſilianum, vel lignum Fernambuc, Santalum rubrum vel flauum tentaret. (BÖHMER *Diſſ. cit. p. 40.*).

Tranſeo ad virtutes Rubiae medicas. Multae ſine dubio memorandae, ſi ad vetuſtiſſima vsque tempora recedas. Veteres illi vim tribuerunt in lotio pellendo, dyſenteria ſananda, morbo regio, malo iſchiadico aliisque, de quibus legantur HIPPOCRATIS *Lib. de victu acut. L. 12. de morb. mul. L. 15.* DIOSCORIDIS *Lib. 3. c. 160.* GALENI *de ſimpl. Lib. 6.* PLINII *L. 24. c. 11.*, vt alios veterum praeteream. Formulae ſuae contra icterum obſtinatiorem addidit SYDENHAMVS (*Oper. L. B. 1741. p. 216. 608.*). Nec minus re-

ce-

cepit illam *decoctum ad ictericos Edinburg p. 54.* Laudatque pariter in hoc morbo FR. HOFFMANNVS (*Med. syst. T. 3. p. 542.*). Contusionibus resoluendis similiter par habita. Qui plures nosse cupiat vires, hinc inde commemoratas, adeat dissertationes WVRFFBAINII (*de Rubia tinct. Basil. 1707.*) et STEINMEIERI (*p. 22. sqq.*), vt in quibus dispersa membra colliguntur. Verum in quocunque morbo vsurpetur, copiosius lotium pellere obseruatur.

Id saltim ex phaenomenis recensitis abunde elucet, penetrare efficaciter per solidissimas pariter corporis animalis partes ac fluidas, ossa vero primario affectare.

Inde vsus in rachitide, qua mollitie laborant ossa, inualuit. In amplo quidem aliorum, quae minoris notae aperientia vocat, comitatu meminit eiusdem GLISSONIVS (*de rachit. p. 405.*): sed data opera experimentis incitatus hanc virtutem incussit BAPTISTA COSNIER (cum resp. ROBERT in *Diss. an rachitidi Rubia tinctorum Paris. 1758.*). Magni vtique etiam hac in re est facienda auctoritas cel. LEVRET (*Traité des accouch. 1766. p. 277. sq.*), qui experientiam duodecim vel quindecim annorum citat, etsi adhuc plures casus desiderat. In solo nisu ad emollitionem absque aliis symptomatibus decoctum radicis illi placet, ex radicis Rubiae siccatae vncia dimidia vel recentis vncia vna leni igne cum aquae communis pintis duabus

bus et ſalis vegetabilis (h. e. tartari ſolubilis) drachmis duabus per horam coctis et mellis ſinceri vnciis duabus colaturae additis. Huius vncias octo infanti ablactato per diem praebet; ſi infans autem mammis adhuc inhiet, nutrici duplam doſin exhibet. Symptomatibus peculiaribus vrgentibus, vt diarrhoea vel alui obſtructione vel vermibus vel induratione abdominis addit alia opportuna. Notabile autem, licet ſpatium aliquot menſium curatio ſibi vindicet, mature iam effectum percipi rectiori ſpinae dorſi et oſſium longorum figura et aliis bonae notae indiciis. Maximeque vulgare eſt, lotium abundantius ſecerni, detumeſcere corpus et fortius euadere (LEVRET *l. c. p. 280.*). Callum oſſium inde ſolideſcere etiam euictum eſt (*l. c. p. 279.*). Teſtis efficaciae decocti commemorati eſt caſus SCHLOSSERO (ROSNERI *Diſſ. cit.*) obuius. Potus conſueti loco eſſe quoque poteſt decoctum ex radicis Rubiae drachmis duabus, corticum Aurantiorum ſiccatorum granis decem et ſeminis Foeniculi dulcis contuſi granis quindecim, quae coquantur in aquae recentis libris ſex, donec remaneant librae quatuor. Sub defectu huius radicis, iſta Herbae Britannicae ſubſtitui poteſt (ROSENSTEIN *Bſkd. p. 405.*). Diſquirant, quibus volupe eſt, quibusnam Rubiae partibus vim in oſſibus firmandis debeamus, an phlogiſticis? (OETINGER *Diſſ. de viribus radicis Rubiae tinct. antirachiticis a virtute oſſa animalium viuorum tingendi*

non

non pendentibus, Tübingae 1769.), an ſalinis? (*Traité du Rakitis par* LE VACHER DE LA FEVTRIE *p. 258.*), an aliis? Equidem virium notitia acquieſco.

Dolores dorſi et lumborum a nimio nixu tollit radix in puluere experientia baiulorum, quem eundem effectum ab infuſis concentratis et decoctis ſaepius cognouit LVDWIGIVS (*Aduerſ. med. pract. Vol. 1. p. 751.*). — Eſt, qui in purgandis lotii viis reliquis omnibus praefert (LANGE *miſc. ver. med. p. 125.*). Addo exemplum tuſſis inueteratae, qua ſenex vna cum raucedine et pituitae tenacis reiectione grauabatur, curatae (MARX *Obſ. med. p. 23.*), ſubiuncta laude in pituitoſa diatheſi humorum in vniuerſum (ID. in *Hannoverſches Magazin 1775. no. 40. 41.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

RADICES QVINQVE APERIENTES MINORES.

DECOCTVM AD ICTERICOS *Ph. Ed. p. 54.* Ex radice Chelidonii maioris cum foliis, rad. Curcumae et Rub. tinct. cum aqua fontana coctis, addito ſucco Millepedum.

GALIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 126. Gen. pl. p. 52.*

153.

Pharm. GALII LVTEI *Summitates.*

Galium rerum; foliis octonis linearibus ſulcatis, ramis floriferis breuibus LINN. *Sp. pl. p. 155.* Gal-

lium luteum C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Caille-Lait. Pl. perennis crescens in locis siccis ad vias marginesque syuarum in Europa.

FLORES haud ingrate odori; herba vero inodora fere. Vtraque pars acida, vt sapore cognoscitur et vi lac coagulandi, antiquitus (DIOSC. *L. 4. c. 96. Galen. de simpl. L. 6.*) iam cognita, quae tam insignis adeo est, vt lac ex vaccis hoc Galio pastis facilius coagulum ineat (OLAFSEN *Reise durch Island T. 2. p. 31.*); qua de causa et ad caseos parandos in Hibernia adhibetur, et nomen Graecum Γαλλιον, Gallicumque Caille-Lait, tulit. Hinc et colorem vegetabilem coeruleum in rubrum mutat; et destillatione eiusdem prodiit liquor aceto haud absimilis (BORRICHIVS in *Act. Hafn. T. 1. p. 130.*).

Radicem ossa rubro colore tingere *p. 368.* iam indicatum. Herba vero lanam luteam reddit.

Vt inter medicamina recipiatur, laus in primis contra epilepsiam fecit, etiam recentissime renouata. Quem in finem TAVRY vsus est vel puluere ad drachmam vnam vsque vel decocto ex manipulo vno pro aquae pinta; vulgaris quoque medicina fertur esse in Catalonia (CHOMEL *Vsuelles Tom. 2. p. 24.*). In infantum epilepsia nominatim succus florum expressus ad cochleare vnum datus efficaciam exoptatam praestitit, praecipue si aluus simul laxatur (CHOMEL *l. c.*). Inter antispasmodica refert flores ill. LIEVTAVD (*Syn.*

(*Syn. prax. med. p. 768.*), in dicta epilepsia saepe in vsum venire narrans vel in substantia a granis quatuor ad octo supraque, vel succo ab vncia dimidia ad integram. Multis epilepticis adiumento fuerunt cl. BONAFOS (in RICHARD *Recueil d'Observ. en Med. T. 2. p. 449.*) et eius pater fraterque, dum succus expressus ad vncias quatuor mane ingereretur, qui ipse sudorem plerumque mouit, in lecto probe procurandum. Confert et infusum saturatum, quod in puella quadam nouenni fere, iam per biennium epilepsia correpta et folia Aurantiorum perperam experta, malum sustulit, accedente dein febre quartana, qua recidiua omnis prohibita (*l. c.*) — Aliis in arthritide eiusdem infusum theaeforme placet (CHOMEL *l. c. p. 25.*). — ANTONIVM IVSSIEV quotidie in passione hysterica cum fructu vsurpasse lego (LINN. *Amoen. T. 4. p. 40.*). — Bobus succurrit planta mictu cruento affectis (LINN. *Skånska resa p. 311.*).

154.

Pharm. GALII ALBI *Herba cum floribus.*

Galium Mollugo; foliis octonis ouato-linearibus subserratis patentissimis mucronatis, caule flaccido, ramis patentibus LINN. *Sp. plant. p. 155.* Mollugo montana angustifolia ramosa s. Gallium album latifolium C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 455.* Pl. perennis, in Germania ad oras viarum publicarum vulgatissima.

Conuenire cum priori vi antepileptica compertum (CHOMEL *Vſuelles T. 2. p. 25.*). Pertinet huc experientia cl. IOVRDAN (in GARDANE *Gazette de Santé 1773. et 1774. p. 19.*) capta cum ſtirpe florente, cuius recentis cum vino albo conquaſſatae ſuccus expreſſus ad vncias quinque vel ſex mane ieiuno ſtomacho epotetur. Queritur tamen alius de inconſtantia auxilii, recidiuae poſt aliquot hebdomades arcendae non paris (GARDANE *l. c. p. 223.*).

ASPERVLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 125. Gen. pl. p. 50.*

155.

Pharm. MATRISYLVAE *Herba.*

Aſperula odorata; foliis octonis lanceolatis, florum faſciculis pedunculatis LINN. *Sp. pl. p. 150.* Aſperula f. Rubeola montana odorata C. B. Icon: *Flor. Dan. Tab. 562.* Pl. perennis ſyluarum Germaniae, Heluetiae, Sueciae.

HERBA grati odoris fortisque eſt, iſti Meliloti haud abſimilis. Rariſſime adhibetur, nec ſatis confirmatae ſunt vires adſcriptae. Sal eius fixum valde acre eſt, vnde ad terrae coniunctae exiguam quantitatem concluditur (GMELIN *Comment. Petrop. T. 5. p. 286.*). Exhilarat in vinum coniecta, eique ſuauem ſaporem conciliat (RAII *Hiſt. T. 2. p. 483.*), ſimilique fini

fini cereuiſiae maiali addita (RVPP. *Flor. Ien. ed.* HALL. *p. 6.*). Obſtructiones viſcerum praecipue hepatis reſerare plerique innuunt, hinc in ictero valere. Scabiem ſanare in decoctis mulierculorum fide narrat SIMON PAVLLI (*Quadrip. p. 28.*). Vereor, vt multo certiores ſint vires contra hydrophobiam, de quibus ante aliquot annos noua publica expoſuerunt; fateor, me fontem non ſatis limpidum adire. Memorabantur tum multa experimenta in hominibus pariter ac animalibus Cuſtrini Nouaemarchiae capta. Data ſcilicet demorſis tam recens quam lacte cocta vel in pane butyraceo, vel inſtar Theae bis de die propinata. Et ſic ne doſis quidem in morbo hocce horrendo rite definita (*Reichs-Poſtreuter 1767. Beitrag 16.* Cfr. *Braunſchw. Anzeigen 1765. p. 646.*).

VNGVENTVM SARCOTICVM ex iſta FALLOPIVS, FORESTVS aliique laudarunt.

OPHIORRHIZA.

LINN. *Syſt. veg. p. 166. Gen. pl. p. 85.*

156.

Pharm. MVNGOS ſ. SERPENTVM *Radix.*

Ophiorrhiza Mungos; foliis lanceolato-ouatis LINN. *Sp. pl. p. 213.* Deſcripta vlterius in KÄMPF. *Amoen. exot. p. 577. ſq.* et in LINN. *Fl. Zeyl. p. 190. et 239.* Icon: LINN. *Mat. med.* Stirps perennis in Zeylona, Iaua, Sumatra creſcens.

Circa ſpeciem variae confuſiones obtinuerunt, quas extricauit LINNEVS (*Amoen. Acad. T. 2. p. 98.*), vnde elicitur radicem huius eſſe GARZIAE AB HORTO (*Hiſt. arom. ed.* CLVS. *p. 163.*) Lignum colubrinum primum et laudatiſſimum; GRIMMII (*Laborat zeyl. p. 116.*) Ekauerjam.

RADIX, vt aliae ſolent, multum variat longitudine, craſſitie, forma et colore. In vniuerſum lignoſa, ſimplex; adultior ſpithamaea eſt, digitum craſſa, incurua, nodoſa, flexuoſa, albida, cortice rugoſo fungoſo rufo tecta. — Teneriores radices per totam longitudinem rectae ſunt (CARTHEVSER *Diſſ. in Mat. med. p. 12.*). Hiſce vero craſſiores praeſtant. Effigiem radicis ſiſtit KÄMPFERVS (*l. c. p. 567.*). Odore deſtituitur, ſed ſapor illi competit intenſe amarus, adeo vt nomen eius Malaicum ſignificet fel terrae. Analyſin chemicam praeſtitit cel. CARTHEVSER (*l. c.*). Vix vltra pharmacopolia Belgica venalis, in quibus pro viginti imperialibus libra venditur.

Haec ipſa a Viuerra Ichneumone (LINN. *Syſt. nat. T. 1. p. 63.*), Indis Mungutia, Luſitanis autem Mungo dicta, deuoratur, ſi a venenato ſerpente Naia morſa fuerit. Verum homines pariter antidotum contra morſum eiusdem in hac radice inueniunt, vti et contra diriſſimum venenum Macaſſarienſe, quod eſt ſuccus lacteus arboris ſauciatione per arundinem acuminatam prolicitus, tam viroſus, vt halitus vulne-

neratae arboris ſuffocent, niſi eminus vulneretur, et ventus a facie auerſus ſpiret; vnde etiam collectio capitis damnatis modo committitur. Morſis a Naia radix trita ex vino aut aqua cordiali data, et puluis eiusdem vulneri inſperſus fuit (GARZIAS *l. c. p. 164.*). Exhibitus quoque puluis ad drachmam dimidiam vel integram cum hauſtu aquae dulcis, vel puls, ex puluere radicis cum ſputo vel aqua facta, impoſita. (KÄMPF. *p. 577.*). Tranſierunt auctores a laude contra morſum ſerpentum, ad aliam contra venena in vniuerſum et morbos horum effectui non abſimiles, rabiem, febres malignas, putridas (KÄMPF. *l. c.* GRIMM *l. c.* qui praeparata varia recenſet). In purpura maligna praedicat LOCHNERVS (*Mungos animalculum et radix, Norimb. 1715.* in *Eph. N. C. Cent. 3. 4. Append. p. 59.*). Vermes inteſtinales item febres intermittentes ſubigere GARZIAS (*l. c.*) et BONTIVS (*Hiſt. nat. et med. Ind. or. p. 46.*) notarunt. Ad Indos pertinet curatio febris ex Santalo, eius ope perfecta (BONTIVS). Ex amaritie facile credes, inſtrui egregia vi ſtomachica (CARTHEVSER *l. c. p. 43.*).

SPIGELIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 166. Gen. pl. p. 84.*

157.

Pharm. SPIGELIAE *Herba* cum *Radice.*

Spigelia Anthelmia; caule herbaceo foliis ſummis quaternis LINN. *Syſt. l. c.* Spigelia quadrifolia, ſpicis terminalibus BROWNE'S *nat. Hiſt. of Iam. p. 156.* Accuratiſſimam deſcriptionem ſuppeditat LINN. in *Amoen. Acad. Vol. 5. p. 140.* cum *fig.* Qua icone prior eſt cl.^mi BROWNE in *Gentlem. Magaz. 1751. Decemb.* et *loc. cit. Tab. 37. fig. 3.* Pl. annua, in America meridionali, Braſilia praecipue, ſpontanea, ſed ſata in Iamaica, Domingo, Martinica.

Vi anthelmintica celebris haec ſtirps per vltima quinque luſtra in Europa exſtitit, poſtquam cl. PATRICK BROWNE (*Gentleman's Magazine 1751. p. 544.*) primus, ſecundum experimenta ſua creberrima a. 1748. in quibusdam coloniis Britannorum Americanis capta, de ea referret. Didicerat hanc efficaciam a Nigritis et Indis, quibus diu ideo in vſu fuerat. Ipſe vero affirmat, nullum aliud remedium cum iſto comparari praeſtantia contra vermes, quorum lumbricos intelligit, poſſe, praecipue ſub febris vel conuulſionum comitatu (*Hiſt. of Iam. p. 156.*). Iuſſit ille integrae plantae recentis ſiue ſiccae manipulos duos coqui ſuper

leni

leni igne cum aquae libris duabus (quarts), ad conſumtionem dimidii, et colaturae addi tantillum ſacchari et ſucci Limoniorum q. ſ. ad gratum ſaporem. Huius adulto vnciae quatuor pro prima doſi exhibeantur, et poſtea, niſi anodyna eiusdem natura vetet, vnciae duae vel tres ſexta qualibet hora; imbecilliores autem decima vel duodecima qualibet hora medicinam repetant; pergant vero vti, donec 36 vel 48 horae praeterierint, tumque ad duplam doſin regredi conuenit; quae ſi effectum ſuum exſerit, infuſum Sennae vel Rhei cum Manna, vel ſimile purgans in ſubſidium ſumas. Hiſce purgantibus copioſe expelluntur vermes, niſi id iam antea contigerit (BROWNE). Dein ſenſim et in Europa aegris exhibita fuit, etſi maxime vero ſimile, hinc inde promiſcue hanc ſpeciem et alteram mox ſignificandam, in vſum tractam eſſe. Anglis praecipue familiaris eſt, et inter hoſce Anthelmia ſeſe probauit cl.^mo BROCKLESBY (*Oec. et med. Obſervations p. 282. ſq.*), qui infuſum ex drachma vna integrae plantae et aquae bullientis vnciis quatuor, tribus doſibus per 10 vel 14 dies ingeri curauit. Fortius infuſum parauit cl. HINCKLEY ex ſtirpis drachmis duabus et aquae feruentis vnciis ſex; cuius dimidium vnum veſperi, alterum poſtridie bis, continuatione per octiduum vel binas hebdomades facta, propinatum (BROCKLESBY *l. c.*). In Ruſſia quoque exſpectationi reſpondit. In Suecia autem

tem celebrant eam cel. BERGIVS et cel. DAHLBERG, Regis Sueciae medicus. Hic ipſe vel in puluere ad ſcrupulum vnum ter de die, vel in infuſo ad drachmam vnam, duas, tres intra idem temporis ſpatium ſubminiſtrat, curatque, vt in vſu per quatuordecim dies pergatur et quolibet triduo vel quatriduo laxans ingeratur (ROSENSTEIN *Barnsjukd. p. 361.*). In America ſyrupus ex decocto conficitur, vt ſemper medela praeſto ſit (SWIETEN *Comm. T. 4. p. 737.*).

Somnum vero ciëre, inſtar Opii, obſeruatum, et oculos diſtendi et ſcintillantes quaſi apparere, prout ante variolarum et morbillorum eruptionem. Hinc et cl. BROWNE (*l. c.*) infantibus propinare dubitauit. Quin ſurſum et deorſum vehementer euacuare, et a Gallis nomen veneficae Brainvillers tuliſſe narratur (SWIETEN *l. c.*). Sed haec incommoda ſine dubio nimiae vnice doſi tribuenda, nam, ſub memorata, ſagaciſſimo DAHLBERG neque ſomnus neque aliud incommodum apparuit.

158.

Pharm. SPIGELIAE MARILANDICAE *Radix.*

Spigelia Marilandica, caule tetragono foliis omnibus oppoſitis LINN. *Syſt. veg. p. 166.* Cfr. *Mant. 2. p. 338.* Ampliſſima deſcriptio legitur in *Eſſays Obſerv. phyſic. et lit. Vol. 3. p. 151.* cum icone. Pl. perennis, creſcens in Carolina auſtrali, ſolo profundiori fertili.

In

In loco natali nomine *Indian Pink* venit. Pharmaceuticum peculiare nondum ſtabilitum, hinc retinui botanicum. Non debent huius virtutes in priorem transferri. Et haec praeciſe absque omni dubio ſtirps eſt, de cuius vi contra vermes cl. LINNING (*Eſſays et Obſerv. cit. T. 1. p. 386.*) olim WHYTTIVM certiorem fecit. Id iam ſcrupulum mouit, quod iſte radicem commendaret, BROWNE contra integram ſtirpem, quod prius non potuit de annua valere, vtpote exili, et vt annuae radices ſolent, inerti. Videtur inſuper Marilandica ſtirps eſſe efficacior. Diſcrimen euicit cl. GARDEN (in *Eſſays etc. Vol. 3. l. c.*).

RADIX horizontalis, ſimplex, inaequalis, fibrillis plurimis longis. Inde a 40 annis poſtquam ab Indis praeſtantia eiusdem contra vermes detecta, in Carolina auſtrali creberrime tam a medicis quam aliis vſurpata (GARDEN *l. c. p. 145.*). Maxime nobilitarunt medici duo, qui ibidem in vrbe Charlestown vixerunt, cll. LINNING et GARDEN, vix aliud vllum remedium certius agnoſcentes. Aluum laxat, ita vt radicis drachma dimidia eundem ac ſimilis doſis Rhei effectum edat. Et vix ſpem explet, niſi aluum ſimul ſollicitet, teſte cl. GARDEN (*l. c. p. 146.*) quamuis cl. LINNING (*l. c. p. 387.*) etiam absque feceſſu vermium lenimen obſeruauerit. Torpente aluo nonnunquam neceſſe eſt, vnum vel alterum granum mercurii dulcis, vel aliquot grana Rhei addantur. Praeſtitit vero hacce neceſſitate vacaſſe. Inſignis

ſignis plerumque commodi eſt, emeticum praemittere (GARDEN *l. c. p. 146. 147.*). Datur radix vel in puluere, qui efficacior, vel in infuſo cum aqua feruida, mane et veſperi. Infanti bienni ſuffecerunt plerumque pulueris grana duodecim et radicis in infuſo grana viginti (LINNING *l. c. p. 386.*). Tutumque eſt infantibus quoque remedium, quibus facile infuſum datur, remixtum pauxillo lactis et ſacchari (*Ibid.*). Pro adultis ad grana ſexaginta vel ſeptuaginta in ſubſtantia, vel ad drachmas duas, tres vel quatuor vsque in infuſo, pro doſi aſcendere licet (GARDEN *l. c. p. 148.*). Conducit quoque in morbis febrilibus, qui a pituita primarum viarum oriri videntur, etiamſi aegri nihil vermium deiiciant; praecipue autem in febribus verminoſis, addita exigua parte radicis Serpentariae Virginianae, in quibus exacerbationes manifeſte ſedat (GARDEN *p. 149.*). Obſeruatum vero, nimia doſi vertiginem, caliginem oculorum, conuulſiuos motus globi eorundem, etc. incidere. Quae tamen ſymptomata non diu durant, et experientia cl. LINNING praecauentur inſtillatis paucis guttis olei Rutae, Sabinae, Abſynthii vel alius eſſentialis, vel et miſcela purgantis cuiusdam, vt ſupra indicatum (GARDEN); ſuperantur autem facile liquido quodam ſpirituoſo, cui Crocus vel oleum eſſentiale admixtum (LINNING *p. 388.*). Quin tutius eſt ad haec mala arcenda exhibere doſin largiorem quam parciorem, vt quae prior non-

niſi

niſi emeticam vel vehementius purgantem vim exercuit (GARDEN *l. c. p. 147.*). — Ad hanc ſpeciem refero experimenta b. WHYTT (*Obſerv. on nerv. diſorders p. 407.*) cum infuſo, quod quidem adiumento fuit, ita tamen vt mora crederet virium decrementum pati. Id modo de longiori valere, contra priorem ſuam opinionem animaduertit cl. GARDEN.

? OPHIOXYLVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 765. Gen. pl. p. 539.*

159.

Pharm. SERPENTVM *Lignum.*

Ophioxylum ſerpentinum; LINN. *Sp. pl. p. 1478.* Liguſtrum foliis ad ſingula internodia ternis BVRM. *zeyl. p. 141. T. 64.* Radix muſtelae RVMPH. *Herb. amb. Auctar. p. 29. Tab. 16.* auctore LINNEO (*Syſt. veg. l. c.*) huc a me refertur. Arbor Zeylonenſis.

Character generis nondum rite cognitus eſt; nec ipſa ligni dicti natura. Video et confundi cum Colubrino primo GARZIAE (BVRM. *l. c.*). Adſcribuntur illi ſimiles, ac de radice ſerpentum dictae ſunt (*p. 376.*), vires contra morſus ſerpentum, venena et morbos malignos. In quartana eximiam eſſe cum emphaſi notat amaramque pronunciat LINNEVS (*Mat. med. p. 219.*). Doſin drachmae dimidiae in infuſo indicat (Conf. EIVSD. *Amoen. T. 2. p. 104. 111.*). Aſt in ill. viri *Materia medica*

vtrius-

vtriusque editionis dosis ʒß sistitur; an typothetae errore?

ORDO. X.

CYMOSAE.

LONICERA.

LINN. *Syst. veg. p. 179. Gen. pl. p. 93.*

160.

Pharm. CAPRIFOLII *Herba; Flores; Stipites.*

Lonicera Periclymenum; capitulis ouatis imbricatis terminalibus, foliis omnibus distinctis LINN. *Sp. pl. p. 247.* Periclymenum non perfoliatum germanicum C. B. Icon: RIVIN. *fl. monop. irreg. T. 122.* Frutex, in dumetis et sepibus Germaniae aliarumque australiorum regionum crescens.

Promiscue cum Lon. Caprifolio L. sumere per SCHRÖDERVM (*Thes. pharm. p. 548.*) licet. Exoleti iam vsus, nec vix hodie vltra Galliam obuii. HERBAM in asthmate et tussi valere, externe vlcera sordida abstergere, sanare impetiginem et delere cutis maculas ab auctore nouissime dicto traditur; cum quo eo consentit CHOMEL (*Vsuelles T. 2. p. 387.*), quod

quod contuſa folia extus applicata vitia cutis ſanent. Decoctum eorum pro gargariſmate nuperrime iterum in angina depraedicatum (GARDANE *Gazette de ſante 1774. p. 230.*).

STIPITVM infuſum purgare ſanguinem (LINN. *Fl. Suec. p. 68.*) legitur.

FLORES recentes grate odori. Ex hiſce paratur SYRVPVS CAPRIFOLII *Cod. medicament. Pariſ. p. 28.* qui in ſingultu a quibusdam inſigniter laudatus (CHOMEL *l. c.*).

161.

Pharm. DIERVILLAE *Stipites.*

Lonicera Dieruilla; racemis terminalibus, foliis ſerratis LINN. *Spec. pl. p. 249.* Dieruilla acadienſis fruticoſa, flore luteo TOVRN. *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris 1706. p. 85.* Icon: LINN. *Hort. Cliff. Tab. 7.* Frutex exiguus Canadenſis, in collibus nemoroſis creſcens; in hortis radices ſurculos copioſos protrudunt.

Efficacia eiusdem, quantum ſcio, in Europa nondum tentata. Sed in America ſeptentrionali pro certo remedio in gonorrhoea nec non vrinae ſuppreſſione habetur (KALM'S *kårta Berättelſe om Norra Americ. vāxter p. 13.*). Pars ab iſto non ſignificatur, ſed LINNEVS (*Mat. med. p. 62.*) ad STIPITES vires refert.

COFFEA.

LINN. *Syſt. veg. p. 179. Gen. pl. p. 92.*

162.

Pharm. COFFEAE *Semina.*

Coffea arabica; floribus quinquefidis diſpermis LINN. *Spec. pl. p. 245.* Bon ALPIN. *Pl. aegypt. p. 63.* Iaſminum arabicum lauri folio, cuius ſemen apud nos Coffé dicitur IVSSIEV *Mem. de l'ac. d. ſc. de Paris 1713. p. 388. Tab. 7.* Conf. Monographia in LINN. *Amoen. ac. T. 6. p. 160. ſq.* cum ic. Optima figura exſtat in ELLIS's *hiſtor. Account of Coffee, Lond. 1774.* Venuſta haec arbor ſponte in Arabia felici et Aethiopia creſcit.

Primus Europaeus auctor, qui eiusdem meminit, eſt RAVWOLFIVS, (*Raiſſ inn die Morgenländer 1583. p. 102.*), qui in Oriente circa annum 1573. fuit; ALPINVS (*l. c.*) autem primus deſcriptionem eiusdem a 1591. exarauit, Euonymo ſimilem pronuncians. Propius ad rem acceſſit IVSSIEV: ſed plura ſuadent, cur peculiare genus inde conſtituatur.

Etenim diu ſemina grato potui Europaeis fuere, quam de ſtirpe ipſa diſpicerent. Vt ad antiquiſſima tempora recedam, fide Arabici codicis manu ſcripti, qui in Bibliotheca Pariſienſi ſeruatur, et antiquiſſimam narrationem continet, (inſertam *libro cit.* ELLISII) in Aethiopia potus a vetuſtiſſimo inde tempore pa-

paratus. Ex Perſia vero in Arabiam felicem, et quidem initio ad vrbem Aden ſeculo 15to Coffeam potandi morem ſacerdos quidam primi ordinis (Muffti) introduxit ſuo et aliorum ſacerdotum exemplo, primum quidem religioſo fine, vt noctes inſomnes in precationibus aliisque conatibus ſacris conſumerent; a quo vero ſenſim Arabes ſeceſſerunt, gulae potius, ludis, ſaltationibus et confabulationibus, quibus popinae patebant, litantes. Inde Kahiram Aegypti transiit conſuetudo; et anno 1554. Conſtantinopolin (*l. c.*). Per Venetos ob viciniam locorum et commercia ad Aſiam minorem inter alias merces probabile Coffeam ad Europam occidentalem peruenisſe. Anno 1644. Maſſiliis a peregrinatoribus potata, ſed non ante a. 1671. prima popina ibidem inſtituta eſt. In Anglia iam a. 1660. Coffea in tabula earum mercium notata, quae ad ditandos reditus regios facerent, licet iam a. 1652. Londini ſeruus quidam Graecus coquendi illam artem exerceret; et a. 1663. lege ſtatutum, vt popinae aerario publico definitam pecuniam ſoluerent. Poſt haecce initia ſenſim reliquis Europae regionibus ſeſe commendauit. — Verum diu adhuc procul dubio exacta arboris cognitio nos latuiſſet, niſi ex ill. WITSEN, Conſulis Amſtelodamenſis monito, Societatis Indiae orientalis praefectus VAN HOORN ſemina Coffeae recentia, Mocha Arabiae felicis vrbe in inſulam Jauae, Batauiam nominatim, transferri curaſſet (quod credi-

tur factum esse circa a. 1690.) vnde plurimae arbores prognatae, quarum vna ad WITSENIVM missa, qua mox hortum Amstelodamensem botanicum ornauit. Anno 1710. praecise id factum, BOERHAAVIVS, qui proxime dicta tradit (*Hort. Lugd. bat. Ed. 2. P. 2. p. 216.*), non refert, LINNEVS (*Amoen. l. c. p. 164.*) autem indicat. Ex huius exempli fructibus vna succreuit arbor, a 1713., LVDOVICO XIV. Galliae Regi, oblata, aliaeque arbusculae, quae hinc inde in Europa distributae sunt. Ast et mercaturae haec dedita Belgarum gens tempestiue de disseminanda Coffea in suis coloniis Americanis cogitauit; hinc translatis Batauia Surinamum seminibus a. 1718. ea ibidem coli coepit. Anno 1720. tenella arbuscula ex horto Parisiensi botanico, intercedente cl. CHIRAC, Medico, in insulam Martinico transmissa fuit, quae fructus numerosos ibidem ferens non solum sufficit insulae, sed, plantationibus dein bene ibidem succedentibus, foecunda mater reliquarum in insulis St. Domingo, Guadeloupe aliisque adiacentibus euasit (*V. la Culture du Café* in cl. AVBLET *Plantes de la Guiane Franc. T. 2. App. p. 50.*). Praecedente proxime anno siue a. 1719. dolo semina Surinamo Cayennam peruenerunt (V. AVBLET *l. c.*). Sicque cultura sensim in America regionibus intra tropicos sitis summo cum lucro a Belgis, Gallis, Anglis inualuit. Galli praecipue in ea colenda multum sollertiae impendunt. Nec minus lucrosum visum, tam

in

in Arabia, quam in aliis Indiae orientalis regionibus quin et feruidiſſima Africa, propagationem ſollertem adminiſtrare. Viget quidem fructumque fert in hypocauſtis hortorum publicorum non ſpernendum, vt et in fructibus horti botanici noſtri experior: ſed ob inſignem, quem deſiderat calorem, operae non eſt pretium in Europa in ſeriorem vſum colere. Solum etſi naturale arenoſum ſiccum et calidum eſt: delectatur tamen arbor fertili et vmbroſo. In Arabia colitur locis elatis vel ad radicem montium, vbi fontes copioſi, quibus arte per canales ductis rigant arborum radices. Poſtquam maturuerint fructus, agitatione arboris decutiuntur ſuper linteis ſubſtratis, et reſidui manibus auelluntur, collecti diſperguntur ſupra pauimenta horreorum vel aulaea, vt ſolis ope ſicceſcant; ſiccati in Arabia humectantur aqua, et dein inter duo lapides, vel ſub cylindro ponderoſo ligneo vel lapideo huc illucque ducto conquaſſantur, vt thecae ſecedant, quae dein agitatione in vannis omnino ſeparantur (LA ROQVE *Voyage de l'Arabie heureuſe p. 285.* BRAAD in *Vet. Acad. Handl. 1761. p. 252.*). Semina thecis denudata iterum ſiccantur, ſed in vmbra, ne viredinem ſuam gratam, quae illis placet, perdant (BRAAD.) In Iamaica fructus in mortariis ligneis contunduntur piſtillis, quo tegmine ſuo priuentur (BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p. 161.*). Surinami vtuntur eodem ſcopo cylindro ſulcato qui ſuper plano pariter ſulcato voluitur, de qua re et de aliis ar-

tificiis ibidem ad depuranda semina vsitatis expofuit SILANDER (in *Vetenſk. Acad. Handl. 1757. p. 236.*). Perperam creditur, Arabes ante venditionem semina aqua tepida macerare, vtne propagatio fiat, ſed ſerunt eadem, quae venduntur, quamuis omnem transportationem arbuſcularum et ſeminum, cruſtae ſuae inditorum, prohibeant.

FRVCTVVM vero bini vel quaterni in qualibet foliorum axilla proueniunt. Suntque hi bacca parum oblonga ceraſi modici magnitudine, vtrinque nonnihil compreſſa, epidermide rubra, molli, tenui tecta, intra quam caro ſubuiſcoſa, dulcis. Demta hac conſpiciuntur ſemina bina (raro vnicum modo) ſepto diremta, oblonga, conuexo plana, in ſuperficie plana, qua ſibimet obuertuntur, ſulco notata. Singulum horum arillo cartilagineo, intra quam membranula tenuis, veſtitur.

Duplex igitur tegmen conquaſſatione fructuum ſiccorum ſeparatur, alterum brunum ex pulpoſa carne cum epidermide, alterum flauidum ex arillo. Neutrum horum reiicitur, ſed vtrumque toſtione praegreſſa coctum potulento inſeruit. Ex priori potus *à la Sultane* paratur, qui mihi valde ingratus fuit, vt mirum videatur, quod homines ſuperioris ſortis eum decocto ex ſeminibus praetuliſſe in Arabia ferantur (ROQVE *l. c.*). Errat igitur cl. BROWNE, hoc nomen decocto ex arillis adſcribens. Alterum vero ex arillis (Hülſen) vul-

vulgatiſſimum potulentum, nomine *Kiſcher* in tabernis vrbium Arabicarum et prope vias publicas vendi ſolitum, conſtituit (BRAAD *l. c. p. 255.* NIEBVHR *Beſchr. v. Arab. p. 55.*). De ſeminibus enim ipſis metuunt Arabes, ne nimium calefaciant (NIEBVHR *l. c.*).

In Europam nonniſi SEMINA transferuntur, quorum iſta ex terra Yemen reliquarum regionum ſeminibus longe antiſtant (NIEBVHR *Beſchr. v. Arab. p. 144.*). Sed ſaepe Arabica cum Americanis in Arabia ipſa, vbi proxime dicta clam aduehuntur, fraude venditorum commiſcentur (EIVSD. *Reiſe nach Arabien p. 145.*). Gratior multo competit odor ſaporque Coffeae Arabicae, et ſemina eiusdem minora ſunt. Aſt et optimum genus vitiatur vicinia eorum, quae ingratos halitus ſpargunt, vt conſtitit effluuiis Piperis (MILLER'S *Gard. Dict. Ed. 8. Art. Coffee*) et vaporibus ſpiritus Rum (PERCIVAL *Eſſays T. 2. p. 129.*).

Raro potus paratur ex ſeminibus Coffeae abſque toſtione ſiue ex crudis bene mundatis et per octauam horae partem cum aqua coctis, vnde tinctura citrina euadit, quae cum ſacchari pauxillo ſorbetur; *Caffé citrin* vocant. Praefert hunc potum cl. ROSTAN (*Act. Helv. T. 5. p. 387.*), nec inde, vt ab altero vulgari, inſomnia et anxietates metuit.

Magis vero longe palato placet decoctum ſiue infuſum ex toſtis ſeminibus. Toſtio fieri debet, ſi

gratiae conſulitur, intra ſartaginem ferream clauſam, donec probe inſudent, tumque cito in mola verſatili chalybea in puluerem conterenda et mox coquenda, ne vis minuatur; vel infuſa aqua feruida per colum, intra quod puluis Coffeae continetur, transmittenda, in quem finem peculiaria infundibula inuenta. Arabes vero ſemina toſta non mola comminuunt, ſed in mortario contundunt, ſicque potus plus gratiae adſciſcit (NIEBVHR *Beſchr. v. Arabien p. 55.*). Pulueris circiter ſeſquiuncia libris duabus aquae coctae miſcetur, ignique imponitur, et poſtquam haec bis vel ter vna ebulliuerint, ab igne auferuntur. Quidam cornu cerui raſura vel alio gelatinoſo clarum decoctum reddunt. Sed eiusmodi additamento gratia visque labefactantur. Alii eundem ſcopum affuſa frigida aqua aſſequuntur. Arabes autem ſolent vas mox, poſtquam ab igne deſumtum fuerit, linteo frigido inuoluere, palato ſimul conſulturi. Hique, vt reliquae orientales gentes, Coffeam absque ſaccharo ſorbent (LA ROQVE *l. c. p. 286.*). Europaei autem tam huius et plerumque etiam lactis vel eius cremoris connubium deſiderant. Vix vero niſi calidus iſte potus placebit.

Vt commoda vel damna, quae in valetudinem humanam ex potu redundent, tanto clarius pateſcerent, ad experimenta quoque extra corpus confugerunt. Conſtitit igitur ſecundum iſta cl. PERCIVAL (*Eſ-*

(*Eſſays Vol. 2. p. 122.*), infuſum ſpirituoſum vel aquoſum ſeminum ſiue toſtorum ſiue crudorum rubeſcere ſolutione Vitrioli martis, praecipue illud ex ſeminibus non toſtis paratum; adſtringere igitur ex hiſce colligit. Cl. WEICHARDT (*Succedaneorum Coffeae inueniendorum regulae p. 8.*) vero infuſa et decocta ſimilia admiſta ſolutione eadem nigro viridia vel fuſco viridia euaſiſſe obſeruauit, negatque vel ideo adſtringendi illi naturam competere, quod et relaxantis Althaeae radicis decoctum a ſolutione Vitrioli rubeat, nec guſtata Coffea ſenſum adſtrictionis prodat. Putredinem carnis retardat Coffea et fermentationem ciborum mitigat (PERCIVAL *l. c.*). Pertinet et huc analyſis chemica, quam NEVMANNVS, *Chymie 2. B. 2. Th. p. 124. ſq.* GEOFFROY (*M. m. Traité T. 3. p. 303.*), RYHZER (*Act. Helv. T. 5. p. 387.*) aliique praeſtitere.

Noſtro praeprimis tempore de variis ſuccedaneis Coffeae tam pretii cauſa quam moleſtiarum, quas percipi ex potu credunt, cogitarunt. Horum e tribu ſunt panis ſecalinus toſtus, Secale (*Hann. Magaz. 1767. n. 98. 1768. n. 11. 18. 21. 37. 50. 71. 97.*) vel Hordeum toſtum, radix Cichorei vel Scorzonerae toſta (*Hann. Magaz. 1770. n. 92. 1771. p. 282.* Lege et *Abhandl. v. Coffee aus d. Franz. nebſt einer Nachricht v. d. Cichorienwurz. von* CONSTANTIN *1771.* FORSTER'S *Geſchichte v. d. Erfindung u. Einführung d. Cichoriencoffee, Bre-*

men 1773.). Alii, qui ſapori plus dederunt, varia proportione veram Coffeam admiſcuerunt. Arriſerunt aliis ſemina Helianthi annui (GOVAN *Hort. Monſp. p. 455.*) vel ſemina Fabae vulgaris minoris (*Hann. Mag. 1770. n. 68.*) piſa, nuces Fagi vel Secale cum aliquot amygdalis toſtum, vel mel (HASE's *Anweiſ. zur Bienenzucht Tom. 3. p. 363.*) aliis alia (Vid. *e. c. vertraute Briefe üb. d. Kaffee aus Korn u. andern inländ. Gewächſen Leipz. 1768. et* WEICHHARDI *ſuccedanea Coffeae*). Ex variis horum dabo plura non colore modo decocti ſed ſapore propius ad Coffeam accedere, eam nimirum, in cuius praeparatione olei ſeruandi non debita cura habita eſt, quippe quum vtrobique uſtulatio eandem fere mutationem producat, h. e. corpus in carbonem inertem redigat. Si autem decoctum Coffeae verae rite paratum fuerit, tam ſaporis odorisque gratia, quam viribus, reliquas potiones ſuppoſititias longo poſt ſe interuallo relinquit.

Toſtione omnis fere nutriendi vis perit, ita vt vehiculum potius nutrimenti, quam ipſum alimentum conſtituat. Remanet, ſi clauſis bene vaſis uſtulatio et coctio fit, multum olei empyreumatici, amari, aromatici, cui et gratia et potiora incommoda debentur. Huius ſtimulo calor, anxietas, cordis palpitatio, peruigilia adſcribenda, quae quidam imbecilliori ſyſtemate neruoſo inſtructi a modico adeo vſu percipiunt, tantoque manifeſtius, quo ſaturatius decoctum fuerit.

rſt. Inſigniora mala emergunt exceſſu, cephalalgia, vertigo, tremor artuum, puſillanimitas, exanthemata faciei, debilitas viſus (LINN. *Amoen. ac. l. c. p. 176.*) paralyſes (PERCIVAL *l. c. p. 128.*), diatheſis ad apoplexiam, cuius et ego in Theologo memorabile exemplum noui. Hyſtericum et hypochondriacum malum gignit et auget; hinc litterati caueant, ne modum excedant (TISSOT *Santé des gens de lettres p. 200.*). Menſtrua profuſiora nota experientia reddit, indeque deriuandus vltra aetatis ſolitum terminum continuatus eorundem fluxus (ill. ZIMMERMANNI *Erfahr. P. 2. p. 347.*). Parem vim in haemorrhoidibus ciendis habet. Tanto minus vero in nutriendo commodum inde ſperes, quum largior eius potus emaciet, vt inde etiam impotentiae virili obnoxii euaſerint (WILLIS *Pharm. ration. p. 203.*), quo et narratio de conſilio coniugis Sultani MAHMED (OLEARII *Itin. p. 578.*) ſpectat, quae equum caſtrari cernens, ab horrenda encheireſi iuſſit abſtineri, et equo Coffeam propinari, cuius efficaciam in marito exploratam haberet. FR. HOFFMANNVS (*Med. ſyſt. T. 4. P. 1. p. 209.*) miliarium exanthematum incunabula in puerperis a potu hoc repetit, quod nimium. Rarioribus accenſenda, quod in femina quadam, peruigiliis vexata, ſomnum reſtituerit (ZIMMERMANN *l. c. p. 348.*). Febrientibus igitur, cholericis, plethoricis, emaciatis, non conuenit. (Conf. PLAZII *Diſſ. de potus Coffé abuſu ca-*

ta-

talogum morborum augente Lipſ. 1733.). Sed memorata incommoda ex potu vel ſaturatiori vel iuſto auidius et ſub mala diatheſi ingeſto incidunt. Non omnis tamen culpa in ipſa ſemina coniicienda; partem ferat aqua calida, quam ipſam ventriculum neruosque labefactare inter omnes conſtat, in ſaccharum, quod acido generando fauet, in lac, vel, quem minus adhuc probo, cremorem lactis, hinc ructus nidoroſi, et noua ventriculi labis ratio, imo, ſi cl. THIERRY fidendum, fluoris albi nominatim origo.

Ea eſt in vniuerſum humanae naturae vis, vt et ingeſta, non omnino ſalubria, vel impune ferat, vel conſuetudine in ſui amicitiam conciliet, et quibus alter homo male afficiatur, haec alter ſatis bene tolerare queat. Idem valet de Coffeae potu. Relaxandi aquae calidae potentiam corrigit ſtimulo olei Coffea ipſa, quem igitur caue pingui et inuoluente lacte enerues. Mane bibitus aluum blande ſoluit. Erigit animum triſtem, et, quibus indulgendi lucubrationibus vel vigilandi neceſſitas eſt, ſomnum diſpellit. Saturatior mox poſt prandium ſine lacte captus, digeſtionem ciborum adiuuat et cephalalgiam ex ventriculi languore oriundam ſaepe diſcutit. Vrinam mouendo ſabulum et calculos minores pellit.

Raro potus iſte a medicis ad curandos morbos praecipitur. Aduerſus diarrhoeam tamen ſubinde vtiliter adhibitus. Binos huius caſus recenſet LANZONI

zoni (*A. N. C. Vol. 1. obſ. 44.*) alterum diarrhoeae bilioſae, alterum mitioris. Socium laudis ſeſe praebet SCHVLZE (*Pathol. ſpec. p. 440.*). Apoplecticum hominem plura clyſmata ex eodem ſuſcitarunt (MALLEBRANCHE *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1702. p. 29*). Ante aliquot annos in miſcela ſucci Citri tanquam eximium remedium contra intermittentes febres propoſitus fuit, ita ſcilicet, vt Coffeae toſtae et tritae drachmae ſex coquantur in aquae calidae cyatho (h. e. paullo plus quam vnciis tribus), donec dimidium conſumtum fuerit, tumque ſucci Citri aequali quantitate miſceatur. Hoc calide apyrexiae die ieiuno ventriculo aeger ebibat, et hora poſt iuſculum ingerat, moram per diem in lecto trahens. Vnde euacuatio alui copioſa et ſudor inſignis erumpit. Nec vlla repetitione opus fuit (AVDON in *Iourn. de Medecine Vol. 24. p. 243.*). Idem remedium noui efficaciam ſuam pluries in Suecia comprobaſſe.

LINNAEA.

LINN. *Syſt. veg. p. 478. Gen. pl. p. 319.*

159.

Pharm. LINNAEAE *Herba.*

Linnaea borealis; LINN. *Sp. pl. p. 880.* Campanula ſerpillifolia C. B. Nummularia maior rigidioribus et rarius crenatis foliis, flore purpureo gemello

PLVK.

PLVK. *Almageſt. p. 264.* Ampliſſima deſcriptio conſignata in LINN. *Fl. Suec. p. 219.* cum icone. Nitida quoque icon exſtat in *Flor. Dan. Tab. 3.* Elegans fruticulus, quem quo propius intuearis, eo magis recreaberis; emblema igitur viri idoneum, cuius nomen a GRONOVIO tulit. Vnicum olim mihi ſolamen, quum taedioſam moram inter rupes Stockholmienſes ſtirpes colligendo fallerem, dulciaque patriae arua linquens, nauem iactantibus Balthici maris fluctibus committerem. Creſcit in ſyluis muſcoſis, vmbroſis, ſterilibus ſeptentrionalium Europae regionum, item Heluetiae, Pomeraniae, m. Baldi et Canadae.

Flos odorem ſpargit gratum, noctu fragrantiſſimum.

HERBA nondum intrauit officinas extra Sueciam et Noruegiam, et in hiſce quoque rarior. Ibi variae virtutes exploratae. Nimirum in Angermannia planta cocta fomenti et cataplaſmatis inſtar in doloribus rheumaticis eximio ſucceſſu applicata (ARTEDI in LINN. *Fl. Lapp. p. 208.*). Infuſum cum lacte ſpecificum adeo, in doloribus iſchiadicis et rheumaticis, Suecis eſſe pronunciatur (LINN. *Fl. Suec. n. 562.*). In balneo quoque profecit (KALM *Calajokiſokn p. 33.*). IO. GE. GMELINVM (*Flor. Sibir. T. 3. p. 128.*) autem crebrius licet, vt refert, hoc tentantem in arthritide et rheumatiſmis vis deſtituit. Noruegis decoctum in

ſca-

ſcabie placet. Fateor, me non comprehendere ſalutarem effectum, quem Nidroſienſes ex infuſo contra ſcarlatinam experiri, etiam externe vel fotu vel fumo, feruntur (GVNNERI *Fl. Norv. T. 1. p. 37.*); an ſtadio ſecundo leucophlegmatico?

ORDO. XI.

CVCVRBITACEAE.

CVCVRBITA.

LINN. *Syſt. veg. p. 726. Gen. pl. p. 507.*

164.

Pharm. CVCVRBITAE *Semina.*

Cucurbita lagenaria; foliis ſubangulatis tomentoſis baſi ſubtus biglanduloſis pomis lignoſis. LINN. *Syſt. l. c.* Cucurbita oblonga, flore albo folio molli C. B. Conf. RVMPH. *Herb. Amb. Tom. 5. p. 397. Tab. 144.* Planta annua, creſcens in Aegypto per Arabiae deſerta, in Iamaica aliisque Americae calidioris locis.

Epitheton tulit ſtirps a figura FRVCTVS, qui intra lignoſum corticem medullam albam includit. Haec ob amaritiem toti plantae communem vix ad cibum apta eſt. Coquunt eam tamen pauperes in Aegypto

Aegypto, aceto illam conſpergentes et condientes (HASSELQVIST'S *Reſap. 488.*). Sed ob durum tegmen tanto frequentior eſt fructus vſus, medulla abſumta putredine vel commodis inſtrumentis. Ex hoc cochlearia, infundibula, lagenae, ampullae rel. formantur in commoda praecipue peregrinantium, qui liquida aliaque neceſſaria commode hoc auxilio transferre poſſunt. Diameter eius ſaepe $1\frac{1}{2}$ pedem aequat (FÂRSKOLII *Flor. Aegypt. arab. p. 167.*), tantaeque capacitatis eſt, vt 16 vel 17 heminas aquae comprehendat (RVMPH. *l. c.*).

PVLPA fructus in Iamaica ſaepe pultis forma reſoluendi ſcopo vſurpatur. Ingeſta autem purgat, vt Colocynthidis loco eſſe poſſit. Decoctum foliorum pro clyſmate purgante eſt. (BROWNE *Iam. p. 354.*).

SEMEN oblongum, planum, altero extremo fere bicorne, altero acuminatum eſt, coloris pallide bruni. Huius loco plerumque ſemen Cucurbitae Peponis a pharmacopolis recipitur. Etſi ex ſupra de pulpa dictis ſemina C. lagenariae aliquid priui diuerſique ab aliis emulſiuis cucurbitaceis habere probabile: iis tamen par viribus cenſetur et mixtum cum iisdem

SEMINVM QVATVOR FRIGIDORVM MAIORVM nomine venit.

Plura de hiſce infra ſub Cucumere Melone dicentur.

165.

165.

Pharm. CVCVRBITAE *Semina.*

Cucurbita Pepo; foliis lobatis, pomis laeuibus LINN. *Sp. pl. p. 1435.* α, Cucurbita maior rotunda flore luteo, folio aſpero C. B. β, Pepo oblongus C. B. Conf. SCOPOLI *Annus 2. hiſtorico-nat. p. 97. ſq.* Pl. annua, in hortis coli ſolita.

FRVCTVS huius crudus ab hominibus ob tenacitatem edi nequit, ſed ſuibus ſaginandis inſeruit caro eius tam cruda, quam cocta. Cruda quoque vaccae ſaginantur. Nec diſplicet hominibus ablato cortice trita, et cum amygdalis et lacte in pultem ſiue ius cocta. Ex carnis parte vna, farinae triticeae partibus duabus, addito fermento, panis flauicans ſapidus conficitur (SCOPOLI *l. c. p. 105.*).

SEMEN planum, oblongum, vtrinque acuminatum et marginatum coloris albi vel flaueſcentis, ſcatet oleo, ita vt ex libra ſeminis vna olei ſemilibra obtineatur, quod expreſſum lampadum pabulum commodum praeſtat. Dixi iam ſubſtitui C. lagenariae ſeminibus pro emulſionibus.

166.

Pharm. CITRVLLI *Semina.*

Cucurbita Citrullus; foliis multipartitis LINN. *Spec. pl. p. 1435.* Anguria Citrullus dicta C. B. Conf.

RVMPH. *Herb. Amb. T. 5. p. 400. Tab. 146. Fig. 1.* Pl. annua, in Sicilia, Italia inferiori, in Oriente vsque in Chinae prouincias, creſcens. Colitur copioſe in India variis locis, in Aegypto, regno Aſtrachanenſi.

FRVCTVS fere globoſus cultura valde grandeſcit, vsque ad longitudinem trium pedum et diametrum transuerſalem duorum (HASSELQVIST'S *Reiſe p. 488.*). Ad pondus triginta librarum ſubinde peruenit, quin nonnunquam ad tantum, vt vix vnius viri vires illi ferendo pares ſint. Intra tegmen durius comprehenditur caro mollis et rubicunda, quae ſucci tam ferax eſt, vt ſub eſu vndique diffluat, et, ſi excauatur, in fouea facta confeſtim colligatur. Sapore grate dulci et vi refrigerante ſitimque ſedante ſeſe inſigniter commendat. In patria ſua et vbi colitur non ſolum potus vbique inſtar, ſed et medicinae, eſt. Editur praeterea fructus crudus cum pane. Copioſior eiusdem eſus alui profluuia, choleras, colicam aliaque mala creat ob refrigerium inſigne, praecipue ab aeſtuante corpore ingurgitati; vtut magno alias in regionibus tam calidis beneficio eſt (RVMPH. *l. c.* Cfr. et HASSELQV. *l. c.*).

Dolendum igitur tam facile computreſcere. Exiguo eo temporis ſpatio, quo proſtat, adhibetur in febribus ardentibus, plerumque ita (ſaltim in Aegypto), vt ſuccus, qui in foueam excauatam deſtillat, aqua roſarum et ſaccharo miſtus ebibatur (HASSELQVIST).

Se-

Sedulo vero cauent medici Chinenſes ab vſu eiusdem in putridis. Ad noxas ab Opio corrigendas lego facere (RVMPH.).

SEMEN ouatum, compreſſum, conflatum ex cortice nigro et medulla alba. Ob oleum, quod vehit, emulſionibus dicatur. Siccum, dum in plateis verſantur, ad fallendum tempus et refrigerii cauſa, a Chinenſibus editur RVMPH. A nobis ſeruatur ad numerum complendum

SEMINVM QVATVOR FRIGIDORVM MAIORVM.

CVCVMIS

LINN. *Syſt. veg. p. 726. Gen. pl. p. 508.*

167.

Pharm. MELONVM *Fructus; Semina.*

Cucumis Melo; foliorum angulis rotundatis, pomis toruloſis LINN. *Spec. pl. p. 1436.* Melo vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *Herb. Tab. 329.* Pl. annua in Calmuchia ſpontanea (LINN. *Syſt. veg. l. c.*), ſed ob gratiam fructus in vaporariis copioſe culta.

FRVCTVS, qui carne molli ſuccoſa intra corticem tenacem latente conſtat, inſignis varietas, quoad magnitudinem, ad pedis vsque longitudinem, quoad figuram, quae vel globoſa vel oblonga, vel compreſſa, quoad corticem, qui vel reticulatus, vel glaber, vel

verrucoſus ſ. tuberculatus, vel ſecundum longitudinem ſulcatus eſt, quoad colorem, qui in carne vel flauus, rubicundus, vel albus vel viridis eſt, in cortice autem ſimiliter variat, nonnunquam quoque variegatus apparet. Mitto alia diſcrimina. Maxime placet iſtud melonum genus, cuius ſuperficies tuberculis variae magnitudinis exaſperatur, Kantalupe vocant, vt cuius caro duriuſcula cum dulcedine aroma iunctum habet. Quomodo melones optime colantur, exponit A MVNCHHAVSEN (*Hauſv. T. 3. p. 751. ſq.*) Hic fructus ſecundae menſae delicias potius auget, quam numerum medicamentorum. Soletque edi crudus vel ſolus vel in ſacchari et aromatis cuiusdam, Piperis, Cinamomi, quin quis credidiſſet, pulueris Tabaci (DE HAEN *Rat. med. cont. T. 2. p. 44.*) connubio. Immaturi fructus tenelli in Italia aliisque calidioribus regionibus cum ſale et aceto conditi eduntur. Maturus ſucco ſuo blando, aquoſo, ſubdulci diluit, refrigerat, leniter reſoluit. Nec nocet niſi copioſe nimis ingeſtus, ventriculum labefactando colicamque et diarrhoeam ciendo. Proditum exemplum feminae, a phthiſi eſu melonum copioſiori liberatae (BORELL. *Hiſt. et Obſerv. Cent. 4. Obſ. 70.*). Harum vel cucumerum fruſtum iuuat intrudere ano inſtar ſuppoſitorii, ad ſiſtendum fluxum haemorrhoidalem nimium, repetitis vicibus, donec fluxus omnino ceſſauerit (LANGE *miſc. verit. p. 104.*).

SE-

SEMEN ouato-oblongum, planum, compreſſum, vtrinque anguſtius margine acuto, cuius arillus coriaceus medullam albam, dulcem, oleoſam continet. Si contunditur, ope mucilaginis, quam continet, oleum eiusdem cum aqua vnionem init, lacteumque humorem ſiue emulſionem conſtituit. Huic datum eſt refrigerare, acre inuoluere, ſtranguriam mitigare, pacare animum. Hinc in acutis praecipitur plerumque in amygdalarum miſcela, addito, vt magis refrigeret, nitro, gratiaeque cauſa, ſyrupo. Hoc ſi vtimur, abeſſe poſſunt reliqua ſemina huius familiae, tanto magis, quum illud facilius recens conquiri poſſit. Non tamen nimis cito oleum ſeminum melonum rancescere, docet experientia nota, quod ſapidiores melones gignantur a feminibus paullo vetuſtioribus.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SEMINVM QVATVOR FRIGIDORVM MAIORVM e numero.

SPECIES DIATRAGACANTHAE FRIGIDAE *Ph. Würt. p. 180.* Recipiunt praeter gummata, amylum et Glycyrrhizam, ſemina 4 frigida mai., pro deſiderio medici admiſcenda.

168.

Pharm. CVCVMERIS *Fructus*; *Semina.*

Cucumis ſatiuus; foliorum angulis rectis, pomis oblongis ſcabris. LINN. *Syſt. veg. p. 726.* Cucu-

mis ſatiuus vulgaris C. B. Icon: BLACKWELL *T.* 4. Pl. annua patriae ignotae, ſed colitur abunde in hortis, nec frigidioris aëris tam impatiens, vt Melo.

FRVCTVS intra cutem duriuſculam continet pulpam virideſcentem aquoſo acidam, cum odore peculiari. Nonniſi immaturus in vſum trahitur. Tenellus aceto (quod mala arte viredinis gratioris cauſa in vaſe ex aurichalco coquitur) et aromatibus conditur (Eſſiggurken). Paullo maior vel ſolutione ſalis cum variis aromatibus praeparatus (Salzgurken); vel crudus, decorticatus, et in orbiculos ſectus editur, ſub ſolita olei, aceti rel. miſcela, vel expreſſione ſucci nimii praegreſſa, vel, poſt ſtationem cum aceto, decantatione eius ſucci partis, quae ſponte profluxit. Sic ſapore et refrigerio multis aeſtate placet. Nec nocet ventriculo firmiori beneque digerente; difficilior digeſtu expreſſione euadit.

Rarius in ſcopum medicum adhibetur. Succum Cucumeris, quem iam ſuaſit in phthiſi ORIBASIVS, varii recentiorum eodem praeconio ornarunt. Prodeſſe febre lenta detentis confirmat SCHVLZ (*Mat. med. p. 235.*). Hocce crudo et decorticato pro arbitrio comeſto quidam ex haemoptyſi phthiſicus conualuit, absque vllis morbi recidiui indiciis (MVZELL *Wahrnehm. 1. Samml. p. 5.*). Idem accidit militi, qui multum puris excreuerat, ſed cucumeres manifeſtum de-

cre-

crementum labis peperere, et tandem electuario ex melle cum puluere Hederae terreſtris et Vrticae minoris breui poſt plane ſanitati reſtitutus eſt (BÖNNEKEN in *Fränk. Samml. Vol. 5. p. 408.*).

SEMINA praecedentibus figura, quae tamen in Cucumere anguſtior, et viribus ſimilia. Sunt ex numero

SEMINVM 4 FRIGIDORVM MAIORVM.

169.

Pharm. COLOCYNTHIDIS *Pomum.*

Cucumis Colocynthis; foliis multifidis pomis globoſis glabris LINN. *Spec. pl. p. 1435.* Colocynthis fructu rotundo, maior C. B. Icon: BLACKWELL *T. 441.* Pl. annua climatis calidi Syriae et Alepi.

FRVCTVS eſt pomum globoſum ad pugni magnitudinem ſubinde accedens, compagis fungoſae, coloris albidi, leue, intra cellulas copioſas ſemina oblonga plana continens, Alepo transferri ſolitum. Fungoſa pars ſiccata nomine venit

PVLPAE, quae intenſe amara nauſeoſa, acris eſt. Analyſin chemicam BOVLDVC (*Mem. de l'Acad. de ſc. de Paris 1701. p. 12.*) NEVMANNVS (*Chymie 2 B. 2. Th. p. 143.*) aliique praeſtiterunt. Memorabilis praecipue eſt mucilaginis copia, quae illi ineſt, tam larga, vt tinctura ſpirituoſa per chartam bibulam non transeat, aegre per colum. Priſcis Graecis bene nota

Κολοκυνθις, Arabibus Alhandal, quod idem, vtique ab hiſce in variis morbis praeſcripta, ſed haud absque ſuſpicione violentiae. Quibus vero non amplius immorabor, quum IO. HENR. SCHVLZIVS (*Diſſ. de Colocynthide*) abunde rem excuſſerit. Omni aeuo cognita vehementia, qua aluum mouet, torminibus et aliquando deiectionibus cruentis ſtipata. Sic de caupone legitur, eum ex contuſo pomo deglutito non tantum diriſſimos ventris cruciatus, ſed et dyſenteriam et contractiones artuum horrendas inde perpeſſum, ereptum tamen periculo clyſmatibus oleoque ore ſumto. (STALP. VAN DER WIEL *Cent.* I. *Obſ.* 41. *p.* 173.). Alius prae ingenti ſanguinis per aluum profluuio ex decocto trium pomorum fere obiiſſet, niſi oleum per os et anum ingeſtum acrimoniam refraenaſſet (TVLP. *Obſ. Lib.* 4. *c.* 26. *p.* 218.). Quin lethalis dyſenteria ex vino, in quo pomum Colocynthidis per noctem maceratum fuit, orta (PLATER. *Obſ. p.* 858.). Clyſmatibus inditam ſanguinem pariter ducere iam DIOSCORIDES (*Lib.* 4. *c.* 178.) notauit. Abdomini inuncta aluum quoque ſoluit. Quin qui diutius manibus tractant, vel in mortario terunt, hypercatharſin inde contrahere dicuntur (BÖCLER in HERMANN. *Cynoſ. Mat. med. p.* 335.). Inuenta temporis ſucceſſu tot blandiora purgantia, vt vix niſi in compoſitis quibusdam locum adhuc obtineat draſticum illud, ope mucilaginis tanto tenacius ſeſe affigens. Varii hinc cor-

correctionis modi sunt excogitati, admiscendo illi gummi quoddam, vel eandem fermentando infundendo vel decoquendo aqua, vino, quin urina (ad consilium RIVERII *Prax. L. 1. c. 15. p. 191.*). Praeferendum hisce omnibus extractum aquosum, quod dimidium supraue pondus integrae Colocynthidis constituit, et efficaciter quidem purgat, sed longe mitiori stimulo, quam pulpa ipsa (LEWIS *Mat. med. p. 228.*).

Certa et explorata modo sectans nolo omnia repetere, quae de vsu in variis chronicis morbis auctores tradidere. Sunt inter haec mala a vermibus, in quibus necandis tamen nihil specifici continere videtur; nam lumbrici, infuso saturato immissi, intra quatuordecim vel viginti quatuor horas modo extincti sunt (REDI *de animalculis p. 161.*). Attamen multi non solum vario modo interne exhibuerunt, sed et unguentis et cataplasmatibus abdomini applicandis ad lumbricos expellendos addiderunt. Quae recentius inclaruit vis contra luem veneream non nouiter inuenta. Memorat inter tot alias eam SCHRÖDERVS (*Pharm. p. 771.* et HERMANNVS *M. m. p. 333.*) V. infra de seminibus. Ingesto integro pomo, vna vel duabus dosibus inter consueta vehementia symptomata milites aliquot a gonorrhoea sese liberarunt (COLOMBIER *Code de med. milit. T. 5. p. 420.*). Tutior omnino est tinctura, cuius formulam publici iuris fecit FABRE (*Mal. veneriennes T. 2. p. 368.*), et ipse vsum in casu difficili gonorrhoeae

ſuppreſſae fecit, ſcil. Rc. Pulp. Colocynth. in groſſum pulverem redactae ʒjß Caryoph. arom. N. vj Aniſ. ſtell. ʒj Croc. gr. xij Terrae fol. tart. ʒj M. conc. cont. ſtent in digeſtione cum Spiritus vini ʒxx per menſem. Colaturae drachmae duae in vnciis duabus vel tribus vini Hiſpanici meraci vel aqua diluti per triduum mane ingerantur, quarto die vacuo, et dein redeundo ad triduum vſum, poſt quem iterum dies ſine vſu praetereat, ſicque pergendo vsque ad praebia viginti vel viginti quinque capta, ſuperbibito quauis vice poſt interuallum horae ptiſana ex hordeo et Glycyrrhiza. Ingruentibus torminibus aliquot clyſmata emollientia applicari curauit. In formula varia apparet corrigi poſſe. Aliam commodiorem parauit veteranus mihi amicus et perſpicaciſſimus Regis Sueciae medicus ord. cel. DAHLBERG (*in litt. m. Decembr. a. 1775.*) ex Pulpâ Colocynth. ʒjß Aniſ. ſtell. ʒj Spiritus vini Gall. ʒxx, quam ipſam in doloribus chronicis caput praecipue et vicinas partes afficientibus incomparabilem vocat, initio facto a guttis quindecim vel octodecim ter vel quater de die, augendo doſin gutta vna quotidie, donec aluus emolliatur. Feminam quandam contra dolorem dentium et capitis ad cochleare vnum maius vsque ſumſiſſe refert cum leuamine absque menſium vberiori fluxu; grauidam quoque ſe inſcio ingeſſiſſe ſine vllo noxio effectu, vt igitur perperam Colocynthis emmenagoga habeatur. — Vtinam aeque certa experimenta de vſu in epilepſia, melancholia, mania, aſthmate aliisque mor-

morbis, qui paſſim leguntur ea ſanati, proferre poſſem.

Doſis DIOSCORIDIS quatuor obolorum ſ. ſcrupulorum duorum larga nimis eſt. SENNERTVS ad gr. XV permittit. Praeſtat minori aliquot granorum acquieſcere, vel in tinctura guttatim dare.

In clyſmatibus et oleo ingeſto praeſidium eſſe Colocynthide largius ingeſta, ex ſuperioribus elucet.

SEMEN oblongum, compreſſum, flauicans eſt, intra corticem tenacem nucleum vnctuoſum ſubdulcem recondens. Solet hoc reiici. Attamen et purgat, ſed mitius tutiusque longe. (LOBEL. *Adverſ. p. 287.*) Seminum infuſo cereuiſia parato chirurgus in multis luem veneream ſuperauit (WEDEL *Amoen. mat. med. p. 250.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Veteres copia compoſitorum vſi ſunt, in quorum miſcela vel ad correctionem Colocynthidis reſpectum eſt, vel ad ſtimulum, quem aliis eadem impertire voluerunt; quorſum TROCHISCI ALHANDAL, CONFECTIO HAMECH, PILVLAE ILIACAE, PILVLAE COCHIAE, alia. (Conf. SCHVLZ *Diſſ. cit.*) quaedam eorundem adhuc noſtro tempore ſuperſunt; quibus alia iungam.

EXTRACTVM COLOCYNTHIDIS *Ph. W. p. 91.* Eſt ſpirituoſum cum aquoſo iunctum. Vehemens purgans,

gans, vt pro ſtimulo aliorum ſit. Doſis gr. trium ad octo.

TROCHISCI ALHANDAL *Ph. W. p. 233.* Ex pulpa Colocynthidis cum mucilagine Tragacanthae et Gummi arabici contuſa, dein iunctim ſiccata vt vel in puluerem redacta, vel in trochiſcos formata. Praeſtat vnice pro ſtimulo purgantium ſeruare.

OLEVM COLOCYNTHIDIS *Ph. W. p. 123.* Ex hoc fructu, radice Hellebori nigri, felle bubulo, oleis infuſis. Abdomini illitum aluum ſoluit vermesque necat.

PILVLAE COCHIAE RHASIS *Ph. W. p. 138.* Ex Trochiſcis Alhandal, Diagrydio, Turbith rel.

PILVLAE COCCIAE *Ph. Edinb. p. 82.* Paullo diuerſae compoſitionis, quae Aloën recipit, Turbith autem omittit. Hae vna cum Calomelano in lue venerea vſum praeſtitere (*Chirurg. Pharm. p. 359.*)

PILVLAE ſ. EXTRACTVM RVDII *Ph. Ed. p. 86.*

PILVLAE E COLOCYNTHIDE SIMPLICIORES *Ph. Lond. p. 94.*

PILVLAE E COLOCYNTH. CVM ALOE *l. c.*

EXTRACTVM CATHARTICVM *Ph. Lond. p. 29.*

EXTRACTVM CATHOLICVM *Ph. W. p. 91.* Inter alia draſtica et Colocynthidem continet. Compoſitum THEOPHRASTI PARACELSI, qui vero Aloën

Aloën et Ialapam omiſerat. Diuerſa formula in PH. BRAND. *p. 95.* exſtat. Aliae HOFFMANNO et POTERIO placuerunt, eodem etſi nomine ſeruato. Haud inſuetum purgans, et pari paſſu cum ſequenti Extracto ambulans. Ad ſcrupulum dimidium vel ſupra ſolet praeſcribi.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM CROLLII *Ph. W. p. 94.* Deſcriptum in *Baſilic. chymic. p. 137.* multis encomiis. Inconcinna formula, multa purgantia complectens earundem virium. Attamen non ſpernenda, praecipue in obſtructione alui habituali. Vnde et crebro exhibetur vel ſolum in pilulis ad grana decem vel quindecim ſiue in connubio Reſinae Ialappae et mercurii dulcis; vel etiam ſolutum in mixtura ſimplici; ſub qua forma ELIXIR POLYCHRESTVM HALENSE *Ph. W. p. 55.* dicitur.

VNGVENTVM DE ARTHANITA *Ph. W. p. 240.* V. Cyclamen.

MOMORDICA.

LINN. *Syſt. veg. p. 725. Gen. pl. p. 526.*

170.

Pharm. CVCVMERIS ASININI *Radix; Fructus. Momordica Elaterium;* pomis hiſpidis cirrhis nullis LINN. *Spec. pl. p. 1434.* Cucumis aſininus dictus C. B. Σικυς ἀγριος Graecorum. Icon:

RE-

REGNAVLT *Botanique* Concombre ſauvage. Pl. in Gallia auſtrali, Italia, Sicilia aliisque locis Europae meridionalis, creſcens. Annua in hortis, perennans in hypocauſtis.

Tota ſtirps ſuccoſa intenſe amara, qui ſapor cum nauſea iunctus et in RADICEM cadit. Haec craſſa ramoſa. Rariſſime, ſi vnquam hodie, praecipitur efficax remedium. Emeſin potenter ciëre, nec ſine violentia aluum ſoluere praecipue in hydropicis veteres iam obſeruarunt; parcius autem ingeſtam reſoluere et obſtructiones viſcerum reſerare. Succi eius priori ſcopo grana quindecim commendat DIOSCORIDES et radicis ipſius totidem AVICENNA. Hiſce longe audacior FALLOPIVS (*de purgantibus l. 55. p. 122.*), qui ad integram drachmam aſcendit. Vtne inflammaret vel tormina crearet cum Bdellio vel Tragacantha vel lacte dulci coniungere e re duxit MESVE. Extrinſecus pariter diſcutientem ſuam vim declarat, hinc ad dispellendum oedema cum polenta illita, aceto vero cocta podagrae, et aqua decocta malo iſchiadico, ſubuenit, arida tritaque in variis exanthematibus chronicis arriſit (DIOSCORIDES). Extractum ex hac parauit BOVLDVC (*Mem. de Paris 1719. p. 45.*), cuius grana 24 ad 30 exhibuit, hinc debilius Elaterio.

FRVCTVS oblongus, pollicem circiter craſſus, ex viridi flauidus, qui matureſcens ad leuem flexionem prope pedunculum diſſilit, violenter ſemina cum ſuc-

ſucco in cauo latente explodens. Huic praeprimis inſignis amarities inſidet. Siccatus et cum feminibus in puluerem redactus hydragogum eſt laudabile (BOVLDVC *Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1719. p. 46.*). Et haec pars plantam praecipue celebrauit, nimirum per *Elaterium*, quod ex illo ſecundum plerorumque mentem optime conficitur.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ELATERIVM. Praeparationis ratio diuerſa; vnde diſcrimen in Elaterium *nigrum* et *album* natum eſt. Quum ſit vetuſtum remedium: ab antiquis merito praeparatio petenda eſt. In qua ipſa tradenda DIOSCORIDES (*Lib. 4. c. 155.*) largus eſt; iubens fructus maturos ſuper cribro in fruſtula tranſcindi, humorem exundantem per cribrum exprimi vna cum carnoſa parte, tum expreſſum ſuccum in aliud vas transferri, fruſtula vero in cribro collecta aqua dulci perfundi; ſic ſucco omni elicito et quiete illi per aliquam moram conceſſa liquidum ſupernatans cum ſpumeſcente ſupra materie effundi vult et ſedimentum vnice ſeruari contritum et in paſtillos formatum. Criteria probi elaterii tradit eſſe haec, quod cum candore modice humectum ſit, minime ponderoſum, leue, guſtu amariſſimum, quod lucernae admotum facile ardeat. Spernit vero porraceum, et aliis notis ab hoc diuerſum. DIOSCORIDIS igitur Elaterium

eſt

eſt fecula candidi coloris. Dicto modo experimenti cauſa HENR. SCHVLZIVS (in EVERHARDI *Diſſ. de Elaterio, Altd. 1722. p. 9.*) parauit, ſed ex viginti cucumeribus, poſt praegreſſam tempeſtatem pluuioſam collectis, nonniſi grana duo Elaterii porracei valdeque humidi obtinuit; verum poſt ſereniores aliquot dies ex quinquaginta pomis (quae maturiora videbantur), grana quatuor Elaterii ex albo parum virideſcentis, quod ſiccatum in puluerem redigi ſeſe ſiuit, elicuit. Ad mentem veterum parauit BOVLDVC (*Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1719. p. 46.*) extractum pretio haud inferius. ALSTONIVS (*M. med. T. 1. p. 421.*) conſilium DIOSCORIDIS ſequutus, feculam obtinuit coloris profunde viridis et ponderoſiorem minusque inflammabilem vulgari Elaterio. An Cucumeres non ſatis maturos adhibuit? Ab hoc DIOSCORIDIS differre videtur iſtud THEOPHRASTI (*Hiſt. Lib. 9. c. 14.*) — Et hoc eſt *album* iſtud, rarius memorari ſolitum, modo non accipias perfecte album, ſed pallidum, hoc eſt ex viridi albens. A fraudulentis hominibus parari ſucco cum amylo mixto iam notauit DIOSCORIDES. Elaterium genuinum dicto modo paratum ſine dubio intellexit SYDENHAMVS (*Opera p. 488.*), faeculam Cucumeris agreſtis illud vocans, quod nomen etiam imponitur ab Edinburgenſibus (*Ph. Edinb. p. 68.*), qui pariter ac Sueci medici (*Ph. Suec. p. 88.*) absque expreſſione eliciunt ſuccum, et humorem

rem ſupernatantem effundunt, partem craſſiorem leniſſimo igne exſiccant. — Senſim vero alius inualuit mos illud praeparandi, nempe ſuccum exprimendo et ignis ope inſpiſſando, quem Arabes docuiſſe ferunt, (etſi neque AVICENNAM neque MESVEN apertis verbis illam tradentes reperio) idque encheireſi non vna. Galli (*Cod. medic. p. 50.*) quaſſant fructus matureſcentes cum pedunculis in mortario affuſa aqua feruente, dein ſuccum fortiter expreſſum exſiccant. Wurtenbergenſes (*Ph. W. p. 44.*) ſeminum adeo partem vna cum pulpa fructus contundunt denique transmittunt per cribrum inſpiſſantque leniſſimo calore. Et ſic fere etiam *Pharmacopoea Danica* (*p. 245.*). Quidam parant ex ſucco integrae plantae contuſae (ALBIN. apud ALSTON. *l. c. p. 422.*). Fertur quoque in Belgio fieri extractione radicis cum vino (LEWIS *M. m. p. 242.*); prout BOVLDVC (*l. c. p. 45.*) cum aqua extractum ex radice elicuit mite, ſed efficax. Pro diuerſa iſta praeparationis ratione non poteſt non quoque vis variare, ita, vt merito craſſius iſtud ſubſidens, leniter exſiccatum, efficacius longe habeas ſucco expreſſo, fortiori igne inſpiſſato, multis eximiis partibus per ignem priuato. Quod in pharmacopoliis vulgo occurrit, extractum *nigricans* refert, fragile, valde amarum et ſubacre.

Communi conſenſu validum draſticum eſt; hinc et conſueuerunt veteres omne forte purgans Elate-

rium dicere (BOD. A STAPEL in THEOPHR. *p. 1128.*). Sub vſu pulſum erigit, adeo vt aegri inſuetum impetum in extremis digitis ſentiant (LISTER *de hydrope in App. Oper.* MORTONI *p. 25.*). In hydrope praecipue ad euacuandam per aluum aquam adhibetur, qua in re etiam praeeuntes veteres habemus (v. EVERHARDI *Diſſ. cit.*). Inter primaria, pro hoc ſcopo, retulit SYDENHAMVS (*Oper. p. 488.*). Nec minoris illud fecit eius ciuis LISTERVS (*l. c. p. 21. ſq.*) quibus multi fautores alii addi poſſunt, BONTIVS (*med. Indor. p. 149.*), HEVRNIVS, (*method. ad praxin p. 242.*) SCHVLZIVS cum coaeuo practico, quem citat EVERHARDVS (*l. c.*). Deſueuit poſtero tempore in Elaterium fiducia, dum conſtitit, in multis lympham collectam facilius et minori longe virium decremento per lotii vias expelli. Et fatendum, plures auctorum ſtimuli potius inſtar aliis hydragogis addidiſſe, quam ſolo Elaterio deiectiones excitaſſe. Vſum alium internum veterum in anheloſis, et externum in angina, condylomatibus ani, obſcuritate viſus aliisque vitiis oculorum rel. hodie plane non curamus; etſi omnino inde pateat, ad vim reſoluentem eos reſpexiſſe.

De doſi varie ſtatutum eſt, vtpote quum non vna fuerit praeparandi eius encheireſis. Et ad DIOSCORIDIS mentem recens paratum, diutius ſeruato potentius eſt. DIOSCORIDES grana quinque ad decem permittit, FERNELIVS gr. viginti, SYDENHAMVS

MVS plerisque dosin gr. duorum aptissimam innuit, SCHVLZIVS puero decenni eius grana quinque ad octo cum syrupi Spinae ceruinae vncia vna dedit absque malo effectu. BOERHAAVIVS tantum gr. quatuor concedit. — Initio saltim, donec de gradu efficaciae constet, dosin exiguam exhibere prudentis est.

VNGVENTVM AGRIPPAE *Ph. W. p. 239.* radicem recipit.

BRYONIA.

LINN. *Syst. veg. p. 727. Gen. pl. p. 508.*

171.

Pharm. BRYONIAE *Radix; Turiones.*

Bryonia alba; foliis palmatis vtrinque calloso-scabris LINN. *Spec. pl. p. 1438.* Bryonia alba baccis nigris C. B. Αμπελος λευκη DIOSC. creditur esse. Icon: REGNAVLT Bryone coulevrée. Pl. perennis, cr. copiose ad sepes, etiam in Suecia.

RADIX ramosa, ad brachium vel femur nonnunquam crassa, dum recens est, subfoetida, amara, acris, adeo vt cutem recens inflammet, siccata mitior. Succo tenui scatet, qui primo vere lacteus est (LEWIS *M. m.*), et, si excauatur radix, medio cauo colligitur. Purgandi efficacia notissima est, longe insignior in succo vel radice recenti, quae vna cum alui

deiectionibus vomitum cient (HERM. *M. m. T. 1. p. 141.*). Succi drachmae duae ad vnciam dimidiam hoc scopo dari possunt (ALSTON *Mat. m. p. 402.*). Rustici excauatae radici cereuisiam infundunt, et post stationem per noctem mane ebibunt (LÖSEKE *M. m. p. 107.*). Sicca tutior, sed vix hodie amplius praxin ingreditur, commendata a scrupulo vno ad drachmam integram. Sunt et chronici morbi, in quibus passim cum laude adhibita, vel ad collectam vitiose lympham eliminandam vel ad pertinaces humores soluendos, vel obstructiones viscerum reserandas. In hydropis deploratissimo casu radice vsus est ad drachmam vnam HERCVLES SAXONIAE (*Praelect. pract. P. 2. c. 27. §. 18.*). Succum in excauata radice recenter collectum a cochleari vno ad duo vel tria magni fecit DOLAEVS (*Encycl. med. L. 3. c. 9.* in *Oper. omn. p. 280.*) addens robustioribus magis conducere, quam debilioribus, et in ascite cathartica saepe malum exasperare. Radicem crassam recentem in formam coni excauare, hocque cauum replere saccharo, vt intra 24 horas deliquescat, et liquoris cochlear vnum propinare mane, et quouis bihorio repetere, donec aeger largissime mingat, consilium est BVRCGRAFII (*Lexic. med. p. 1710.*), non enim sic purgare; pro potu autem sit infusum ex aqua simplici et vna ad tres taleolas radicis integrae (IDEM). — Maniam febri intermittenti diuturniori superuenientem discussit SYDENHAMVS

(*Proc.*

(*Proc. integr. in Op. p. 626.*) pulueris radicis drachma vna in lactis vaccini vnciis quatuor sumta, vel et potione ex radicis quatuor vel sex drachmis, vini albi vnciis quatuor infusis et syrupo violarum post colaturam edulcoratis; quorum alterutrum tertia vel quarta die datum, donec octies vel decies purgatus fuerit aeger, quod si factum, catharticum ad septimanam vnam vel alteram omissum — Epilepsiae quoque remedium propositum. Meminit ARNOLDVS DE VILLA NOVA (*Brev. pract. L. 1. c. 22.*) epileptici intra tres hebdomades sanati sola purgatione cum succo, saccharo edulcorato. Eadem simplici medicina pueri aliquot epileptici, bis quauis hebdomade purgati, conualuerunt (REVSSNER *Curat. et Observ. 158. ed.* WELSCHII). Sic igitur purgando potius aliuum epilepticis auxilio esse videtur, quam specifica aliqua virtute.

Sed nec externe applicata iners. In oedematibus crurum radix in taleolas secta, leuiter contusa et cruribus calide applicata, repetitis duodecima quauis hora vicibus apud quosdam stupendum in modum euacuat aquam (TISSOT *Epist. pract. p. 423. sq.*). In aliis tamen successu caruit (IDEM.). Discussioni sanguinis ex contusione collecti inseruit rasa (HELMONT. *Ignot. hydrops* §. *40.*). In vsum quoque tracta in malo ischiadico et scrophulis, contra quas vnguentum adhibuit ZACVTVS (*Hist. med. mirabil. Obs. 101.* Conf. BOYLE'S *Works Vol. 4. p. 209.*). Decocta in luxatio-

nibus et tumore cum rigiditate articulorum egregie valuit (ALSTON *M. m. Tom. 1. p. 401.*). A fraudulentis ſubinde haec radix loco Mechoacannae vendita (NEVMANNS *Chemie Vol. 2. P. 1. p. 257. ſq.*).

TVRIONES apud veteres in cibum cocti, ſed addit DIOSCORIDES aluum et lotium mouere. Absque violentia id fieri, DEERING.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

FAECVLA BRYONIAE *Ph. W. p. 96.* Obſoleta. Efficacia fere omni deſtitui, BOERHAAVE (*Hiſt. pl. L. 3. p. 497.*).

SYRVPVS BRYONIAE *Ph. W. p. 204.* Ex ſucco et ſaccharo. Reſoluendi vim ſpondet purgatque.

VNGVENTVM AGRIPPAE *Ph. W. p. 239.* Potiſſimum eius pondus conſtituit radix Bryoniae. Ad aluum mouendam in lienis obſtructione et tumoribus frigidis extus adhibetur.

VNGVENTVM DE ARTHANITA *Ph. W. p. 240.* Vid. Cyclamen.

ORDO.

ORDO. XII.

SOLANACEAE ſ. LVRIDAE.

SOLANVM.

Syſt. veg. p. 186. Gen. pl. p. 100.

172.

Pharm. DVLCAMARAE vulgo, SOLANI LIGNOSI Edinb. *Stipites; Radix.*

Solanum Dulcamara; caule inermi fruteſcente flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, racemis cymoſis LINN. *Spec. pl. p. 264.* Solanum ſcandens ſ. Dulcamara C. B. Icon *Flor. Dan. Tab. 607.* Stirps fruteſcens, ſarmentoſa, in vdis plerumque creſcens. Vbi deeſt, facile per caules diffuſos, radices, dum ſolum attingunt, agentes, propagatur.

Caue, ne terreat cognatione cum venenata familia, quum quaedam eius ſpecies mitius virus contineant, nec hoc per omnes ſtirpium partes aequaliter diſtributum. Ita *Baccae* huius violenter purgant et vomitum cient, ſic vt baccae triginta intra horam tertiam canem necarint, in ventriculo indigeſtae ſuperſtites (FLOYER *Pharmacob. p. 86.*). Reliquae partes ſignificatae quidem mitiores, ea tamen efficacia praedi-

ditae, vt mirum, tam raro formulas intrare. In Suecia et Auſtria praeſcribuntur STIPITES; in Germania reliqua RADIX. Praerogatiuam iſti habent. Analyſin chemicam, praeterquam ex vulgaribus fontibus petat, cui operae pretium, ex SPIESSENHOFFII *Diſſ. de Dulcamara Heidelb. 1742.* Colliguntur ſtipites vel primo vere vel autumni fine, foliis deſtituti, tumque et odor ſaporque inſignior. Vtraque pars guſtata ſaporem primo amarum, dein melleum, prae ſe fert, odorem viroſum. Stipites tamen minus amaritiei habent miſtum, quam Radix Polypodii; ſed non nimis diu coqui debent, ne diſpliceant amaritie. Per omnia colatoria corporis efficaciam exercent. Largior Dulcamarae vſus initio et antequam ventriculus illi aſſueuerit, nauſeam et vomitum excitat (LINN. *Diſſ. de Dulcamara p. 9.*), quin conuulſiones et deliria (HAEN *rat. med. T. 4. p. 247.*), et, notante cl. GOVAN, protractus paralyſin linguae (LINN. *Diſſ. cit. p. 10.*). BOERHAAVIVS (*Hiſt. pl. Hort L. B. Rom. p. 506.*) ſuccum penetrantiſſimum ſaponaceum et detergentem illi tribuit; nec minoribus laudibus ill. A LINNE (*l. c.*) cumulat, qui ſordes humorum per diureſin aluique profluuium optime eam eiicere notat. Curationes memoratu dignas cel. auctor allegat efficaciae in rheumatiſmis varii generis, doloribus oſteocopis, in ictero, in ſcorbuto, lochiis et menſtruis ſuppreſſis, in contuſionibus et ſugillationibus (vnde etiam

In-

Infuſum traumaticum FVLLERI *Ph. extemp. p. 214.* ingreditur), in ſcabie experientia Uplandorum, quare peculiare nomen ab iisdem Quesved (quaſi dixeris lignum contra ſcabiam) tulit, in lue venerea, ex propria ill. viri et SAVVAGESII experientia, qui Suecum, Monſpelium curationis luis cauſa profectum, ex conſilio LINNEI olim dato Dulcamara ſanauit.

Ad pleuritidis et peripneumoniae nothae curationem extulit BOERHAAVIVS (apud HALLERVM in *Hiſt. ſtirp. helv. n. 575.*). Sed adhuc hodie in inflammatoriis pectoris morbis Weſtrogothi interdum, etſi non ſemper feliciter (LINN. *Diſſ. cit. p. 12.*) prout facile augurari licet, adhibent. Contra phthiſin [illegible] medici celebrant. In metu phthiſeos WERLHOFIO placuit vi ſputa mouente et roborante (HALLER. *l. c.*) Nec latuit haec vis BOERHAAVIVM, diſſuadentem tamen hanc medicinam ſudoribus nocturnis ſeſe manifeſtantibus. Iuuenem phthiſi fere conſumtum longiſſimus infuſi vſus ſeruauit, pulmento ex farina ſecalina cum pauco butyro cocto iunctus (TREW in *Comm. Nor. 1742. p. 331.*). Dulcamaram vnicam fere phthiſeos medelam habet SAGAR (*Syſt. morb. p. 16.*).

Quantae efficaciae in cacochymia varia fuerit, docet cl. RAZOVX variis locis. Scorbutum conſummatum iunctum exulcerationibus cancroſis et maculis decocto deuicit (*Mem. de l'Acad. d. ſc. de Paris 1761. p. 55.*). Plura experimenta alibi (*Iournal de Me-*

decine T. 22. p. 236.) de vſu in exoſtoſi, vlceribus crurum, herpete, oedemate eryſipelaceo tradidit. Quae in EIVSD. *Tables noſologiques p. 268.* de Dulcamara exſtant, dicta modo repetere videntur.

In ſpaſmis et conuulſionibus quoque confert et humores blande attenuat (HAEN *Rat. med. l. c.*). — Reſpiratio difficilis grauidae, in febre intermittente incidens, ſuperata infuſo ſtipitum, cortice peruuiano contra hoc ſymptoma nihil valente (COLLIN *Ann. med. 3. p. 104.*).

Modus vero exhibendi is eſt. Stipitum (ſecundum LINN. *Diſſ. cit. p. 9.*) ſiccatorum et conciſorum Pugillus ſiue drachmae duae vel quatuor infundantur cum aquae bullientis libra vna, quae poſt moram ſemihorii per octauam horae partem vna ebulliant. Huius decocti modice frigefacti mane et veſperi duo vaſa pro Thea ingerantur. Initio decoctum temperetur pauxillo lactis, quo ſtomachus illud melius ferat, dein hoc connubium omitti poteſt. Alii (RAZOVX *Iourn. de Med. cit.*) placuit ſtipitum recentium drachmam dimidiam cum aquae ſimplicis vnciis ſedecim coquere, donec dimidia pars conſumatur; cuius colaturae vitrum (verre) cum parte aequali lactis vaccini tenuis omni quarta hora propinatum, ſenſimque praebium ad drachmas tres vel quatuor auctum. Sic neque aluum nec lotium mouit. Puluis vix vnquam exhibetur.

Vitiis externis cl. RAZOVX *Folia* applicuit.

173.

Pharm. SOLANI *Herba.*

Solanum nigrum; caule inermi herbaceo foliis ouatis dentato-angulatis, racemis distinctis nutantibus. LINN. *Syst. veg. p. 186. α, vulgatum.* Solanum officinarum C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 460.* Pl. annua, in locis ruderatis et ad vias sepesque vulgatissima.

Mox initio doleo sententiarum de natura huius plantae diuortia, quum tamen vtriusque partis auctores experientiam praetendant suam. Suspectam reddit affinitas, sed haec saltim non gradum virium definit. Odor quoque Herbae teter, vt adeo somnum effluuia excitarint (BOCCONE *Museo di fis. p. 284.*). Ex baccis interierunt gallinae (HALL. *hist. st. helv. n. 576.*), et in infantibus tribus deliria, cardialgia et membrorum mirae distorsiones, natae (CAMERARIVS apud WEPFER, *de Cicut. p. 226. sq.*). De ipsa herba in medium profertur historia matris et quatuor infantum, quibus ex esu foliorum loco oleris intumuit facies cum artubus sub ardore intolerabili, accedente successu temporis gangraena, marito tamen, cui pariter esca fuit, immune. (RVCKER *Commerc. Noric. 1731. p. 372.*).

Attamen HERBA medico scopo extrinsecus admissa. Nam si remotissimi temporis ratio habeatur, DIOSCORIDES, modo sit eius Στρυχνος κηπαῖος (*M.*

m.

m. Lib. 4. cap. 71.), in variis praecipue vitiis cutis et oculorum, eryſipelate, herpete, inflammatione, in parotidibus rel. vt refrigerans, diſcutiens, anodynum applicuit multiplici modo. Apud Arabes foliorum recentium ſuccus in ambuſtis et in morbo Arabibus dicto Bulae (mihi ignoto) adhibetur (FORSK. *Flor. Aegypt-arab. p.* XCIX.). Recenti herba contuſa et tela aranearum vel lardo rancido mixta paronychiae medentur Gothlandi (LINN. *Gothl. reſa p. 209.*). Interni vſus medici rariſſima apud auctores occurrunt veſtigia: memoriae tamen proditum ſub inflammatione ventriculi et aliorum viſcerum, ſub ardore lotii et in calculo aquam vel ſuccum locum habuiſſe (CAESALP. *de pl. p. 213.*). Sed praeter opinionem explorare folia per os ingeſta datum fuit GATAKERO (*Obſervations on the internal uſe of Solanum Lond. 1757.*), prae errore Belladonnae loco hanc exhibenti, in vlceribus cancroſis aliisque mali moris, vti et affectibus doloroſis. Sicque comperit infuſum ex aquae vncia vna et herbae ſiccatae grano vno eximiam opem et blandam ferre; a maiori autem doſi granorum duorum vel trium vomitum, ſudorem, vrinae profluuium copioſius, diarrhoeam produci, quosdam cephalalgia, vertigine, ſomnolentia, incaleſcentia corripi. Effectus exoptatos poſtea iterum confirmauit, vim tamen ſpecificam illi denegat, euacuando contra ea praecipue vim exſerere exiſtimans (EIVSD. *Eſſays on med. Subjects 1764.*

In-

Introduct. et p. 38. ſq.). Adſtipulatur cl. BROMFIELD (*Account of the Engliſh nightſhades;* quem vero librum mihi non contigit legere) viribus recenſitis. Neminem ſcio, qui experimenta in dictis malis iterauerit.

Mirabitur, qui haec legerit, quod alii a virus culpa ſtirpem omnino liberent. Eſculentam indicat DIOSCORIDES eandem ſtirpem, de qua vires ſupra recenſitas protulit. Similem vſum THEOPHRASTVS (*Hiſt. pl. Lib. 7. c. 7. Ed.* BOD. A STAP. *p. 810.*) et ORIBASIVS (*de virt. ſimpl. L. 2. c. 1.*) aſſignant, modo recte intelligantur. Seriores botanici deſcripſerint modo veteres hac in re, an autopſia ſua idem aſſeuerent, vt RVELLIVS (*de nat. Lib. 3. c. 109.*) qui a multis, inquit, nationibus eſtur in olere, difficile dictu eſt. Quin cel. SPIELMANNVS ſiue Reſpondens diſſertationis acad. GVERIN (*de vegetat. venen. Alſatiae Argent. 1766. p. 66. ſq.*) narrat, ſe hauſiſſe aquam granis quindecim herbae infuſam ſine vllo ſubſequente ſymptomate; et iuueni epileptico ſucci drachmam dimidiam ad duas ſine ſopore vel alio malo dediſſe. Eadem immunitas contigit quinque militibus, morbo praeuio debilitatis, ſucco ad drachmas tres hauſto; nec, dum exhiberet ſucci ex baccis expreſſi drachmas duas tribus hominibus mox conualeſcentibus, alium effectum, quam lotii copioſum profluuium, expertus eſt.

ATRO-

ATROPA.

LINN. *Syſt. veg. p. 185. Gen. pl. p. 99.*

174.

Pharm. BELLADONNAE ſ. SOLANI FVRIOSI *Folia; Radix.*

Atropa Belladonna; caule herbaceo, foliis ouatis integris. LINN. *Spec. pl. p. 260.* Solanum melanoceraſus C. B. Solanum maniacum I. B. Icon: MILLER's *Figures Tab. 62.* REGNAVLT *Botanique* La Belladonne Pl. perennis cr. in ſyluis caeduis, egr. vicini nobis montis Pleſſ, Heluetiae, Auſtriae, Italiae, Angliae.

Sub iſta deſcriptionum labe praeciſe dici nequit, an ſit Mandragora (THEOPHRASTI (*Hiſt. plant. Lib. 6. cap. 2.*) vel Στρυχνος μανικος DIOSCORIDIS, vt quidam volunt. Ex ſtirpibus, veneno narcotico deleteriis, fere primaria.

Pueris ſaepe BACCAE impoſuerunt, ceraſa aemulantes. Hiſce ſapor fatuus, dulcis. Sunt, qui eas trium vel quatuor, quin plurium numero absque noxa ingeſſerunt (HALL. *hiſt. ſt. helv. n. 579.*). Attamen venenatae indolis crebra conſignata ſunt exempla, quorum multa collegit cl. PVLTNEY (in *Phil. Tranſ. Vol. 50. P. 1.*), ill. AB HALLER (*l. c.*) et cel. SPIELMANNVS (in *Diſſ. veget. venenat. Alſatiae p. 16. ſqq.*).

ſqq.). Recentius addo, quod quoad ſymptomatum rationem tantopere conuenit cum iſtis recenſitis, vt effectum baccarum maiori numero ingeſtarum in vniuerſum fere depingat. Infantes quatuor, annos ad vndecim vsque nati, copiam baccarum ad ſatietatem deglutiuerant. Sed poſt ſemihorium circiter inuaſit eos inebriatio, delirium, ſitis moleſtiſſima, niſus vomendi irritus, dein correpti ſunt vero furore, cum ſtridore dentium et conuulſionibus. Palpebris ductis pupilla perſtitit immobilis. Facies profunde rubra et tumida. Maxillas ſpaſmus compreſſerat et deglutitio labefactata fuit. Ipſe ſenſus et irritabilis natura ventriculi deleta apparuit, ita vt nec larga tartari emetici doſis effectum exſereret, quem tandem praeſtitit titillatio faucium per plumam oleo intinctam, vlterius ſolutione emetici dicti adiuta. Alternis inter emeticum vicibus acetum cum melle aqua miſtum exhibitum. Hiſce furor conticuit, ſed ſopor profundiſſimus ſucceſſit, tendinum ſubſultibus ſtipatus, compalluit facies, et haec vna cum manibus frigida euaſit, ſub pulſu paruo, duro, celeri. Clyſmata tum applicata, ex floribus Chamomillae, aceto, oxymelle et ſale, copiam baccarum contritarum elicuerunt; et opportunitate data iterum potulentum deſcriptum exhibitum. Hiſce et purgante addito, lento tandem gradu tertio die, reſipuerunt, et coecitas quoque diu etſi ſuperſtes diſparuit (MAY in *Hann. Magaz. 1773. n. 97.*)

n. 97.) Conferas cum hac narratione aliam ex *London Chronicle* (in *Hann. Magaz. 1772. n. 61.*). En igitur mala ex esu baccarum redundantia cum norma praesidiorum adhibendorum. Iterum apparet, quantum in emeticis et aceto, Belladonna vitiose ingesta, solatium (Vid. et de ope, quinque infantibus post baccas deuoratas lata, BOVCHER in *Iourn. de Med. 1766. p. 310. sqq.*). Verum alii, quibus tempestiuus vomitus non subuenit, vel non sufficiens, misere perierunt (*ll. cc. citt.*). A vino Belladonna infecto gangraenam vniuersalem et mortem productam (MAPP. *pl. Alsat. p. 36.*). In exstincto intestina inflata et inflammata vna cum mesenterio et hepate reperta sunt. (*Comm. Nor. 1743. p. 61. sq.*). Tria vero loca erosa in ventriculo infantis post mortem conspecta (BOVLDVC *Hist. de l'Ac. d. sc. de Paris 1703. p. 56.*) — Non tamen veritus est C. GESNERVS (*Epist. p. 34. b.*) ex succo baccarum expresso syrupum cum saccharo parare eiusque cochleare paruum ad somnum inferendum, dolores tollendos et contra dysenteriam, propinare. Fuit in Dania pastor, qui infusum baccarum vinosum vtiliter in dysenteria commendauit (*Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 3. Obs. 64. p. 154. sq.*). Dithmarsi quoque olim baccas cum cereuisia contusas arthritidi vagae opposuerunt (SMETIVS *Lib. 4. p. 238.*). Specificum dici contra rabiem caninam decoctum baccarum aliquot Solani maniaci innuit MAYERNE (*Prax. med. Syntagm. alt. p. 136.*). No-

Noſtro vero tempore baccae ex cenſu medicaminum omittuntur et cum FOLIIS praecipue experimenta capiuntur. Nec haec baccis cedunt narcotica natura, quin eas vincunt, ita vt et ſub prouido vſu interno non omnino defuerint ſymptomata quaedam ex ſuperioribus, etſi leuiora, et breui auxiliisque parui momenti vincenda (Conf. inprimis GREDING in LVDWIGII *Adverſ. pract. med. Vol. I. P. 4. p. 695. ſq.* et vid. infra experimenta MÜNNICHII). Sub externa quoque applicatione ſeſe prodit eorum vis. Nam folii recentis fruſtulum vlcuſculo cancroſo ſubter oculum impoſitum, pupillam inſigniter dilatauit, idque repetito aliquoties in eadem perſona experimento (RAYVS *Hiſt. plant. T. 1. p. 680.*). Foliis recentibus, mammae impoſitis, duritiem tumoresque eius cancroſos emolliuit et diſcuſſit WILLVGBY (apud RAY) Extus applicari in haemorrhoidibus, cancro, gangraena, vlceribus carcinomatoſis indicat BÖCLER (in HERM. *M. m. T. 2. p. 321.*). Senſim tranſitus ad internum vſum in glandularum indurationibus, ſcirrhis et ipſo cancro mammarum, factus eſt. Eo fine iam a. 1683. in electoratu Hannoverano a ruſtica femina eadem in vſum tracta, et ante annos centum intraſſe vnguentum contra cancrum tanquam arcanum ibidem adhibitum, auctor eſt theologus iſtius regionis cl. MÜNNICH (*Hannöv. Magaz. a. 1767. p. 1011.* et *a. 1769. p. 1495.*). Sed praeſtat inquirere in initia inter manus medicas. Medi-

cus nimirum quidam Gothanus BRVMMEN (nam vlterius recedere iam non liquet) formulam de modo hanc ſtirpem in cancro vſurpandi habuit, quae in manus medici Wisbadenſis, SRAETH, circa annum 1735. mortui, peruenit. Ab hoc eandem poſtea reſciuit IVNCKERVS (*Conſp. Ther. gen. Ed. 1725. p. 491.*), ſemel felici euentu, alio caſu autem minus efficaciter, eadem vſus; qui dein DEGNERVM, Medicum Neumagenſem, certiorem de ea a. 1724. reddidit, a quo tandem in ARNOLDI TIMERMANNI, Prof. Duisburgenſis, notitiam peruenit (Vid. filii cel. THEOD. GERH. TIMMERMANNI *Progr. de Belladonna, Rintel. 1765.*). In ſcirrho linguae, cancrum minante, vti et mammarum ſcirrhis, infuſum ex foliolo vno Belladonnae et cyathis aquae calidae quatuor parauit DEGNERVS, eiusque omni mane cyathum exhibuit; vel, vt dein curatius deſcribit, praemiſſo laxante mercuriali, initio herbae ſcrupulum dimidium, quo natura medicamini adſueſceret, dein grana quindecim ad ſcrupulum integrum in cyathis aquae decem coquenda curauit, quorum cyathus vnus quouis mane datus. Hocque ſimplici remedio numeroſis caſibus refert ſe adiumento fuiſſe ſine alio incommodo. In cancro exulcerato nonniſi in aliorum comitatu praeſcripſit (TIMMERM. *Progr. cit. p. 6. 10. 13.*). Idque quoque vitium habet TIMMERMANNI, patris, exhibendi Belladonnam modus (*l. c. p. 11.*). Succeſſit Diſſertatio MICH. AL-

ALBERTI (*De Belladonna tanquam ſpecifico in cancro, inprimis occulto, reſp.* FERD. CHRIST. OETINGER. *Hal. 1739.*), in qua caſus quidam curati cancri mammarum et linguae memorantur, mentione ſimul adiecta fruſtranei aliquoties notati tentaminis, ſed non ea accuratione, qua in tam ambiguo medicamento opus eſt. Obliuioni fere tradita erat vis Belladonnae in cancrum adſcripta, quum reſuſcitaretur eius memoria a TIB. LAMBERGEN (*Lect. inaug. ſiſtens ephemeridem perſanati carcinomatis, Gröning. 1754. 4.* recuſ. in HALL. *collect. diſſ. pract. T. 2. n. 41.*). Mulier ſcilicet, carcinomate mammae exulcerari incipiente et ſcirrhis alterius mammae laborans, conualuit ope infuſi foliorum, per quinque menſes potati, ita vt quotidie initio in infuſo grana duo, poſtea grana tria cum tertia grani parte, conſumerentur. Per totum vero tempus drachmas ſex conſumſit. Suffecit autem ſcrupulus vnus per ſpatium ſeptem dierum.

Aliis quoque locis tentata fuit Belladonna, ſed impari ſucceſſu. Lipſiae cancrum labii inferioris ſanauit (*Comm. de reb. in ſc. nat. et med. geſt. T. 8. p. 654.*). Inter viginti duo menſes ſcirrhum inteſtinorum pertinacem diſſipauit (DVRLAC *Iourn. de Med. T. 11. p. 449.*). Cancer mammarum vetuſtus fomentatione et decocto interne vſurpato deuictus (AMOVREVX *l. c. T. 13. p. 47.*). Tincturam vero cum aliis inde paratam contra idem malum laudat MARTEAV

(*l. c. T. 14. p. 11.*). Ita et cl. BLOCK de cancro mammae occulto eius ope diſcuſſo gaudet (*loc. cit. T. 14. p. 108.*) Numeroſiſſimos ſiſtit venerandus MÜNNICH ſcirrhi et cancri aperti curati caſus in promptuario Hannouerano (*Hann. Magazin a. 1767. n. 64. a. 1768. n. 14.* item *a. 1769. n. 62. 90. 94. 95.*) ex propria et aliorum medicinae rudium experientia, quum ſolito audacius adulto in puluere ternas doſes, quarum quaelibet ad decem vel viginti grana aequat, poſt interuallum 48 horarum plerumque inter ſingulas doſes, quouis octiduo vel poſt longiorem moram exhiberet (*loc. cit. a. 1769. p. 1427.*). — Haec ad folia. Sed RADIX, lacte in cataplaſma cocta, tumorem inſignem inteſtini recti, obſtructionem alui creantem, ano et perinaeo applicata, diſſoluit (GRAHAM in *med. et phil. Commentaries Vol. I. p. 419.*).

Dolendum autem merito, quod contrarii tot alii euentus obtinuerint. HEISTERVS (*Chirurgie p. 328.*) queritur decoctum foliorum, aegro cuidam propinatum, dolores inſignes creaſſe absque cancri ſanatione. In Belgio ob irrita multa tentamina reiecta plane (VAN DER HAAR *over de Knierknoeſt-en Kanker Gezwellen p. 85.*). Nunquam ibidem cancrum apertum curaſſe affirmat cl. v. DOEVERN (in litt. ad TIMMERMANN. *Progr. cit. p. 28.*). Ipſe cl. TIMMERMANNVS, filius, tentauit eadem in cancro fungoſo (*l. c. p. 21.*), ſed absque vllo leuamine. Sine vllo commo-

modo in cancro adhibuit cl. ACREL (*Chir. Händelſer Ed. 2. p. 40.*). Fruſtra et feminis vel ſcirrho vel cancro affectis infuſum dedit cl. DE HAEN (*Rat. med. T. 2. p. 45.* et *Index oper. p. 58.*). Nam licet ichor in pus transmutaretur, tanta eius copia effluxit, vt phthiſica fere morte exſtinguerentur, quod in vna vere factum eſt, absque tamen cancri vlla emendatione. Quinquies ſpe excidit in cancro auctor (WILLIAM BAYLE) libri *practical Eſſays p. 37.* etſi nihil damni ea attulit; ſemel modo in induratione linguae cum dolore vehementi et deglutiendi difficultate proficuam vidit. Contra ea nihil boni cl. SCHMVCKERO (*chirurg. Wahrnehmungen T. 2. p. 150.*) in ſcirrho et cancro praeſtitit, ſed inde anxietas et oppreſſio pectoris enata. Singulari exemplo cancer clauſus in apertum tranſiit, vt vlcera interna poſt eam adhibitam exorta (LENTIN *Beobacht. einig. Krankh. p. 81. ſq.*). Alio vero caſu felicior fuit idem medicus (*l. c. p. 87.*), nodos doloroſos et pertinaces mammae, poſt puerperium et neglectam lactationem ortos, vſu pulueris ex granis duobus foliorum et granis decem ſacchari per plures menſes continuato, vnde ſuppuratio et lactis nouus affluxus, tollendo; a quolibet autem praebio febris percepta. (*l. c. p. 90.* et *Hann. Magaz. a. 1770. n. 14.*).

Tranſeo ad experimenta in rabie canina, quae noſtro demum tempore famam inſignem excitarunt. MAYERNE modo decoctum baccarum adducit, idque,

vt videtur, non ex propria experientia (Vide ſupra *p. 432.*). In electoratu Hannouerano vero multis exemplis confirmare hanc vim contigit, quorum hiſtoriae in diario indigeno (*Hannöverſches Magazin*) leguntur. Fuit ibi iam ante 30 annos fere RADIX vſurpata auctore fodinarum operario quodam (Bergmann *zum Schichthäuſern am Oſterwalde*) qui vero arcanam habuit (*Hann. Magaz. 1768. n. 38.*). Patefecit autem remedium verbi diuini miniſter Hannoueranus, vener. SCHMIDT (*Paſtor zu Liittienſchneen*), qui tamen doſin non pondere ſed menſura definit; adulto ſcilicet veſperi, quum cubitum iret, pulueris cochleare vnum minimum vel cultri cuſpidem dedit, dein poſt 48 horas nouam doſin exhibuit, et eodem ſpatio exacto aliam iterum. Pro infante bienni ſufficere innuit $\frac{1}{8}$ partem cuſpidis; pro boue $1\frac{1}{2}$ doſin et pro equo duplam (*l. c. 1768. n. 33.*). Accuratior longe eſt vener. MVNNICH, etiam in doſi determinanda; adulto igitur, iſto ſuaſore, radicis grana quatuordecim ad quindecim exhibita; infanti ſexenni gr. quinque; infanti quadrienni gr. tria ad $3\frac{1}{2}$, idque mane vel in aqua vel cereuiſia calida. Repetitio facta poſt 48 horas. Pecoribus grana quindecim ad ſeptendecim ſuffecerunt, quae per duodecim horas ab omni pabulo et potu arcenda. Etiam radix recens ſuibus ingeſta (*loc. cit. 1768. n. 38.*) — FOLIORVM vero adulto pro prima doſi grana tredecim ad ſedecim et poſt 48 horas

gr.

gr. decem ad tredecim data. Plethora infeſtante praemiſſa eſt venae ſectio et, ſub alui obſtructione, doſis Rhei. Arcendos poſt captum remedium a ſomno aegros iubet. Suadet alius, vt pars vulnerata mox poſt morſum probe eluatur. Sicque in multis tam pecoribus quam hominibus, in quibus iam ſigna manifeſta rabiei adfuerunt, irritus euaſit morſus. Siccitas quidem colli, vertigo vel delirium, caligo oculorum percepta, ſed ſiccitas iſta perit aqua frigida et reliqua incommoda vincit lac frigide potum; ita epoto lacte vehementia deferbuit in puella trienni ex granis viginti quinque foliorum. (*Hann. Magaz. 1768. n. 38. 103. 1769. n.* 14.). Hiatus in narrationibus et audax doſis ſit penes auctorem. Vtinam medicus quidam ſcitus noua exploratione ſcrupulos omnes tolleret.

Vlterius ad varios pecorum morbos extenſa medela eſt. Horum e numero eſt lues bouilla, in qua efficaciam ſuſtinuit ratiociniis ſuffultus cl. MVNNICH (*Hann. Magaz. 1768. n. 64.*). Fauere iſtis videbantur experimenta quaedam cl. GERCKEN, medici (*l. c. n. 105.*). Sed aliter res cecidit cum duobus bobus, de quibus ſperauerat infectionem impune laturos, modo ſimul Belladonnae folia intruderentur; ſed miſſi in principatum Stadenſem; vbi malum graſſabatur, experimenti cauſa, perierunt (*l. c. 1770. n. 25. 80. 81. 82.*). Id quod poſtea exiguae nimis doſi tributum (*loc. cit. 1774. n. 51.*). Vſum foliorum dein perſequutus eſt

ven. vir in aliis variis pecorum morbis, boum (*loc. et ann. cit. n. 51. 52. 53.*) et ouium (*l. c. 1775. n. 68. 69. 70.*) — In lue equina vero, tuſſi feroci ſtipata, illi ſucceſſit conamen, foliis quindecim ad viginti et dein pluribus vſurpatis, auena miſtis et veſperi diebus tribus ſucceſſiue datis, et poſt quamlibet doſin per aliquot horas abſtinentia a potu et pabulo. Item valuit in morbo equino, Koller (*l. c. 1773. n. 46.*), nec non in morbo mucoſo equorum conſumtis ab equo libris ſeptem fere, vti et in fiſtuloſis vlceribus equorum (*l. c. 1773. n. 47.*).

Cognatio rabiei caninae cum mania et melancholia anſam videtur dediſſe in vtroque hocce morbo FOLIA explorandi. Egregia igitur vis fuit granorum quinque cum totidem granis Rhei ſemel per diem captorum, ſubiuncto plerumque poſt duodecim doſes purgante ſalino (Chir. EVERS in *Berlin. Samml. z. Beförderung d. Arzneyw. Tom. 5. p. 565.*).

In epilepſia habituali quid valeat, nouiter tentatum. Nullum quidem ab hoc morbo omnino liberauit, ſed inſigne leuamen omnes inde experti ſunt, tam in morbo primario dicto, quam mentis alienatione in multis iuncta, ita vt inſultus epileptici decreuerint et in tremorem, ſpaſmos particulares, ſub perfecto rationis vſu tranſierint. Pulueris foliorum granum dimidium ad ſeſquialterum cum ſaccharo tritum vel extractum cum puluere in vnam maſſam mixtum,

ad

ad grana tria vel quatuor pro doſi, quin ad gr. decem, inter nychthemerum exhibitum eſt. (GREDING in LVDWIG. *Aduerſ. pract. Vol. 1. P. 4. p. 637. ſq.*).

Haud ita pridem quoque ad icterum obſtinatum ab infarctu ipſius hepatis oriundum vſus translatus eſt, et bis ſucceſſit; ſemel in ictero recente. In prioribus duobus natus corporis calor, ſudor, aucta ſecum aluinarum et lotii excretio, in tertio horum nihil perceptum. Extracti ſignificati mane et veſperi pilula grani vnius et dimidii vel gr. vnum pulueris ſacchari mixti ſumtum. (GREDING in LVDWIG. *Aduerſ. Vol. 2. P. 2. p. 314. ſqq.*)

RADICIS virium ſupra paſſim mentio facta eſt. Addendum modo, ramoſam, craſſam, longam exiſtere.

Ex dictis palam eſt, Belladonnae inſignem potentiam ſopiendi et reſoluendi, vti et acrimoniae veſtigia, competere.

175.

Pharm. MANDRAGORAE *Radix.*

Atropa Mandragora; acaulis ſcapis vniſloris LINN. *Spec. pl. p. 259.* Mandragora fructu rotundo C. B. Icon MILLER'S *Figures T. 173.* REGNAVLT *Botanique* La Mandragore. Pl. perennis cr. in Hiſpania, Italia, Heluetia transalpina, et inſulis Archi-

pelagi; item in Ruſſia circa Arſamas (PALLAS *Reiſe d. Ruſſl. 1 Th. p. 49.*)

RADIX fuſiformis, craſſa, profunde deſcendens ad quatuor pedes vsque, nonnunquam, ſed rarius infra in duos vel tres ramos diuiſa, externe bruna vel (quae varietatem conſtituit, quibusdam femina), nigricans, interne albida, ſaporis ſubuiſcidi, amari, nauſeoſi, et, vt plerique affirmant, foetida. Multa ſuadent eſſe Mandragorum marem et feminam DIOSCORIDIS (*M. m. L. 4. cap. 76.*), a qua differre videtur Mandragora THEOPHRASTI (BOD. A STAPEL in THEOPHR. *p. 583.*). Omnes veterum, qui virium Mandragorae meminerunt, anodynam et ſoporiferam deſcribunt, quin, ſi maiori pondere datur, furorem excitare obſeruarunt (HIPPOCR. *de locis in hom. p. 420.* FOESII. ARETAEVS *acut. curat. L. 1. cap. 6.* CELIVS AVREL. *Lib. 1. c. 4.*). Adhibita igitur in peruigiliis protractioribus et grauioribus doloribus, tum et quando encheireſis quaedam chirurgica dolorifica eſſet ſubeunda (DIOSCOR.). In prouerbium adeo tranſierat apud veteres de languidis ſuisque in negotiis torpidis dicere, Mandragoram illum ingeſſiſſe (C. HOFFM. *offic. p. 415.*). Locum etiam habuit in melancholia et conuulſionibus (HIPPOCR. *l. c.*) et ad articulorum cruciatus ſedandos. Reſoluendi potentia cognita in ſtrumis et tuberculis diſcutiendis. (DIOSC.). Hiſce ſcopis inſeruiit potiſſimum

vel

vel ſuccus ex cortice radicis expreſſus et ſpiſſatus, vel decocta vino radix vel et cortex eiusdem vino infuſus (ID.). In catapotium recepit inter alia pro ſomno ciendo CELSVS (*Lib. 5. c. 25.*). Nec reliquae partes plantae inſontes vel inertes ſunt; ſed et haſce ad varios vſus medicos tranſtulere, prout folia contra indurationes, ſtrumas et tubercula impoſita. Folia lacte in cataplaſma cocta huic fini commoda pronunciat BOERHAAVE (*Hord. Lugd. bat. T. 2. p. 512.*).

Nolo alias vires huc transferre, quam quae recenti experientia confirmantur, licet fatendum ſit, in cultiori Europa rariſſime hodie praecipi, hinc vermibus exeſam plerumque in ſcriniis pharmaceuticis offendi. In Ruſſia circa Arſamas tamen frequenter morbis variis chronicis opponi traditur (PALLAS *l.c.*). Effatis veterum ductus cl. HOFFBERG (*Vet. Ac. Handl. 1763. p. 229.*) tumores et indurationes glandularum parotidum et maxillarium poſt metaſtaſin febrilem pertinaces, item alios glandularum tumores absque hacce cauſa, moleſtias colli, ſiue ſcrophuloſas ſiue inflammatorias, bubones venereos, inguinales, ex gonorrhoea ſuppreſſa, externo vſu emollire et diſſipare conatus eſt, idque feliciter. In caſu venereo profluuium per vrethram iterum rediit. Adhibitus ſcilicet puluis radicis cum melle in cataplaſma redactus vel lacte coctus, vel emplaſtro de Meliloto vel aliis emollientibus mixtus, nonniſi pilulis purgantibus in ſubſidium ſumtis. Poſt-

Poſtea tranſitus ab eo factus ad arthritidem paucioribus etſi experimentis. Ita in puluere ex radicis granis tribus et ſacchari drachma dimidia veſperi dato caſu ſingulari dolores mitigauit; aſt ſub decremento viſus et torpeſcentibus euacuationibus praeterquam tranſpiratione, pulſu quoque debiliori et celeriori; ſed rediit malum. Binis aliis exemplis guttae aliquot (numerus non ſignificatus) tincturae ex radicis ſcrupulo vno et vini Hiſpanici vncia vna et dimidia primum ſemel, dein bis vel ter, de die exhibitae, vnde quidem dolores ſopiti, verum poſtea reuerſi (*loc. cit. p. 231. ſqq.*). In hocce morbo non alio modo, quam opium, auxilium ferre videtur, quo ſymptoma quidem, ſed manente cauſa, tollitur. Cautione igitur opus eſt.

HYOSCYAMVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 184. Gen. pl. p. 98.*

176.

Pharm. HYOSCYAMI *Semina; Folia.*

Hyoſcyamus niger; foliis amplexicaulibus ſinuatis, floribus ſeſſilibus. LINN. *Spec. pl. p. 257.* Hyoſcyamus vulgaris et niger C. B. Icon; Regnault Botanique La Iuſquiame. STÖRCK *Libell. de Stramonio* etc. Pl. biennis, ad vias et in ſimetis vulgaris.

Hir-

Hirſuta planta pilis vnguen foetidum rancidi odoris excernentibus, et cimicis putidi ſpeciei (Cimicis Hyoſcyami L.) gratum pabulum. Funeſtum homini narcoticum, licet quasdam vires exerceat ab aliis narcoticis diuerſas. Anſerculas aliasque aues necat (BRADLEY'S *farmers monthly director p. 30.*), prout maxime gallinacei generis in vniuerſum et piſces (MATTHIOL in DIOSCOR. *p. 751.*). Apri membra ex eius paſtu reſolui AELIANVS (*Var. Hiſt. L. 1. c. 7.*). Mures pellunt radices per domum proiectae (LINN. *Fl. Suec. n. 199.*). Verueces autem copioſe deuorant, et equorum venditores, vt pinguefiant equi, ſemina Hyoſcyami cum auena commiſcent (RENARD *Iournal de Medecine T. 28. p. 243.*). Nec vncia vna ſucci ex foliis expreſſi vim intulit cani (SPRÖGEL *Diff. experim. circa venena p. 19.*). Ex drachmis tamen duabus ſucci inſpiſſati canis vomuit, alui profluuio et ſopore ſub dilatatione pupillae tentatus (STÖRCK *de Stramanio* etc. *p. 28. ſq.*). Vaccas et porcos illaeſos manere legitur (Citat auctores ill. AB HALLER in *Hiſt. ſtirp. helv. n. 580.*). Edit quoque ſubinde capra, animal polymorpho edulio aſſuetum.

Homini vero ipſis halitibus infeſta ſtirps. Sic, quum in horreum proiiceretur ad arcendos glires, ſerui ibidem ex ſomno expergefacti variis malis affecti, vno vomente et haemorrhagiam narium profuſam experiente, omnibus ſtupore et cephalalgia infeſtatis

(GAR-

(GARDANE in *Gazette de Santé 1773. et 74. p. 294.*). Rixoſa deliria enata ex vaporibus effodiendo radicem ſparſis (*Eph. N. C. Dec. 3. A. 8. Obſ. 66.*). BOERHAAVIVS quoque ſub praeparatione Emplaſtri Hyoſcyami temulentiam contraxit (HALLER *l. c.*). Quum hiſce, tum effectibus ex ingeſto Hyoſcyamo audacius conſpicuis, apparet, multas alias venenatas plantas deleteria vi longo poſt ſeſe relinquere interuallo. Fuit Lugduni Batauorum iuuenis litteris operam nauans, conſuetudine adeo induratus, vt Aconitum, Apocyna, Belladonnae baccas impune ingereret, Hyoſcyami vero *Semine* deglutito dementans alteroque latere reſolutus, BOERHAAVII tandem ſcientia ſanatus (HALL. *l. c.*). Cauſidicus quidam ſumtis drachmis duabus ſeminum contuſorum loco Anethi in colicis doloribus ſtatim inſanire coepit, ſed vomitorio intra ſemihorium conualuit (HELMONT. *Ort. med. p. 306.*). Verum a minori doſi granorum viginti quinque circiter ſtudioſus ſeminibus alias ad ſomnum conciliandum aſſuetus, inſignem laſſitudinem, tormina, conuulſiones, ſtuporem, pulſum exiguum, ſenſilitatem abolitam, perpeſſus eſt: ſenſim tamen vomitoriis, purgantibus, venae ſectione emerſit, in ſudorem ſponte incidens. (*Eſſays et Obſ. phyſ. et lit. Vol. 2. p. 243.*). — Non mitiores ex comeſta *Radice* effectus obtinuerunt. Integrum monaſterium ex coctis prae errore radicibus cum radice Cichorei poſt ardorem oris

oris et faucium moleſtiſſimum dementia correptum fuit, in vno viſus debilitatus inſigniter, vt perſpicillis poſtea illi opus eſſet (RYSERVS in WEPF. *Hiſt. Cicut. aquat. p. 230.*). Aliud triſte ſpectaculum exſtitit in nouem variae aetatis et vtriusque ſexus hominibus, inter quas femina grauida, qui radices loco Paſtinacae in iuſculo comederant, vnde quidam loquela orbati, omnes conuulſionibus et diſtorſionibus oris et membrorum, riſu ſardonio, furoreque diriſſimo correpti, et poſtquam commodis remediis reſipuerant, primum viſu duplicato laborarunt, dein quaelibet obiecta colore ſcarlatino tincta ſibi repraeſentarunt, ſanati integre tamen (POTOVILLAT in *Phil. Tranſ. Vol. 40. p. 446.*). Ex eſu radicum aliquot ruſtici perierunt (SIMON. PAVLLI *Quadr. p. 384. Ed.* FICKII). Nuperrime duae radices crudae, comeſtae pro Paſtinaca a ſeruo, crearunt illi ardorem ventriculi, ſitim intolerabilem, peruigilia, inſaniam et viſus imminutionem, quae ipſa quidem mitigauit acetum epotum, ſed poſtero die copia macularum et veſicularum gangraenoſarum in corpore erupit, auxilium tandem ferente natura benefica per diarrhoeam profuſam (BLOM in *Vet. Ac. Handl. 1774. p. 52.*) — *Folia* pariter deleteria eſſe, docet hiſtoria ſeptem hominum, qui in iuſculo ea coxerunt: inſania tamen cum reliquis malis in quibusdam vomitione et diluentibus cum oleo, in alio profuſis ſudoribus et largo lotii profluuio, deuicta.

In-

Inter magis insueta symptomata recensenda tumor et rigiditas manuum in femina (*Phil. Transf. Vol. 47. p. 194.*). Nec ab enemate, quod Hyoscyami folia continuit, delirium idque ferox abfuit (GRÜNWALD in *Eph. N. C. Dec. III. A. 9. 10. App. p. 179. sq.*). Quanto igitur magis credibile succi libram vnam per aluum iectam hominem omni sensu priuasse (LA SERRE *l. c. Dec. 2. Obs. 28. Ann. 6. p. 168.*). — Aliae vel plures narrationes de veneno stirpis continentur in LANZONI *Oper. T. 1. p. 196.*, HALLERI *Hist. st. helv.* et SPIELMANNI *Diss. de veget. ven. Alsat. inde a p. 53.*. Qui illius vehementia perierunt in horum ventriculo maculae nigrae apparuerunt et vasa meningum tumida (BARRERE apud HALLER.).

Hisce non obstantibus medicamentorum apparatum auxit, idque non nouiter. Quae DIOSCORIDES (*L. 4. c. 69.*) de viribus habet, ad folia caules sed potissimum ad semen, eorumque virtutem dolores sedandi, et horum quidem maxime vsum internum spectant, vt tamen vix inde aliquid pro praxi fructuosum colligas. Extulit collyrium ex Hyoscyami foliis cum oui vitello coctis CELSVS (*Lib. 6. cap. 6. n. 9.*), succum auri pus foetidum fundenti immisit (*Lib. 6. c. 7. n. 2.*). Radicem vel in posca vel in vino, addito salis tantillo, coctam ore contineri iubet ad dentium dolorem tollendum (*l. c. Lib. 6. cap. 9.*). Catapotiis semen

ad

ad ſomnum valentibus quoque admiſcuit (*Lib. 5. c. 25. n. 2.*). Veteres vero potius *Hyoſcyamo albo* L. vſi ſunt, vtpote mitiori. Nolo, quae alii de antiquitate vſus medici commentati ſunt, repetere. Id video, medicos ſeculo noſtro propiores SEMINA interne non dubitaſſe exhibere variis caſibus, quibus alias ad opium confugitur. Semen exiguum ſubrotundum coloris cinerei. Praemiſſis neceſſariis ſemina admiſcuit aliis ad haemorrhoidum fluxum immoderatum compeſcendum (*Prax. med. p. 635.*), et ad haemoptyſin coercendam (*l. c. p. 714.*), PLATERVS. Similiter FORESTVS (*Obſervat. Lib. 16. Obſ. 18. ſchol.*) in haemoptyſi adhibuit. Omnibus chemicis remediis in haemorrhagiis ſedandis praefert BOYLE (*Vſefullneſſ of nat. Phil. P. 2. Eſſ. 5. c. 6. in Works T. 1. p. 509.*) electuarium ex ſeminis Hyoſc. drachmis duabus et ſeminis Papaueris albi totidem cum conſeruae Roſarum rubrarum vncia vna ad quantitatem nucis moſchatae vel Iuglandis. Simpliciori forma etſi empirice commendat THEOD. DE MAYERNE (*Prax. med. p. 23.*) epilepticis ſemen, vltra 40 dies vſurpandum, a granis ſex vel octo, ſenſim ad ſcrupulum vel gr. viginti quatuor aſcendendo ex cochleari ſucci Semperuiui. Externa varia praeparata, quae elapſo ſeculo debentur, infra recenſebo.

HERBA. Extractum ex ſucco expreſſo eius, quod, dum paratum, ſedulo a ſpuma craſſa foetida innatante liberauit, deinque inſpiſſatum in ſpiritu Liliorum con-

uallium ſoluit, opportunum in dyſenteria habuit CLAVDERVS (*Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 6. Obſ. 178. p. 361.*). Herbae tamen vix antea ſerius vſus vel ſecurus interne factus, donec ill. A STÖRCK (*Lib. de Stramonio Hyoſcyamo etc. p. 26. ſq.*) modum exponeret, quippe qui inſpiſſando eiusdem ſuccum EXTRACTVM inde parauit. Hoc, experimentis in cane praemiſſis, qui eius grana viginti absque noxa tulit, a drachmis autem duabus male affectus (V. ſupra *p. 445.*), attamen ſeruatus, et grano vno a ſe ipſo impune per octiduum mane ingeſto, tandem in aegris explorauit. Succeſſus primum exempla 13 obtulit, quibus de efficacia in conuulſionibus et ſymptomatibus ſpaſticis internis, in palpitatione cordis, mania, melancholia, expectoratione languente, in haemoptyſi, in epilepſia et cephalalgia inueterata, edoctus. Datum vero granum vnum bis vel ter de die; quibusdam ad gr. octo vel quindecim, melancholico cuidam autem (*l. c. p. 50.*) ad viginti per diem exhibita. Non reticentur quaedam moleſtiae, vt in femina, cui pilula anxietatem, vifus imminutionem, propenſionem in deliquium animi excitauit, ſed per bina vel tria modo minuta prima perdurantes (*p. 36.*). Alia colico dolore poſt quoduis praebium vexata, ſed mox euanido (*p. 39.*). Nouis ſerius caſibus vſum praeclarum in conuulſionibus, melancholia, mania et epilepſia confirmauit (*Cont. experiment. p. 122. ſq.*), ita tamen vt exceptiones

non

non excludat, ſed profiteatur prodeſſe quandoque, vbi nulla alia medela iuuet. Sopiuit et tuſſim vehementiſſimam et haemoptyſin (*l. c. p. 140.*). Opio ipſo in ſomno et quiete inducenda aliquando potentius fuit (*l. c.*). Subſcribit laudibus enarratis cl. COLLIN (*Obſervat. T. 2. p. 148.*), memorabilem nominatim hiſtoriam de conuulſionibus, extracto ad grana viginti quatuor quin drachmam dimidiam per diem ſumto ſublatis, deſcribens.

Sed age, et alteram partem audiamus. Multa dictis excitatus experimenta ſubiit experientiſſ. GREDING (LVDW. *Adverſ. med. pr. Vol. 1. P. 1. p. 71. ſq.*) ad quadraginta vsque in melancholia, mania, epilepſia, et mania cum epilepſia coniuncta, deditque is initio extracti granum vnum ter de die, dein audentior factus ad gr. octodecim vsque (*p. 72.*) per diem. Effectus fuerunt ſudoris copioſa in omnibus fere eruptio, placidus et profundus ſomnus, animi ſerenitas et corporis vigor (*p. 113.*), alii ſenſerunt iam initio et dein ſub continuato vſu capitis obnubilationem et grauitatem vel cephalalgiam, vel vertiginem, ſenſuum internorum torporem; in quibusdam eruperunt exanthemata vel fuſca vel ſerpiginoſa, puſtuloſa in mento et gena, in quodam furunculus et in alio tumor parotidis ſiniſtrae (*p. 114.*). Natum quoque vrinae copioſum profluuium et alui deiectiones crebriores. Multi vomitum experti, quidam ventris tormina et borbo-

rygmos, pauci nauſeam, et pauciſſimi aluum ſtrictiorem per breue tempus (*p. 115.*). Rediit menſtruus fluxus et irregularis euaſit; in feminis binis quoque ptyaliſmus et muci narium copioſior excretio (*p. 116.*). En memorabiles effectus, quos, ſi theoriae vnice innitaris, et vim omnium ſic dictorum narcoticorum vnice ſecundum vires opii metiaris, haud ſane exſpectaſſes. Hinc arbitratur noſter diſſipare tenuia, et atram bilem, pituitae acris viſcidiſſimae forma, mobilem reddere (*p. 116.*). Huic acrimoniae et ſpiſſitudini adſcribit dolores rheumaticos perceptos, tuſſim, ſingultum languoremque totius corporis, quo quidam affecti. Non negat quidem malum primarium in quibusdam adhibito Hyoſcyamo fuiſſe leuatum et in aliis ſymptomata quaedam moleſta diſparuiſſe, ſed haec commoda comparatione cum ſiniſtris euentibus in multis vix in computum trahenda. Nam ne vllus quidem ſine ſanitatis quin vitae periculo a malo prorſus ſuo liberatus euaſit (*p. 118.*).

Non reformidarunt tamen alii hanc medelam in aliis quodammodo affinibus morbis. Placuit quibusdam ideo, quod non ita, vt opium, aluum coërceat. Sic in affectionibus neruoſis, ventriculi et inteſtinorum imbecillitate iunctis. Anodyni inſtar a grano vno et dimidio ad duo vel quatuor veſperi, etſi vis ſedatiua in opio potentior, in affectionibus neruoſis egregie valuit (WHYTT *on nerv. diſorders p. 363.*).

Co-

Colicam ſpaſmodicam extracti grana tria caſu ſingulari ſopierunt. Sub cuius vſu tamen aluus aperta permanſit et haemorrhoides fluxerunt (GESNER *Arzn. in Schwaben T. 1. p. 194.*). Vertiginem chronicam viginti annorum ex plica polonica abſciſſa ortam in ſene interpolatis laxantibus ſuſtulit, per plures hebdomades vſurpatum (SCHENKBECKER *v. d. Chinch. Anh. p. 162.*). Celeri ſucceſſu eo tuſſis titillatoria conticuit (ROSENST. *Bſkd. Ed. 3. p. 270.*).

Superſunt quaedam de vſu ſtirpis externo monenda. *Folia* adhibita emolliunt reſoluuntque tumores et dolores ſopiunt. Aceto cocta addito oleo amygdalarum amararum inſtar cataplaſmatis ad reſerandum ſcirrhum hepatis propoſuit RIVERIVS (*Prax. med. Lib. II. cap. 5.*). De hac vi abunde retulit TOVRNEFORTIVS (*Plantes de Paris T. 1. p. 342.*). Simpliciſſimus modus, quem commendat is eſt, vt cataplaſma ex foliis lacte coctis paretur, vel igne folia emolliantur, quorum primum in podagra, alterum ad diſſipandum lac in mammis coagulatum vel nodos mammarum depraedicatum (*l. c.*). Fauet hiſce conſiliis cl. RENARD (in *Iourn. de Medec. T. 28. p. 241. ſqq.*), qui haud ita pridem multis caſibus in inflammatione et doloribus rheumaticis, et arthriticis ſe adiutum vel emollitis igne foliis vel conquaſſatis et ſartagine in cataplaſma aſſatis, vel et vaporibus ex decocta herba eleuatis, profitetur (*p. 252.*), et priori quidem modo in-

flammationem valde doloroſam et tumidam mammarum poſt puerperium diſcuſſit (*p. 259.*). Alius (LABROVSSE in *Iourn. de Med. T. 29. p. 503.*) rheumatiſmum vagum in puella, morbo hoc iam per tres annos tentata, deuicit cataplaſmate ex foliis et mica panis albi et lacte impoſito; ita et reſtituta femina, tumore per totum corpus, conatu vomendi et ſudore faciei, correpta. Temerario conſilio plebs ad ſopiendam odontalgiam fumum foliorum combuſtorum haurit. Semina et capſulas, quas potiores iudicant, admiſcent foliis hocce ſcopo Ruſſi (SAM. GE. GMELIN *Reiſe durch Ruſſland T. 1. p. 8.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

OLEVM HYOSCYAMI *Ph. W. p. 124.* Ex ſeminibus exprimitur. Anodynum.

EXTRACTVM. Eſt foliorum ſuccus inſpiſſatus. Receptum iam quoque *Ph. Würt. nouiſſ. p. 92. Ph. Dan. p. 173. Ph. Suec. p. 111.* Vid. ſupra *p. 450.*

VNGVENTVM *Ph. W. p. 64.* Ex foliis Hyoſc. cum axungia porcina contuſis et coctis, addito poſt expreſſionem oleo Hyoſc. Dolores ſopit emollitque.

EMPLASTRVM *Ph. W. p. 66.* Ex oleo ſeminum et ſucco herbae coctis, dein poſt colaturam, cera, Terebinthina et puluere herbae Hyoſc. additis. In doloribus mitigandis et tumoribus glandularum diſcutiendis efficax. Commode miſcetur cum emplaſtro ve-

veſicatorio ad ardorem prohibendum. Dolores ex haemorrhoidibus coecis eximie ſopit vnguentum ex emplaſtro Hyoſc. ℥ß Extr. ʒj et olei eiusdem q. ſ. (ROSENSTEINS *Reſe-Apot. Ed. 2. p. 75.* STRANDBERGS *Tal om chron. Sjukdomars botande p. 15.*).

177.

Pharm. HYOSCYAMI ALBI *Flores; Semina.*

Hyoſcyamus albus; foliis petiolatis ſinuatis obtuſis, floribus ſeſſilibus LINN. *Syſt. veg. p. 184.* Hyoſcyamus albus maior C. B. Pl. annua Europae auſtralioris.

Haec quoque ſpecies in Gallia officinas ingreditur. Mitior eſt praecedenti tam odore quam viribus, quibuscum ceterum conuenit, notante iam DIOSCORIDE (V. ſupra *p. 449.*). Semina ſimilia ſed alba. Male RENARD (*Iourn. de Med. 1768. p. 245.*) hanc eandem eſſe, cum qua STÖRCKIVS experimenta ſua inſtituerit, indicat. Sed obtinent aliquot cataractae extracto huius ſpeciei diſſipatae exempla. Pluribus obſeruationibus compertum ſe id habere refert SAVVAGES (*Noſol. Ed. in 4. T. 1. p. 724.*), quarum binas recenſet, a triente grani incipiendo, et ſenſim aſcendendo, quamdiu nulla eſt oeſophagi nariumue ſiccitas. Initio dum flocculi ante oculos volitant hoc extractum cum mercurio dulci combinatum valde proficuum reperit cl. MOLINELLI (Conf. MVRRAY *pract. Bibl. Vol. 2. p. 153.*)

DATVRA.

LINN. *Syſt. veg. p. 184. Gen. pl. p. 98.*

178.

Pharm. STRAMONII *Herba.*

Datura Stramonium; pericarpiis ſpinoſis erectis ouatis, foliis ouatis glabris LINN. *Sp. pl. p. 255.* Solanum foetidum, pomo ſpinoſo oblongo C. B. Icon: *Flor. Dan. T. 436.* item in STÖRCKII *Libello de Stramonio etc.* Pl. annua calidioris patriae, vt vel inde patet, quod inter primas pruina tacta pereat, iam in fimetis, ruderatis et ad vias in Europa frequens.

Atro ſtupefacientis carbone omni aeuo Daturae notatae. THEOPHRASTI et Dioſcoridis Στρυχνος μανικος non ad hanc ſed ad Daturam Metel L. videtur ſpectare; quam ideo ſine dubio ill. A LINNE' vna cum aliis ante eum in materiam medicam recepit. In Stramonio mox odor viroſus diſplicet, non adeo tamen in foliis infeſtus, vt vel ſolo olfactu et conciſa temulentiam gignerent (STÖRCK *Libell. cit. p. 5.*); etſi expergefactus poſt ſomnum in eodem cubiculo captum, quo recens herba comminuta, obtuſum capitis dolorem perſenſit, paullo poſt euanidum (ID.). Reſpuunt illud pecora (LINN. *Amoen. ac. Tom. 2. p. 219.*). Aſt ca-

canis ſeminum vnciam dimidiam cum carne ſine noxa deuorauit (SPRÖGEL *Diſſ. Experim. circa ven. p. 21.*) De noxio apud homines effectu multae conſignatae ſunt hiſtoriae. Calculoſus ſenex prae errore *capſulas* Stramonii cum lacte coxit decoctumque bibit; vnde vertigo, ſiccitas faucium et anxietas, vox ſenſusque deletus, pulſus paruus et celer, frigus extremorum, paralyſis artuum, toruus aſpectus cum delirio feroci, orta, deficiente ſomno et ſuppreſſis omnibus euacuationibus, quin et per lotii vias, ad quod mittendum calculus antea crebro inuitauerat: nihilominus tamen eodem die priſtina incolumitas rediit (SWAINE in *Eff. et Obſ. phyſ. et lit. T. 2. p. 247.*). Repetiit eundem caſum cl. VANDERMONDE (*Rec. period. d'Obſ. de Med. T. 7. p. 330.*). — *Seminis* ſolius non minor eſt nequitia. Fuit miles, qui in vindictam donorum denegatorum, ſpiritum vini, ſeminibus Stramonii et Foeniculi cum ſaccharo infuſum, hauriendum doloſe dedit, vnde miſere potae delirarunt, ſed ab eo ipſo curatum hauſto aceto vini, in quo piper maceratum fuerat (KRAMER in *Comm. Nor. A. 1733. p. 251.*). A mulierculis infidis Turcis, gynecaeis incluſis, ad conſopiendos et dementandos maritos, quo aliorum magis deſideratorum amplexibus ſatientur, vſurpari, et Hamburgi a vetula ſic honeſtam feminam, quo ſe inſcia moechum admitteret, intoxicatam narratur (LINDENSTOLPE *de ven. Ed.* STENZEL. *p. 531.*). Nominis Germanici

communio (*Schwarzkümmel*) fecit, vt aliquando loco Nigellae feminis, etiamſi vtriusque alias quoad formam haud leuis diſparitas ſit, ad pellendum lac a feminis ingereretur. Sed aliquot memoro exempla, poſt ſolita ſymptomata, mortis pediſſequae (BÜCHN. *Miſc. phyſ. math. med. 1727. p. 122. ſqq.* HALL. *Hiſt. ſt. helv. P. 1. p. 259.*). Monſpelii ante aliquot annos plures nebulones capti ſunt, qui viatores exſpoliauerunt propinato vino, in quo ſemina Daturae contrita infuſaque fuerunt, duxque horum faſſus eſt, plures hoc veneno lethargo praegreſſo interemtos, quibus doſis maior oblata, alios vero ex minori doſi temulentos modo euaſiſſe (SAVVAGES *Noſol. T. 2. P. 2. p. 430. Ed. 1.*). Horrenda quoque in duobus infantibus ſcena fuit, qui copiam ſeminum deglutiuerant, nempe ſomnolentia, inſignis corporis ardor, furor, intumeſcentia abdominis, conuulſiones, ſtrangulatio faucium hydrophobia rel. enata. Praeſidio autem fuerunt oleoſa, lac, clyſmata, potus aciduli et mixturae temperantes (LOBSTEIN in *Epiſt.* Diſſ. SPIELM. *de veget. venen. Alſ.* annexa). Huic de effectu maligno in infantibus narrationi alia in plerisque iſti ſimilis (HVCKEL in *Comm. Noric. 1744. p. 14.*). Ab Indis inter alia inebriantia et aromatica in electuarium recipitur ſemen, ad grata phantaſmata cienda, et, vt quidam volunt, quo ad celera patranda tanto audaciores euadant (KÄMPF. *Amoen. exot. p. 650.*). Quae olim

olim vetita apud Chinenſes conſuetudo Daturam cereuiſiae addendi, quoniam non inebriationem modo, ſed furorem genuit (SPRAAT *Hiſt. of R. Soc. p. 162.*) apud Ruſſos adhuc cum ſemine obtinet, vt ebrietatem ſibi concilient (SAM. GE. GMELIN *Reiſe durch Ruſſl. T. 1. p. 43.*). — *Radicis* drachma ex vino pota ſoporem induxit, in quo varia inſomnia et mirae rerum facies obuerſatae (RAII *Hiſt. pl. T. I. p. 749.*) — Tranſeo ad *Herbam.* Haec in crambem cocta duobus adultis et puellae narcoſin et conuulſiones conciuit (DÖDERLIN *Comm. Nor. l. c. p. 15.*). Folia vlcuſculo ad oculum impoſita, paralyſin pupillae generarunt (RAII *ſtirp. brit. Ed.* DILLEN. *p. 266.*). En igitur ſtirpem partibus tantum non omnibus venenatam.

Quum vero doſis et iuſta opportunitas venenum diriſſimum in ſaluberrimum medicamen vertere poſſit: non culpandus ill. STÖRCKIVS (*Libellus de Stramonio etc. 1762.*), quod ad illud commodum explorandum ſerio animum aduerterit. Nempe ſuccum expreſſum leni igne in EXTRACTVM inſpiſſauit, ſub cuius praeparatione vapores quidem ſurrexerunt, ſed non inebriantes. Eſtque hoc nauſeoſum valde. Duplici exemplo illud tentauit in mania, et toties in epilepſia, ſemel in homine conuulſionibus correpto. In prius dictis duobus malis auxilio fuit; conuulſiones autem in quinto aegro exaſperauit, vnde tempeſtiue

ab

ab vlterioribus praebiis abſtinuit. Doſis vero fuit granum dimidium ad vnum, et quidem bis ter vel ſexies de die. Pro re nata continuatum per plures hebdomades vel menſes cum hoc remedio. Mirum ill. virum non de pluribus experimentis inſequenti tempore expoſuiſſe, vt inde videatur ipſum diffiſum eſſe ſalubritati vel efficaciae eiusdem.

Excitauit vero alios ad eadem ſubeunda. Lipſiae vnam maniacam poſt recidiuas ſanauit, aliam reliquit in priſtina miſera conditione; vtraque vero femina moleſtiſſimam ſitim cum ptyaliſmo perpeſſa fuit (*Comment. de reb. in ſc. nat. et med. Vol. II. p. 241.* in *nota*). In noſocomio Stockholmienſi viſa eſt Datura plus praeſtare, quam reliqua a STÖRCKIO commendata remedia heroica, deque quatuordecim aegris epilepſia et conuulſionibus detentis, ibidemque obuiis publice relatum eſt, quorum octo ſanati, quinque leuamen perceperunt, vnus nihil inde auxilii expertus. Obiicit vero cl. GREDING (LVDWIG. *Adverſ. Vol. I. p. 345.*), nimis cito aegros dimiſſos (ODHELIVS in *Vetenſk. Acad. Handl. 1766. p. 277. ſq.*). Additi dictis tria alia exempla vnum maniae, duo conuulſionum, eodem modo ſopitarum (BERGIVS *l. c. p. 284. ſq.*). Alius Suecus medicus, REEF, duobus maniacis ea ſubſidio fuit (STRANDBERG *om chron. Spikd. p. 16.*). Ne ciues diſiungam, addo ſtatim alium (WEDENBERG *Diſſ. de Stramonii vſu in morbis conuulſiuis, praeſ.*

Si-

Sidrén Vpſ. 1772.), qui hiſtorias quatuor aegrarum, quarum tres puellae fuerunt habitus corporis ſenſilioris, a conuulſionibus ſuis extracto ad octo grana vsque dato liberatae, publici iuris fecit. — In epilepſia quoque, et bis in mania, ſatisfecit voto cl. DVRANDE, ter illud fefellit. Sic dum ſemel in Mania ſucceſſit cl.mo MARET, idem fruſtra alio caſu adhibuit: vtroque horum de incaleſcentia corporis inde nata conquerente (GARDANE in *Gazette de ſanté 1773. et 74. p. 143.*).

Nemo vero plurium tentaminum rationem reddidit, quam cl. GREDING (in LVDW. *Adverſ. medico-pract. Vol. I.* inde a *pag. 259.*) idque non perfunctorie, quorum alia ad melancholiam et maniam, alia ad epilepſiam, alia ad eundem morbum cum furore maniaco iunctum pertinent. Plerisque ſomnus inde tranquillus in aliis turbulentus contigit, oculi hebetes plerumque inde facti et viſus varie vitiatus, quin lippitudo et conuulſiones oculorum exortae, caput obnubilatum cum dolore, ſitis intenſa vexauit, alii ptyaliſmum experti, appetitus ex vſu potius auctus quam imminutus, ventris ſubinde tormina grauarunt, aluus in plerisque aperta et laxa, in aliis iuſto ſegnior exſtitit, quin obſtructa, ſudor ſaepe profuſus, in plurimis largum lotii profluuium, nec menſtrua inde cohibita. Aliis ſingultus, dolores rheumatici, febris et pruritus totius corporis, anxietas, purpura rel. ſuperue-

uenerunt. Conſtat igitur veritas effati cel. SAVVAGES (*l. c.*), narcotica multis modis quoad effectum inter ſeſe variare, et, ſi olim ille merito queſtus fuerit, non adcurate diſcrimina iſta eſſe deſcripta, certe b. GREDINGIVS multum contulit ad huncce effectum diluendum. De Datura euicit, non vnice vim ſopientem habere, ſed acrimoniam inſignem illi ineſſe, qua humores reſoluat, et ad ſecretiones et excretiones varias ſollicitet. Dolendum vero ex tot aegris, nullum niſi fortaſſis epilepticum ſanitatem priſtinam recuperaſſe; quatuor tantum conſtans leuamen, et vndecim temporarium modo percepiſſe, maximam partem fruſtra Daturam vſurpaſſe, in ſeptem plus minus exaſperatum morbum, tres denique miſeram mortem obiiſſe. Et varii horum effectuum paſſim ab auctoribus iam dictis confirmantur. Ne vero arbitreris, haecce mala vitio doſeos contigiſſe, ſcias initium a grano vno extracti factum, ſenſimque eandem auctam ad drachmam dimidiam vsque intra nychthemerum.

Extrinſecus negligitur hodie, lac tamen mammarum foliis recentibus diſſipatum (*Fränk. Anmerkungen 1. p. 424.*); emollire et relaxare inſigniter ill. AB HALLER (*Hiſt. ſtirp. n. 586.*) tradit.

PRAEPARATVM.

EXTRACTVM STRAMONII *Ph. W. noviſſ. p. 95. Ph. Dan. p. 173. Ph. Suec. p. 111.* Vid. ſupra *p. 459.*

PHY-

PHYSALIS.

LINN. *Syſt. veg. p. 186. Gen. pl. p. 99.*

179.

Pharm. ALKEKENGI *Baccae.*

Phyſalis Alkekengi; foliis geminis integris acutis, caule herbaceo, inferne ſubramoſo. LINN. *Spec. pl. p. 262.* Solanum veſicarium C. B. Στρυχνον αλικακαβον DIOSC. Icon: REGNAVLT *Botanique,* Le Coqueret. Pl. perennis, creſcens in Italiae, Heluetiae, Germaniae vmbroſis, dumetis, praecipitiis e. g. montis vicini nobis Pleſſ.

Odor plantae grauis diſplicens, vt in Solanis. BACCA vnice in vſu, quae intra inflatum calycem ſuluum ceraſo rubro ſimilis continetur. Guſtata ſubacida primum apparet dein amaricans. Amaritiem autem inſigniorem prae ſe fert, niſi a contactu calycis probe caueas, vtpote ingrate amari. Edulis in Hiſpania (QVER *Flora Eſpannola T. 2. p. 224.*) et Helvetia (HALL. *Hiſt. ſt. helv. n. 597.*). Inde a veterum tempore (V. GALENVS *de ſimpl. Lib. 8.* in *Operum Ed. Ricc. p. 902.*) fructui vis ciendi lotium tributa. Quo fine paullo rudius Palatini ruſtici eius recentis integros manipulos ingeſſiſſe feruntur (C. HOFFM. *offic. p. 567.*). Magis medicamenti in normam eius ſex ad duodecim capiuntur, vel prout ſunt, vel ſaccharo conditi

diti (LÔSEKE *auserl. Arzn. Ed. 3. p. 256.*), vel in vino, quo tres vel quatuor baccae conquaſſatae fuere (ARNOLD. DE VILLA NOVA); vel ſucci earum vncia vna. Charae igitur euaſerunt in hydrope, et ad calculum mucumque, vnde oriatur, pellendum. Trochiſcis earundem ad drachmam vnam datis, calculos mouit LISTERVS (*Exercit. med. de calc. p. 137. ſq.* in MORTON. *Oper. Vol. 4.*), medicina tamen adeo compoſita, vt vix inde baccis fidas. Arthritidem quidam ſuperauit ingeſtis baccis octo quauis lunae phaſi, vel iisdem contuſis et ex vino potis, ſuccedente foetidae materiae cum lotii profluuio (RAII *Hiſt. T. 1. p. 681.*). Succum expreſſum et condenſatum iam laudauit DIOSCORIDES; nec diſplicet hic modus Alkekengi exhibendi cl.^mo LEWIS (*Mat. med. p. 27.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

TROCHISCI ALKEKENGI *Ph. W. p. 233.* MESVES inuentum, largae nimis et inconcinnae compoſitionis. Occurrunt et (*l. c.*) *cum Opio* miſti.

NICOTIANA.

LINN. *Syſt. veg. p. 185. Gen. pl. p. 99.*

180.

Pharm. NICOTIANAE *Folia.*

Nicotiana Tabacum; foliis lanceolato ouatis ſeſſilibus decurrentibus, floribus acutis LINN. *Sp. pl. p. 258.*

p. 258. Nicotiana maior latifolia C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique* Le Tabac. Creſcit ſponte in America auſtrali, vbi perennat, apud nos annua, niſi inter hybernacula per hyemen aſſeruetur. Colitur tam ibidem quam in ſeptentrionali America et inſulis vicinis, nec non multis Aſiae et plerisque Europae regionibus copioſiſſime.

Dictae ſpeciei ſimillima Nicotiana fruticoſa L. facile diſtinguenda foliis ſubpetiolatis. Praeter praefixam in Europa etiam copioſe colitur *Nicotiana ruſtica* L. foliis petiolatis ouatis integerrimis, floribus obtuſis (*Sp. pl. p. 258.*), cuius icon in REGNAVLT *Botanique* L'herbe à la Reine; cui tamen prior praefertur, quae et magnitudine foliorum plus lucri ſpondet. Pro cultura plantae et ſubſequente praeparatione odoris ſaporisque gratia variat.

Tabacum medio ſeculo decimo ſexto in Europam translatum fuit. Et quum in Regis Galliae, FRANCISCI 2., in aula Luſitanica legati, IO. NICOT, notitiam anno 1560. veniret, hicque ſemina redux matri Regis, CATHARINAE DE MEDICIS, offerens facultates eius doceret (CLVS. *exot. p. 309.*): nomen et Nicotianae et herbae reginae poſtea tulit. Tabacum ab inſula Tabago dictum fuit, in qua primum Hiſpani ſtirpem inuenerunt. Petum vero vetuſtum Braſilianis nomen eſt (CLVSIVS). Multa alia illi tributa nomina ſunt, quae partim reſpiciunt homines, qui

in vſu ſtirpis hinc inde propagando meritum quaeſiuerunt, partim virtutes, quas nimis forſitan liberaliter illi tribuerunt. Pout ſtirps ipſa ab America primum in Europam transmigrauit: ita et ars fumum ſiccatorum foliorum hauriendi, quam GVALTERVS RALEIGH ex America redux in Angliam docuiſſe fertur (RAII *Hiſt. plant. T. 1. p. 714.*). Quod enim C. GESNERVS (*Epiſt. Lib. 2. p. 79. b.*) fumum ex contrito folio carbonibus iniecto per infundibulum hauriendi naribus et ore fecit experimentum, demonſtrat tum temporis artem in cunis adhuc iacuiſſe. Fumi vero ori hauſti et pulueris naribus attracti lenocinia praecipue commendabilem etiam cultiſſimis hominibus herbam reddiderunt. Nam maſticatio eius in funem contortae vix praeterquam nautarum plauſum tulit. Quis vero crederet, niſi proprio viſu omni die edoctus, plantam narcoticam, acrem, cuius cultura agro ſolum, fimus, homines, eripiuntur, quae in fumum reſoluta ſpurcitiem veſtibus, ſuppellectili, induit, nec niſi ſemiputrida lotio rel. praeparata in vſum trahi poteſt, palato, vix pretioſiſſimis deliciis alias ſatiabili, placere poſſe, et naribus, odoramentis gratiſſimis adeo aſſuetis. Optimum et efficaciſſimum Tabacum illud cenſetur, quod a vaſe, quo transfertur, nomen *Cnaſter* tulit.

Sapore inſtruuntur FOLIA acri nauſeoſo, odore graui peculiari ingrato. Maſticata ſaliuae affluxum co-

copioſum cient. Degiutita nauſeam, vomitum vehementem, vertiginem, alui profluuium gignunt. A puluere nimis copioſe aſſumto coma ſomnolentum, tandem apoplexia lethalis nata (*E. N. C. Dec. 2. Ann. 10. Obſ. 131. p. 222.*). Cereuiſia cocta enormes vomitiones et alui deiectiones cum anxietate et debilitate ſumma crearunt, ſubſequente ſopore et larga inſudatione (DIEMERBROECK *Tr. de peſte p. 294.*). Manſa etiamſi non deglutita ebrietatis ſenſum generant (GESNER *l. c.*). Cani data vomitum quoque in illo produxerunt copioſum (ID.). Extrinſecus applicata pluries vires ſimiles manifeſtarunt. Fuit femina, quae ad tineam capitis ſanandam et pediculos profligandos linimentum ex puluere Tabaci et butyro tribus ſuis filiolis inunxit, vnde omnes, et hae quidem puellulae, mox vertigine et vomitionibus diris correptae, aeſtuarunt, ſudarunt, animo deliquerunt per 24 horas inſtar temulentorum incedentes, ſed quiete et ſyrupo de Citro reſtitutae (*Eph. N. C. Dec. 2. A. 4. p. 46.*). Ita violenta vomitio immediate excepit inſperſionem Tabaci ſuper femore contuſo et lacerato, repetito experimento (*Eph. N. C. Dec. 2. A. 2. Obſ. 108. p. 262. ſq.*). Simile exemplum narratum (a STEVENSON in ALSTON *M. m. Tom. 2. p. 190.*) de folio Tabaci brachio exulcerato impoſito. Decoctum pariter foliorum ſcabioſis partibus applicatum vomitum cruentum et conuulſiones creauit. (MARRIGVES in VANDERM. *Rec.*

period. T. 7. p. 67.). Si acu et filo, oleo Tabaci madido, pars animalis viui vulneratur, illud mox perit, vnde et quidam argumentum contra variolarum insitionem desumserunt: mitius tamen quasdam Nicotianae species virus vehere compertum (REDI *Experim. nat. p. 50.*). Haec quoque sine dubio causa, quod ALBINVS (*Diss. de Tabaco Franc. ad Vindr. 1695. p. 11.*) nec gallinam nec columbam periisse filo eo impraegnato et traiecto, nec canem molossum instillato et intruso vulneri cruris oleo, tradat. Narcoticam naturam cum acrimonia iunctam inesse Tabaco phaenomena manifestum reddunt.

Inassueti, dum *Fumum* hauriunt ore, vertigine cephalalgia, anxietate, somnolentia, vomitu, alui solutione corripiuntur. Excessus in assuetis idem facit. Homo, qui 25 fistulas ex sponsione post meridiem exhauserat, stupidus inde euasit cum iactura sensuum, quos recuperauit vomitionibus violentis, post potum serum lactis sensim euanidis (MARRIGVES in VANDERM. *Rec. period. l. c. p. 68. not.*). Quin duo fratres, quorum vnus septendecim alter octodecim fistulas euacuarunt, apoplecticorum in modum prostrati animam exspirarunt (HELLWIG *Obs. phys. med. p. 45.*). In quolibet vero fugente fumum sollicitantur glandulae saliuales et reliqui oris riui et hic frequentis exspuitionis necessitatem parit, vnde depauperatur corpus necessariis liquidis, vix solita potione resarciendis, et exsic-

ficcatur. Mox ante prandium hauſtus appetitum cibi delet. Nec acres inde reddi humores dubitare licet. Hinc TISSOTVS (*Epiſt. pract. p. 337.*) neminem Tabaci fumo nimis deditum nouit, qui ad ſenilem aetatem peruenerit. Hinc apoplexiae, epilepſiae, arthritidis, variorum pectoris vitiorum, icteri, tabis, hinc inde legitur cauſa euaſiſſe. Diſſuadet praeterea frequentiorem eius hauſtum nigredo, quam dentibus inducit. — Moderatus vſus in laxis et ſuccoſis nimium hominibus ferri poteſt, pituitam oris et bronchiorum ſoluit, colicas flatulentas profligat, et qui mane fumum hauriunt ſolui plerumque inde aluum experiuntur. Sed huc usque de diaetetico fumi vſu, qui vtinam nullus eſſet.

In medicina praeſtantior. Saepe tollit odontalgiam a carie, modo abſit inflammatio gingiuarum, cui calida natura aduerſa eſt. Catarrhoſam quoque ſedat ſubinde vel vi anodyna vel ſputatione aucta (TISSOT *Avis p. 187.*). Ad purgandum aërem putridum et corruptum eximius. In peſte DIEMERBROECKII (*Tract. de peſte p. 157. 162. 180.*) praecipuum fuit prophylacticum apud ſe numeroſosque alios ſuctio crebrior Tabaci. Et quum ipſe male iam affectus eſſet vertigine, nauſea, anxietate, ex aegrorum commercio, mox in ſuctione fumi Tabaci remedium inuenit (*l. c. p. 273.*). Parochus quidam ſacra aegris adminiſtrans eodem praeſidio ſe ipſe muniuit. Tanto magis vero conducere

cere videtur ſuctio in contagioſis morbis, quum ſaliuam proliciat, et cogat eandem exſpuere, quae deglutita facile infectionem parit. Attamen Lipſienſibus ad peſtem auertendam non ſuffecit (RIVINI *Diſſ. med. p. 870.*). — Fumi clyſmatis in modum applicati efficaciam experiundi frequentior ſuppetit occaſio. Inſtrumenta in hunc finem varia excogitata ſunt. Simpliciſſimum et vbi mora periculo non caret, eſt manubrium fiſtulae tabacinae ano immittere et receptaculo eiusdem vacuo admouere aliud Nicotiana accenſa repletum ſummaque vi inflare fumum; vel vaginae cultri infra tranſciſſae anoque intruſae fiſtulam accenſam admouere (Conf. TISSOT *Avis p. 492.* vbi et alia eiusdem ſimplicitatis auxilia ſignificantur.) Altius tamen omnino penetrat et copioſius fumus inſtrumento hoc proprie fine fabrefacto inflatus. Specimina huius ſuperiori iam ſeculo ex barbarorum, Anglorum ſuoque inuento exhibuit IO. ANDR. STISSER (*Epiſt. de machinis fumiductoriis curioſis Hamb. 1686. c. fig.*). Vlterius in inſtrumento perficiendo laborarunt SCHÄFFER (*Gebr. u. Nuzen d. Tobacksrauchsclyſtier c. fig.*) DE HAEN (*Rat. med. P. 1. p. 113.*) qui duo inſtrumenta Viennae excogitata deſcribit, GAVBIVS (*Adverſ. varii argumenti Lib. 1. c. 4. c. fig.*) GARDANE (*ſur les Aſphyxies avec la deſcription d'une nouvelle Boëte fumigatoire portative c. fig.*) aliique. Reliquis vero merito praeferendum Gaubianum inſtrumen-

mentum ob ſimpliciorem fabricam et leuius absque effectus iactura impendium. Fumo Tabaci ſic per anum intruſo, vi ſalis ſtimulantis reſoluentis et olei empyreumatici, quod pariter irritat, calefacit, ſimulque anodynum eſt, nec non ope aëris calefacti, expandentis, inteſtina vellicat et ad fortiorem contractionem incitat, quae ob commercium cum aliis corporis humani partibus et haſce in conſenſum trahunt. Pertinaciſſimas igitur alui conſtipationes multoties reſerauit hocce clyſma repetitis vicibus applicatum, donec aluus ſolueretur, ſiue idiopathicum malum conſtituerent, ſiue tanquam ſymptoma aliis ſeſe adſociarent. In ileo poſt venae ſectionem multis extollit SYDENHAMVS (*Op. p. 533. et 606.*). Quantum praeſtiterit in hoc morbo et in hernia incarcerata, SCHÄFFERVS (*l. c.*) HAENIVS (*Rat. med. t. p. 113. P. 2. p. 138. P. 9. p. 206.*) RAV (in *Act. nov. N. curioſ. T. 3. p. 146.*) aliique multi caſibus prolatis confirmarunt. Aliquando tamen ſpem fefellit (HAEN *l. c. P. 2. p. 53. 55. P. 11. p. 183.*). Nec ſane conducit, quando ſero nimis adhibetur, dum vel inflammatio iam imminet, vel vere adeſt, vt quae ab acri ſtimulo augeatur neceſſe eſt. Nec iuuat cauſa incarcerationis inuincibili. Potens praeterea in colica ſpaſmodica, quam difficilis alui obſtructio plerumque comitatur (SCHÄFFERI aliquot caſus, RAV *l. c.* GAVBIVS *l. c. p. 46.*). Efficaciſſimum ad reſuſcitandos aqua ſuffocatos eſt, non neglectis tamen reliquis ſubſidiis,

ius ſucceſſus ſufficit citare teſtimonia TISSOTI (*Avis cap. 28.*) et HAENII Opera (*l. c.*). Et idem auxilium ſpondet praeſentibus aliis cauſis, quae vires vitales opprimunt, vt ſub metu ſuffocationis ex vaporibus carbonum vel alia aura mephitica, ſtrangulatione ſuſpenſorum, vel morte apparente infantum ex funiculo vmbilicali circa collum ſtricto ſiue ex partu difficili et ſic porro. — Valet et ad eliciendos vermes, vt exploratum fuit in aſcaridibus (TVRNER in *med. Obſ. et Inqu. Vol. 2. p. 307. ſqq.*).

Si a dicto vſu diſcedas, rariſſima foliorum in medicina eſt adminiſtratio. Ob ſaporem nauſeoſum vomitum et alui ſolutionem, quam cient, excluduntur ab interno vſu. Maſticata vires coctrices ventriculi adiuuare, pituitam reſoluere et initia obſtructionis glandularum meſenterii ſufflaminare feruntur (CHOMEL *Vſuelles T. 1. p. 182.*). Pro clyſmate in morbis ſoporoſis inſeruit vncia eorum vna cum aquae libra vna decocta: ſed cautione opus eſt, nam ſunt, qui, etſi reuixerunt, vomitionibus, conuulſionibus, ſudoribus frigidis aliisque incommodis poſtea tentati (*l. c. p. 184.*). Contra aſcarides nihil praeſtitit clyſma ſimile, quam quod alui deiectionem effecerit, ſed haud absque moleſtiarum variarum ſodalitio (*Med. Tranſ. T. 1. p. 47.*). Reſoluendi efficaciam declarat vſus in tumoribus duris hypochondriorum, Nicotiana cum aceto vel ſpiritu vini in pultem trita et abdomini intra linteum

ap-

applicata, vt quos ſubinde diſſipauit, ſed non ſine vomitu praeeunte. Videant, qui huncce alioſque recenſitos effectus perpendant, an tuto ad detergenda vlcera adhibeantur recentia folia, vel decoctum ex iis paratum, vt paſſim commendatur. Succo vlcera, praeſertim verminoſa depurare conantur Indi (RVMPH. *Herb. Amb. T. 5. p. 226.*).

Puluere foliorum naribus proſpicitur, mox rudiori (Rappé), mox ſubtiliſſimo, Hiſpanico dicto, qui nec ipſe ſuis vitiis caret, auctis ſaepe vario additamento, vel ob ſtimulum vel odoris gratiam excogitato. Sternutationem in minus aſſuetis excitat, vertiginem, anxietatem, et incaute deglutitus nauſeam. Senſim vero repetito eius vſu ita occaleſcunt olfactus nerui, vt non amplius ſternutet homo, ſimulque odoratus vis infirmetur. In ſingulis prolicit contra naturam copiam muci, et humores ad caput determinat. Nocet praecipue, quibus debile neruorum ſyſtema eſt. Neruoſos morbos noſtro tempore frequentiores quotidiano Tabaci naribus attracti vſui haud dubitat adſcribere cl. LORRY (*de Melancholia T. 1. p. 123.*) feminamque nouit, quotiescunque hoc lenocinio abutatur, hyſtericam alias ſanam. Memorabile tamen melancholicos omnes et ſingulos fere eo delectari, etiamſi ante eidem non aſſuetos (ID. *p. 374.*). Augeri vero eius abuſu epilepſiam et furorem GREDING (in *Comment. Lipſ. Vol. 14. p. 650.*) obſeruauit. Ad rariora exempla, niſi vi-

tium in obſeruatione ſubrepſerit, pertinet, quòd homo immodice Hiſpanico puluere delectans euomuerit puluerem per plures annos ex deſcenſu per gulam in ventriculo collectum, inde a morbo diuturno polymorpho liberatus (TRILLER *Diſſ. de Tabaci ptarmici abuſu* in *Opuſc. T. 1. p. 221.*). Vtilitas magis opinione, quam experientia nititur. Naribus attractus non plane nullam ſpondet in peſte (BENZA *Peſt. Vienn. p. 82.*). Sunt, qui caput liberius inde euadere, viſum aui volunt.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM TABACI *Ph. W. p. 93.* Aqua paratur. In tuſſi pectorali vt vocat, imo in principio phthiſeos depraedicat SCHVLZ, (*Praelect. in Ph. Brand. p. 276.*). Spaſticam quoque ſedarunt grana eius duo vel tria, quo vero nauſeae obuiam eatur, cochleare aquae Cinamomi ſuperbibendum (ROSENST. *Apot. p. 71.*). Qui hoc ſuadet vir ill. fatetur tamen, ſe nondum in tuſſi conuulſiua illud expertum (ID. *Bſkd. p. 281.*).

SYRVPVS *Ph. W. p. 197.* Fauet aſſerto de praeſtantia in aſthmate pituitoſo et tuſſi caſus recentius conſignatus hominis pertinaciter cum tuſſi aſthmatici inde leuati (*Obſ. clin. Warſov. p. 53.*). Ea doſi dare conuenit, qua vomitum non pariat, cui praeuertendum aromate.

OLEVM

OLEVM. Eſt empyreumaticum, ſicca et violenta deſtillatione erutum. Foetet, inſigniter acre. Ingerunt tamen Lappones in colica ſpaſtica (MONTIN *Diſſ. de med. Lapp.* in HALL. *Collect. Diſſ. pract. Vol. 6. p. 742.*).

EMPLASTRVM DE NICOTIANA LE MORT *Ph. W. p. 68.* Mixtum nimium ex variis reſinoſis, herba et oleo Nicotianae. Spleniticis ab auctore commendatum. Abdomini impoſitum aluum referat.

PVLVIS STERNVTATORIVS VARIEGATVS *Ph. W. p. 159.* SPECIES TABACI PRO FVMO CAMERARII *l. c. p. 180.* OFFICINALES *l. c.* Vbiuis inſignis farrago taedium parit.

CAPSICVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 189. Gen. pl. p. 100.*

181.

Pharm. PIPERIS INDICI ſ. HISPANICI vulgo, CAPSICI *Ph. Par. Fructus.*

Capſicum annuum; caule herbaceo pedunculis ſolitariis LINN. *Spec. pl. p. 270.* Piper indicum vulgatiſſimum C. B. Conf. Capſicum indicum BVRM. *Theſ. zeyl. p. 53.* Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Poire d'Inde on de Guinée. Pl. annua Americae auſtralis et Indiae orientalis. In vaporariis apud nos copioſe culta.

Mul-

Multiplicis varietatis, quarum eligitur iſta FRVCTV conico acuto, initio viridi, dein fuluo, qui ipſe ſpecies baccae eſt pulpae ſiccioris et parcae, intra quam recondita ſemina rotunda, compreſſa. Sapor eius piperi analogus, acris et igneus fere communionem nominis peperit. Hicque diu in ore remanet. Extractum ſpirituoſum Capſici intolerabilem ardorem in lingua excitat (LEWIS *M. m. p. 456.*). Mirum, Loxiam cardinalem fructu veſci (OSBECKS *Oſtind. reſa p. 16.*), qui homini inter acerrima aromata eſt. Medicum forum ideo vix ingreditur, ſed condimenti loco eſt, frequentius tamen apud Indos, quam apud nos. Et tegminis et ſeminum creber in Iamaica vſus eſt pro appetitu ciendo, digeſtione adiuuanda. In robuſtioribus purgandi ſcopo ibidem adhibetur, ſed haud absque teneſmo et ardore ani. Intrat Iamaicenſium *Mandram*, qua ipſa miſcela, conflata ex Cucumere, Cepa, ſucco Limoniorum et vino Maderaico vna cum Capſici aliquot capſulis, vtuntur ad ciendum appetitum maximo emolumento (BROWNE *Iamaic. p. 176.*). In Gubernatu Caſanienſi capſulas in furnis torrefaciunt, dein in puluerem redigunt, vt ad condimenta ciborum ſuppetat (PALLAS *Reiſe T. 1. p. 152.*).

In Anglia, Gallia, Italia praeſertim placet CAPSICVM caule herbaceo fructu maximo anguloſo obtuſo MILL., Anglis Bell-pepper, quod ſine dubio inter Capſici annui L. varietates latet. Huius fructus ſecun-

cundum longitudinem inciduntur, et ſemotis ſeminibus aquae ſalitae per aliquot dies immittuntur ad leniendam acrimoniam, et dein aceto condiuntur. Hique ſunt Gallorum Poivrons (MVNCHHAVS. *Hausvat. T. 3. p. 614.*), quorum tamen tantillum modo ingerendum ob acrimoniam. In embammata recipiuntur.

Capſici baccati L. (Anglis Birdpepper) ſemina Cayanae Americae mola conteruntur, vt referant Sinapis ſemina. Baſis ſunt pulueris, qui inde transmittitur nomine Cayenne pepper. Guſtans fructum recentem in caldario horti, vel potius eidem admouens modo linguae apicem, feruentiorem ſemper longe ſenſi ſaporem, quam in annuo. In Anglia cibos hiſce ſeminibus condiunt.

STRYCHNOS.

LINN. *Syſt. veg. p. 189. Gen. pl. p. 100.*

182.

Pharm. NVX VOMICA.

Strychnos Nux vomica; foliis ouatis caule inermi LINN. *Spec. pl. p. 271.* Nux vomica officinarum C. B. Caniram *Hort. Malab. T. 1. Tab. 37. p. 67.* Exſtat et icon in BLACKWELL *T. 395.* Conf. BVRM. *Theſ. zeyl. p. 171.* Arbor creſcens in Indiae nominatim Zeylonae et Malabariae arenoſis.

FRV-

FRVCTVS eſt bacca globoſa, aurantii coloris, dura, glabra, fragilis, in cuius pulpa SEMINA orbiculata, compreſſa, vmbilicata, cinerea, hirſuta latent, ſaporis ingrate amari, quae vnice vſu veniunt nomine NVCIS. Faba St. Ignatii officinis quibusdam videntur. LINNEO autem nondum liquet, an iſta congener ſit. Continet nux vomica copiam gummoſarum partium amararum et pauciſſimas reſinoſas amariſſimas. Hinc ſpiritus vini rectificatus optimum menſtruum (IVNGHANSS. *Diſſ. de nuce vom. et cort. Hippoc. p. 13. ſq.*). Deſtillatione aſcendit phlegma innoxium, oleum flauum ſiue nigrum cum ſale volatili (LOSS *Diſſ. de nuce vomica Witt. 1683.*).

Venenis antea adnumerata. Si virus ad certa quaedam animalia reſtringis, et ad maiorem doſin in homine, non errabis. Etenim bruta varia, non ſolum iſta, quae clauſis palpebris in lucem prodeunt, vt canes, (de HEYDE *Obſerv. 50. p. 116;* SEVTTER *Diſſ. de nuce vomica;* COVRTEN *Phil. Tranſ. n. 335.* WEPFER *de Cicuta p. 194.;* BRVNNER apud eundem; LOSS. *l. c.;* HILLEFELD *Diſſ. Experim. circa venena*) feles, (BRVNNER *l. c.;* LOSS *l. c.;* HILLEFELD *l. c.*) glires, vulpes, lupi, ſed et cuniculi (HILLEF. *l. c.*) et aues quaedam, vt cornices, anates (HILLEF. *l. c.*) eadem pereunt. CONR. GESNERVS (*Epiſt. p. 33. a.*) cani huius ſcrupulum dimidium cum carne dedit, vnde poſt dimidiam horam obdormiuit, et ſub

ſomno

ſomno capite et cruribus conuulſus poſt quatuor horas periit. Sui vero notabilis quantitas data absque vlla noxa (LOSS §. 24.). In quibusdam brutis citius, in aliis paullo lentius ſeſe exſerit virus. Hora dimidia circiter ab exhibitione anheloſe reſpirant, mox torpidi euadunt et impaueſcunt, impulſi pedibus quidem incedunt, ſed rigidis. Tandem ſpaſmo veltentano totius corporis idque per vices corripiuntur, donec exſtinguantur penitus inter horae circiter ſpatium. Citius operatur venenum, ſi ad motum concitantur, ſub ipſo vero motu derepente obrigeſcunt (LOSS. *Diſſ. cit.* §. 15.). Et ſub fortiori paroxyſmo prorſus nec vident nec audiunt, nec tactu percipiunt, etiamſi diuerſis partibus pungantur vel vulnerentur, adeo, vt aures, cauda, ſine omni doloris percepti indicio abſcindi poſſint (*l. c.* §. 18.). Sic igitur verum ſomnum, inſtar narcoticorum, non mouet, ſed inſenſilitatem ſiue ſtuporem (*l. c.* §. 16.). Exigua vero quantitas iam necat, grana octo cuniculum, et quinque alium (HILLEFELD §. 1. *Exper.* 15.), gr. quatuor felem (*Exp.* 6.), ſcrupulus vnus canes robuſtos (*Exp.* 7. 8.), nuces duae conciſae alium canem (DE HEYDE), necarunt. Sed LOSSIVS (*l. c.* §. 17.) a granis duobus ad drachmam vnam vltraque aſcendendo effectum ſemper eundem deleterium expertus eſt, licet poſt minorem doſin diutius ſuperuiuerent. Ingenioſe cl. HILLEFELD (*Diſſ.* p. 2.) ſenſim auxit doſin grano addito, vt vera, qua ne-

necaretur animal, conſtaret. Cortex nucis viſus eſt medulla valentior (LOSS. §. 17.). Sic et pro varia corporis indole vel citius vel tardius vis ſeſe exſerit. In catello, elapſo horae quadrante, caput ſuccuti et in latus trahi coepit, in canibus variis poſt dimidiam horam, felem vero citiſſime conuulſionibus et epilepſia vehementiſſimis afflixit. Haec velocitas effectus, qui ſubinde contigit, absque ſolutione nucis in ventriculo et absque veſtigiis inflammationis (quae nec LOSSIO obuia fuit), probabile reddit, mortem inferri vi immediate in neruos translata, nec opus eſſe, vt virus in ſanguinis ipſius maſſam intret, antequam turbas ciëat. (WEPFER *l. c. p. 212.*). Attamen ſubinde inflammatio adfuit, quin gangraena ventriculi et inteſtinorum (WEPFER *p. 208.* et Experim. varia cl. HILLEFELD.), et ſanguis iuſto fluidior apparuit (LOSS. *Diſſ. cit. §. 19.* WEPF. *p. 195.*).

Nec apud homines culpa caruit. Mentio fit (MATTHIOLVS in DIOSC. *L. 4. Ed.* BAVH. *2. p. 764.*) mulieris ſeneſcentis inde exſtinctae, quod caſeum eadem radula contritum comederat, qua antea nux vomica comminuta fuerat. Ita periit puella decennis ex nucis huius granis quindecim bis ad quartanam ſuperandam ingeſtis poſt ſummas anxietates et vomendi conatus. (FR. HOFFM. *med. Syſt. II. p. 285.*). Alia femina ab exhibita nuce vomica cum Gentianae radice contra febrem intermittentem periculoſis conuulſionibus correpta

repta cum ſequente rigore et ſtupore fere omnium partium (SEVTTER *Diſſ. cit.* §. *11.*). Deſiit quoque viuere Vpſaliae honeſta matrona incautius illa vſa (LINN. et TILLAEI *Diſſ. de febr. interm. curatione p. 40.*). Verum ſunt alia exempla, quae, etſi non omni vitio abſoluant nucem, ad atrociora tamen venena non pertinere demonſtrant. LOSSIVS (§. *23.*) illam in ſubſtantia vel extracto ad granum vnum vel alterum ſine noxa deguſtauit, et nouit amicum, qui integram nucem deglutiuit innoxie. Vlterius id declarabitur ſucceſſu, qui in variis morbis perceptus fuit, modo a temerario vſu cautum fuerit.

Non multum frugis affert ſcire, quod Arabes immunitatem contra ictus ſerpentum ex vna vel altera nuce quotidie per duos annos continuos ingeſta ſpoſponderint. Nec ex ſtolida farragine, *Electuario de ouo*, quae dudum in vſu fuit, vera virtus nucis cognoſci poteſt.

In peſte ad antidota refert C. GESNERVS (*Epiſt. p. 114. b.*), quae ſudore proſint. Eadem excretione hoc malum, nuce ad ſcrupulum vnum quin tres data, in Germania ſublatum fuiſſe FALLOPIO (*Tract. de tumor.* in *Oper. T. 1. p. 756.*) traditum erat.

In febribus intermittentibus valere a multis notatum. LVDOVICI (*Pharm. mod. ſec. accommodata* in *Oper. p. 113.*) praefert in hiſce Gentianam miſtam tantillo nucis vomicae cortici Peruv. ipſi. Nuce ſartor empiricus mul-

tos a tertiana liberauit (WEDEL *Amoen. mat. med. p. 337.*). Febrifugam eius vim extollit, vti et alexipharmacam BÜCHNERVS (*Ph. Brand. p. 61.*). Decoctum ex scobis nucis vomicae vncia vna et aquae communis mensura dimidia, per semihorium lente coctis, quartanam feminae debellauit, obstructione viscerum diriori stipatam, obstructionem aliis referantibus (HARTMANNI *Diss. de Cicuta merc. sublim. etc. p. 17.*). Respondit et spei cl. IVNGHANSS (*Diss. de nucis vomicae et corticis Hippocastani virtute Halae 1770. p. 13.*) in intermittentibus, qui eiusdem ope sudores validius expelli expertus est.

Contra vermes intestinales varii quoque tentarunt. Medicus quidam filio suo 18 annorum scobem nucis vomicae a parua quantitate ad gr. decem in epilepsia a vermibus innocue dedit repetiitque vsum apud alios (SCHVLZ *M. m. p. 404.*, qui se fauisse huic remedio tam hoc loco, quam in *Praelect. Ph. Brand. p. 143.* demonstrauit). Proficua et fuit Essentia spirituosa contra vermes, nominatim lumbricos quater de die ad guttas quinquaginta data, vti et extractum resinosum, sed aliis mixtum (IVNGHANSS *l. c. p. 13.*).

Sequitur, vt neruorum siue mentales aliquot morbos vna comprehendam. Optimo successu BÜCHNERVS et, eo praeeunte, IVNGHANSSIVS (*l. c. p. 9.*) in malo hypochondriaco et hysterico praescripserunt. In delirio hypochondriaco periodico leuamen praesenta-

taneum attuliſſe notat THEBESIVS (*Nov. A. N. C. T. 1. p. 175.*) — Maniacis grana duo ad octo ſomnum conciliarunt opiatis fruſtra tentatis (ex ALBINO ALSTON *M. m. T. 2. p. 41.*). — A cane rabido demorſis in electuario de ouo commendata (SCHVLZ *M. m. p. 404. Thebeſ. l. c.*). Non extra Lapponiam placet, dolores colicos compeſcere nuce dimidia aqua vel ſpiritu vini ſumta (MONTIN *Diſſ. de med. Lappon. in Collect.* HALL. *T. 6. p. 742.*).

Certius de pretio in dyſenteria iudicare licet, quod cl. HAGSTRÖM (in *Vetenſk. Acad. Handl. 1773. p. 301.*) aliquot centenis experimentis euicit. In epidemia nucem in puluere ad ſcrupulum vnum exhibuit, praemiſſo ſubinde Rheo cremore tartari permiſto. Sunt vero aegri, qui unice puluere hocce, mane tribus vel quatuor diebus dato, conualuerunt. Vehiculum fuit aqua vel cereuiſia calida, qua mitiorem et meliorem effectum, quam frigida, exſeruit. In delicatioribus boli ex nuce vomica et electuario Diaſcordii parati ſunt. Granis quindecim nucis vomicae mane et veſperi datis dyſenteriam in femina leproſa ſtipauit cl. ODHELIVS (*l. c. 1774. p. 270.*). Sufficere adultis grana decem vel duodecim bis de die ſumta ad mitiganda tormina et deiectiones minuendas expertus eſt cel. DAHLBERG (in *litt. m. Dec. 1775.*). Perſcripſit ei vero medicus ZETTERBERG infantibus quoque ſed minori doſi proficuam eſſe.

De variis curationibus nuce vomica et vitriolo albo factis in inueteratis scorbuticis, herpeticis aliisque vlceribus refert cl. WIEL (*Diss. de vsu nucis vomicae et vitrioli albi*); vti et in rheumatismo et arthritide (*p. 17.*), item nuce vomica sola contra hydropem (*p. 39.*): sed fateor non tam dilucide et distincte de hisce actum esse, vt optari poterat. Adhibuit vel tincturam ex libra vna nucis et libris quatuor spiritus vini rectificati, in phiala digestis, dein expressis, addito saporis causa syrupo sacchari, a guttis 5 ad 40, 80, 100; vel pilulas ex puluere nucis et succi Liquiritiae vel extracti Trifolii fibrini partibus aequalibus ad pondus granorum duorum, quarum pilulae quinque datae, aucta sensim dosi, quin drachmae duae ad sex per diem consumtae.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

ELECTVARIVM DE OVO *Ph. Brand. p. 61.* Est farrago inconcinna variorum, inter quae vitellus oui, Theriaca, Nux vomica. MAXIMILIANO I. dicitur ab impudente quodam empirico obtrusum. Correctiori compositioni operam dedit CNÖFFEL (*A. N. C. Dec. 1. A. 6. 7. App. p. 29.*). Vtrum venenatae an salutaris naturae esset, disputatum (V. *Ph. Brand. l. c.*). Sic et de dosi non conuenerunt. In mania, rabie canina, peste a scrupulo vno ad drachmam vnam vel duas datum. IO. BAPT. GEMMA *de curandis carbun-*

cu-

culis et bubonibus peſtilentialibus) vnciam adeo vnam adulto dedit.

ELECTVARIVM CAMPHORATVM *Ph. Brand. p. 56.* Huic quoque ineſt nux vomica et Theriaca. KEGLERO auctore. Hodie invſitatum. A monialibus Egranis modo nomine Theriacae Egranae adhibetur, et venditur tanquam antitoxicum (*Ph. Brand. l. c.*).

ESSENTIA ſ. TINCTVRA NVCIS VOM. BÜCHNERI. Separatis villis externae ſuperficiei nuces torrentur moderato igne ad brunum colorem vsque, in puluerem redactae conſperguntur oleo tartari per deliquium, dein humiditate abacta ſpiritus vini rectificatiſſimus (qua proportione, non additum) infunditur, vt Eſſentia fiat. Huius guttae quadraginta quinque ex aqua vel infuſo florum Chamomillae omni bihorio vel trihorio datae (IVNGHANSS *Diſſ. cit. p. 11.*). Efficaciſſima praedicatur et tuta omnino (*l. c.*).

183.

Pharm. COLVBRINVM *Lignum.*

Strychnos colubrina; foliis ouatis acutis, cirrhis ſimplicibus LINN. *Spec. pl. p. 271.* Clematis indica ſpinoſa, foliis luteis C. B. Solanum arboreſcens indicum foliis napecae maioribus magis mucronatis. BREYN. *Prodr. 2. p. 301.* Modicam-caniram *Hort.*

malab. T. 7. p. 10. T. 5. Arbor ſpinoſa in Malabaria Zeylonaque creſcens.

Ligni nomine venit RADIX lignoſa, craſſitie brachii, ſolida, ponderoſa, acris, valde amara, inodora, cortice ferrugineo maculis cinereis inſtructa. Transuerſim ſecta fibras offert ſiue laminas albas a centro ad peripheriam ductas et alias remotiſſimas albas, inter quas cellulae quadratae cauae laminulis transuerſis paſſim intertextae. Compages eius valde ſpongioſa eſt et poroſa, ſed ſimul dura (LINN. *Amoen. ac. T. 2. p. 105.*).

Eſt lignum colubrinum ſecundum GARZIAE ad mentem ill. LINNEI.

Venenatae naturae eſt. Nam in viro tremorem membrorum, et aliis duobus caſibus, praeter tremorem, ſtuporem creauit (HEIDE *Cent. Obſ. 7.*). Recens primo anno maniam, tormina, vomitum et conuulſiones, ciet (HERM. *Cynoſ. M. m. T. I. p. 235.*). Attamen non omni ſalutari virtute deſtituitur. Ad venenorum ferociam deſtruendam commendari prout Lignum colubrinum primum (V. ſupra *p. 376.*) et eodem modo vſurpari, ſubinde cum cortice permixtum, praeferri tamen radicem tradit RAIVS (*Hiſt. pl. T. 2. p. 1807.*). Quartanas ſubigere et vermes necare inſuper notatum (HERM. *l. c.*). Doſis in eſſentia ad drachmam dimidiam, in decocto ad vnciam dimidiam vsque, aſſignatur. — Rariſſime in pharmacopoliis occur-

currit, multoque adhuc rarius in formulis medicorum; nec, quae de eo memoriae prodita ſunt, calcar ad vlteriora experimenta ſubeunda addunt.

VERBASCVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 183. Gen. pl. p. 97.*

184.

Pharm. VERBASCI *Folia; Flores.*

Verbaſcum Thapſus; foliis decurrentibus vtrinque tomentoſis caule ſimplici. *Syſt. veg. l. c.* Verbaſcum mas latifolium luteum C. B. Deſcriptio vberior exſtat in RISLERI *Diſſ. de Verbaſco p. 15.* φλομος DIOSCORIDIS. Icon: REGNAVLT *Botanique* le Bouillon blanc; *Flor. Dan. Tab. 631.* Pl. biennis, in arenoſis et muris frequens.

Folia lanuginem pro fomite praebent. In medicina crebrius vſurpantur, quam flores. Vtriusque partis analyſin chemicam denuo praeſtitit cl. RISLER (*Diſſ. loc. cit. p. 43. 52.*), ex qua id modo adducam vtrique pinguedinem ſaponaceam ineſſe, parciorem tamen foliis.

FOLIA inodora, ſaporis herbacei, ſubamari, ſubadſtringentis. Vis horum primaria emolliens eſt. Hinc in tumoribus reſoluendis et ſuppuratione promouenda non infrequentia in fotu vel cataplaſmate. Aquae incocta clyſmati inſeruiunt emollienti, praeci-

pue in haemorrhoidibus, contra quas et cataplasma externum laudatur et vapores per sellam perforatam alluentes. Gargarisma in angina prodest. Nec a tumoribus glandulosis excluſa, etsi, non diffiteor, dubia fide. Probabilius ad diarrhoeam et dysenteriam sistendam faciunt (BOERH. *Hort. L. B. p. 307.*). Transeo lubens efficaciam contra venena quaeuis animantium ab antiquis Thapso adscriptam, quippe incertam et ridiculas historias contra fascinationes in amuleto, quae de radice praecipue prolatae.

FLORES suaueolentes sunt, mellei siue pinguis saporis. Tenera horum structura est, vnde et contusi et in vitro clauso per longius tempus soli expositi vel alio calore foti in liquamen fuscum mucilaginosum oleosum diffluunt. Destillatione aquam exhibent odoris suauis et rosas spirantis, cui supernatant cuticula oleosa et grumi olei tenacis butyracei, sed exiguae quantitatis (RISL. *l. c. p. 46.*). Virtus igitur tam ad partas mucosas quam oleosas referenda, quin ad anodynam naturam, quam floribus praecipue insidere significat odor. Ad hanc respexerunt BOERHAAVE HALLERVS, LINNEVS. Hinc et potior florum virtus. Liquamen dictum in haemorrhoidibus dolorosis et tenesmo, in dysenteria quoque plurimum solatii attulit (DEGNER *Hist. de dysent. p. 185.*). In conseruam redacti contra haemorrhagias BOERHAAVII laude ornati (*l. c.*). Sunt et qui infusum florum in

vl-

vlceribus internis et phthiſi laudarunt, et liquamen in arthritide. Plures virtutes collegit cl. RISLER (*Diſſ. cit.*). Sed vtinam haec omnia fida experientia eſſent explorata.

PRAEPARATA.

AQVA VERBASCI. Ex floribus. Euiluit.

OLEVM VERBASCI *Ph. W. p. 128.* Infuſione florum cum oleo oliuarum. Emollit, dolores lenit, haemorrhoidales nominatim, et ambuſtis ſubuenit.

185.

Pharm. VERBASCI *Radix; Flores.*

Verbaſcum nigrum; foliis cordato-oblongis petiolatis, LINN. *Sp. pl. p. 253.* Verbaſcum nigrum flore purpuraſcente C. B. Deeſt adhuc commoda figura. Pl. perennis, ad vias et in ruderatis frequens.

Ex hoc RADICEM deſumere ſuadet LINNEVS (*Mat. med. p. 63.*), etſi video alios a praecedente ſpecie. Medicis vero hodie fere neglecta penitus. Gratior apibus ob flores (EIVSD. *Fl. Suec. p. 70.*). In paronychia commodam eſſe lego et ſtupefacientem haberi (LINN. *M. m. l. c.*). In Carniola princeps remedium eſt in boum inflammatione pulmonum, quam quidam puluere florum Nymphaeae albae quoque curant (SCOPOLI *Ann. hiſt. nat. 4. p. 141.*).

A gente Sibirica FLORES recentes tritique vel et oleum coctum vulneribus recentibus imponuntur; in epilepsia infantum quoque ab ea celebrantur (GMEL. *Flor. Sib. T. 3. p. 92.*).

DIGITALIS.

LINN. *Syst. veg. p. 470. Gen. pl. p. 313.*

186.

Pharm. DIGITALIS *Folia; Flores.*

Digitalis purpurea; calycinis foliis ouatis acutis, corollis obtusis, labio superiore integro LINN. *Sp. pl. p. 866.* Digitalis purpurea folio aspero C. B. Icon: *Fl. Dan. T. 74.* REGNAVLT *Botan.* La Digitale. Pl. biennis, in campis apricis Europae australioris crescens, vt hercynicis.

In Pharmacopoea Parisiensi occurrit, nec non in Wurtenbergica; omittitur in Anglicis, quamuis in Anglia pluris fieri videatur medico vsu, quam alibi.

Sapor FOLIORVM amarus ingratus. Acrimonia insuper ea illis inest, vt exulcerent os, fauces, oesophagum et ventriculum (BOERH. *Hort. L. B. p. 308. Pract. Essays on med. subjects p. 41.*), saliuae largum profluuium ciëant (*Pract. Ess. l.c.*), vomitum praeterea aluique purgationem excitent; idque contigit ex succi cochleari vno in pinta dimidia cereuisiae calidae sumti (*Pract. Ess.*). Duo alii aegri ex decocti aliquot cyathis

this potis praeter euacuationes dictas anxietate vehementi, doloribus, cardialgia, singultu et manuum pedumque frigore correpti (LENTIN'S *Beob. einig. Krankh. p. 165.*). Sic alios temere illam administrantes symptomata varia mala inuasere. Quin imo puella octennis eadem de causa periit. Meleagrides post inebriationem, deiectiones cruentas et emaciationem (SALERNE in *Hist. de l'Acad. d. sciences 1748. p. 84.*), necat.

Epilepsiae medela; huiusque sistitur, per viginti sex annos quolibet mense duobus vel tribus paroxysmis redeuntis, sed decoctis foliorum Digitalis manipulis duobus et radicis Polypodii vnciis quatuor cum cereuisia deuictae, exemplum (PARKINSON *Theater of plants p. 654.*).

Hodie scrophulosis affectibus potissimum ambiguum hoc remedium reseruatur. Ipsae adeo hereditariae scrophulae curatae notantur (*Aereal influences p. 49. 50.* Ex HALL. *hist. st. helv. n. 330.*). In desperato casu decoctum diu sumtum, donec cutis in squamas dissolueretur (HALL. *l. c.*). Conualuit quoque vir, variis corporis locis scrophulosis vlceribus tentatus, in crure dextro tam diris, vt de amputatione iam cogitaretur, succi cochleari vno bis intra quatuordecim dies cum dimidia pinta cereuisiae calidae inter dira symptomata capto, et applicata quotidie herba post expressionem residua (*pract. Eff. p. 40.*). Multum leuaminis cochlear vnum succi descripto modo

as-

assumti feminae iuniori conciliauit, scrophuloso tumore oculi, fissuris labii superioris insigniter tumidi, tumoribus articulorum in digitis et continuo fere artuum dolore afflictae; sed ob nimiam remedii vehementiam continuationem eius necessariam detrectauit (*l. c. p. 42.*). Constantior fuit vir, scrophuloso tumore eoque lurido cubiti dextri per triennium sub diriſſimis doloribus laborans, sed quatuor praebiis succi per interualla vnius mensis integre fere sanatus (*l. c. p. 43.*). Ita temeritas effecit, quod sapientia non efficit.

Tuta tamen nec minus efficax in scrophulis externa applicatio, idque inuento non omnino nouo; vt iure mereatur planta ex obliuione, qua obuelata diu fuit, protrahi. Tritam et impositam, succumque in vnguento dissipare strumas (Kings evil) PARKINSONIVS (*l. c.*) iam notauit, et de linimento ex floribus idem testatus est BATE (apud RAIVM *Hist. vniv. T. 1. p. 767.*). In scrophulis humidis et manantibus commodam modo esse, parum vero in siccis praestare cel. olim practicus HVLSE (apud RAY *l. c.*) obseruauit. Medici et chirurgi nosocomii Worcesterienſis quoque acquieuerunt in vnguentis et cataplasmatibus ex foliis paratis, quae ipsa multis exemplis insignem praestantiam comprobarunt (*pract. Essays p. 44.*).

PRAEPARATVM.

VNGVENTVM DIGITALIS *Ph. W. p. 243.* Ex floribus Digitalis et axungia porcina. Ibidem et contra vlcera scrophulosa proponitur. SE-

SESAMVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 481. Gen. pl. p. 323.*

187.

Pharm. SESAMI *Semina.*

Seſamum orientale; foliis ouato-oblongis integris LINN. *Spec. pl. p. 883.* Digitalis orientalis Seſamum dicta TOVRN. *inſtit. rei herb. p. 165.* Icon: RIVIN. *fl. irreg. mon. T. 114.* Pl. annua in Aegypto, Zeylona, Malabaria ſponte proueniens. Conſtantinopoli in agris colitur FORSK. *Fl. Aegypt. arab. p.* XXIX.

SEMEN ſubouatum, flauum, dulce, in Europa exoletum, ſed in patria ſtirpis, et vbi colitur, tanto frequentioris vſus. Antiquitus Aegyptiis cibi genus fuit (ALPIN. *pl. aegypt. p. 98.*), et in Iamaica adhucdum iuſcula et placentas frequenter intrat (BROWNE *Iam. p. 270.*). Mulieribus in Aegypto placet, quod pinguefaciat. Quo fine et oleo expreſſo vtuntur eiusque fecibus in balneo (ALPIN. *l. c.*). Oleum copioſe ineſt ſeminibus idque blandum, rancorem aegrius concipiens; hinc ad corrumpenda alia olea et balſama, e. c. Balſamum de Mecha (HASSELQVIST'S *reſa p. 530.*) adhibetur. Cibis Aegyptii et Arabes addunt, eoque vel poto vel in cibis frequentato, vel inuncto, auferunt cutis puſtulas et aſperita-

tates et pruritum; iuſtius ad ſputa pleuriticorum leuanda et dolores ventriculi inteſtinorum et vteri pacandos vſurpant (ALPIN. *l. c. p. 99.*). Aemulantur haec vi ſemina *Seſami Indici* L., quod caue, ne confundas cum Seſ. orientali, in Arabia copioſe cultum, cuiusque oleum in culina commodum et in lucernis pariter vſitatum (FORSK. *Flor. Aegypt. Arab. p. 113.*).

Folia Aegyptiis vt emolliens et reſoluens aeſtimata. Decocto in fotu diſſipant ophthalmias. Vtuntur illo et in pectoris variis morbis et menſtruis ſuppreſſis et pro clyſmate emolliente, et ad varia cutis vitia detergenda. Emplaſtrum autem parant ex herba feminibus et melle ad ſcirrhos reſoluendos et ſuppurationem accelerandam. (ALP. *l. c.*).

ORDO. XIII.

CAMPANACEAE.

CONVOLVVLVS.

LINN. *Syſt. veg. p. 168. Gen. pl. p. 86.*

188.

Pharm. SCAMMONIVM.

Conuoluulus Scammonia; foliis ſagittatis poſtice truncatis pedunculis teretibus ſubtrifloris LINN. *Spec.*

Spec. pl. p. 218. Scammonia ſyriaca C. B. Icon: REGNAVLT *Botan.* La Scammonée de Syrie Conf. RVSSEL in *med. Obſ. et Inquir. Vol. 1. p. 12.* vbi et icon elegans, item EIVSD. *nat. Hiſt. of Aleppo p. 45.* Pl. perennis, creſcens in catena montium, qui inde ab Antiochia vsque ad m. Libanon ſeſe extendunt, in m. Tauro, vti et in Syria.

RADIX (V. *Fig.* in *med. Obſ. l. c.*) eiusdem fuſiformis eſt, plerumque tripedalis vel quadripedalis, et pollices tres vel quatuor craſſa. Interior eius pars alba ex duplici ſubſtantia conflata, quarum cortici proxima lignoſa eſt, altera ſiue intima faſciculos conſtituit vaſorum liquore lacteo repletorum, quae diuerſitas ſtructurae in radice diſſecta optime perſpicitur. Celebrem illam reddidit ſuccus lacteus ex eadem ſtillans et aëris acceſſu induratus, qui ipſe SCAMMONIVM dicitur. Colligitur ſuccus ineunte Iunio et quidem ita. Terra poſtquam a ſuperiori radicis parte ſeparata fuerit, haec ſectione obliqua diſtantia duorum pollicum diſcinditur. Et tum vas inferius adnectunt, vt ſenſim intra 12 horas lacteus ſuccus transfluere poſſit. A ſingula radice paucae tantum drachmae obtinentur. Quantitas ex pluribus radicibus collecta dein in vas commune transfertur, vt ibi areſcat. Scammonium corruptelae expers leue eſt, in fracta ſuperficie ſplendens et inter digitos friabile. Attactu digiti humidi luteum ſtatim euadit, et aqua ſolutum, li-

licet tantillum ſedimentum deponat, lacteum liquorem coloris virideſcentis repraeſentat. Color Scammonii ſaepe variat, quando incorruptum eſt, inde a nigro ad flauido album, ſed eiusdem pretii, et, ſi in puluerem redigitur, perinde bruno albus eſt. Pauxillum modo ſucci huius puri venditur, ſed plurimum a fraudulentis hominibus adulteratur additamento amyli, cinerum, arenae, aliorumque; quibus ipſis inertior redditur. Curruptela optime cognoſcitur ſolutione; quo enim facilius ſoluitur, et quo magis reſpondent reliqua criteria: eo praeſtantius Scammonium, et tanto minor quoque doſis requiritur. Admiſtorum heterogeneorum natura diiudicatur ex ſedimento in vaſe reperiundo (RVSSEL *med. Obſ. et Inqu. l. c.*). Subinde huius loco venalis proſtat ſuccus lacteſcens coctione inſpiſſatus ex *Cynancho Monſpeliaco* L., qui grauior magisque niger, ſed debilius purgans (*Pharm. Dan. p. 92.*). Optimum Scammonium Alepo transuehitur. Huic poſtponendum Smirna translatum fruſtis magis compactis et ponderoſis. Idque ex aliis Conuoluuli ſpeciebus vel aliis ſtirpibus lactiferis Euphorbii, Apocyni rel. elicitur (*Pharm. Dan. p. 91.*). Scammonium verum initio inſipidum, dein autem ſubacre, amaricans, ſaliuam proliciens, odoris nauſeoſi. — Variant auctores, quoad proportionem partium, ex quibus conſtet. BOVLDVC (*Mem. de l'ac. d. ſc. 1702. p. 187. ſq.*) ex Scammonii vncia vna reſinae drachmas

mas ſex, gummi drachmam vnam vel ſeſquidrachmum foecum drachmam vnam vel dimidiam elicuit; GEOFFROY (*M. m. Traité T. 4. p. 280.*) vero ex vnciis ſex reſinae vncias quinque. Scammonii Alepenſis libra vna reſinae vncias decem, atque Extracti aquoſi vnciam vnam cum drachmis quinque dedit GMELINO (in *Commerc. Nor. 1733. p. 60.*). LEWIS (*Mat. m. p. 530.*) partes fere aequales gummi reſinaeque aſſignat.

Conuoluuli genus egregie botanicis fauet, qui, ex cognatione ſtirpium congenerum, virtutum conuenientiam hariolantur; nam plures in hocce continentur, purgandi efficacia celebratae.

Praeter radicem nulli alii ſtirpis parti haec vis ineſt. Haec vero in decocto, quod ſubdulce eſt, purgat, ſed modice absque torminibus, etiam poſt detractum ſuccum, etſi tum paullo debilius. Nam vncia dimidia radicis ſiccatae cocta in vnciis duodecim aquae ad conſumtionem tertiae partis, quinque deiectiones creauit, quum eadem quantitas decocti ex radice, ſucco lacteo priuata, tres modo (RVSSEL *med. Obſ. etc. p. 19.*). Quo fine etiam, HIPPOCRATES, DIOSCORIDES aliique veterum, ſubinde radicem praeceperunt, vti et decoctum aceto et farina hordeacea miſtum in cataplaſmate contra iſchiadicum malum (DIOSC.).

Scammonium ipſum veteribus in praxi non infrequens. DIOSCORIDIS (*Lib. 4. c. 171.*) ſaltim de-

ſcriptio colligendi illud modi et characterum non diſſuadere videtur, quo minus cum noſtro idem habeatur. Externe illud contra tumores, ſcabiem, tineam, dolores fixos rel. ſub varia miſcela applicarunt; per os vero ingerendam lautiori doſi ad alui ſolutionem dedere. De efficacia, qua purgat, differunt auctores; cuius cauſa, quantum ſentio, non tam in Scammonio ipſo, quam eius corruptela varia, quaerenda. Nihil maligni ab eo metuit DIOSCORIDES: metuunt autem ORIBASIVS (*Collect. l. 7. p. 328. E.*) AËTIVS (*Serm. 3. c. 25.*) MESVË (*Simpl. l. c. c. 1. fol. 47.*) aliique Arabum. HOFFMANNVS (in SCHRÖDER *p. 573.*) venenum colliquatiuum vocat. Et in libris, qui medicamenta ſecundum vires diſpertiunt, draſticorum numerum auget. Hinc et varias mitigandi illud vias inierunt. Sed ſincerum Scammonium tutum eſt per ſe in chronicis, modo in doſi non excedatur, et debite attenuetur, et quidem hydragogum efficax, vt quod in aquam ſanguinem reſoluat, ſolutum per aluum eliminet (BOERH. *Hort. L. B. p. 330.* SWIETEN *Comment. T. 1. p. 8. T. 4. p. 377.*). Tanto commodius exhibetur, quum facile ſoluatur, parca doſi inſignem effectum edat, et inſipidum fere ſit. Scrupulus vnus debilioris Scammonii ſexies aluum mouit (RVSSEL *med. Obſ. l. c. p. 19.*). Prudentius paucis granis offertur ad vndecim vel ſedecim vsque. Simpliciſſimo modo datur ſaccharo tritum. Additur et variis aliis purgantibus ſtimuli cauſa.

PRAE-

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

DIAGRYDIVM. Hoc nomen ipſi Scammonio impertiit CAELIVS AVRELIANVS (*de morb. p. 143. Ed.* ALMEL.). Sed poſtea ſeruatum ad correctum, quomodocunque id factum fuerit, per Cydonii ſuccum (CYDONIATVM), Liquiritiae decoctum (LIQVIRITIA EDVLCORATVM (*Ph. W. p. 43.* Conf. BOVLDVC *l. c. p. 190.*), qui reliquis praefert, infuſum Roſarum (ROSATVM), ſulphur. Quae prae reliquis modis placet correctio, fit per ſulphur, vnde DIAGRYDIVM SVLPHVRATVM (*Ph. W. l. c.*). Sed hiſce omnibus carere poſſumus; quibus, ſi miteſcat Scammonium, viribus ſimul ſuis exuitur. DIAGRYDION PRAEPARATVM *Ph. Dan. p. 145.* nihil praeter Scammonium, amygdalis dulcibus tritum, eſt, quod ideo ſine dubio praecipiunt, vt ne ex reſina tormina fiant.

RESINA SCAMMONII *Ph. W. p. 163.* A granis duobus ad octo cum amygdalis vel vitello oui trita ingeritur. Acrior enim eſt ipſo Scammonio.

PVLVIS E SCAMMONIO COMPOSITVS *Ph. Lond. p. 88.* Ex Scammonio, trito cum Cornu cerui calcinato.

PVLVIS E SENNA COMPOSITVS *l. c.* Ex Senna, cryſtallis tartari, Scammonio et variis aromatibus. Intrat quoque alia praeparata *Pharm. Lond.*

vt ELECTVARIVM E SCAMMONIO, EXTRACTVM CATHARTICVM, PILVLAS E COLOCYNTHIDE rel.

PVLVIS CORNACHINI ſ. COMITIS DE WARWICK *Ph. W. p. 149.* ſ. PVLVIS DE TRIBVS ſ. PVLVIS TRIVM DIABOLORVM. Ex Scammonio ſulphurato, antimonio diaphoretico, cremore tartari, in puluerem tritis. Innotuit MARCO CORNACHINO, Profeſſori med. Piſano, per ROBERTVM DVDLEY (Earl of Warwick), qui prior conuictus de efficacia remedii edidit librum, cui titulus *methodus qua omnes humani corporis affectiones ab humoribus copia aut qualitate peccantibus genitae tuto cito et iucunde curantur Flor. 1619. 4.* Annexus hic eſt IO. HARTMANNI *Pr. chymiatricae Genev. 1682. 8.* Multis pariter laudibus extollunt BAGLIV, RAMAZZINI, BOERHAAVE, FR. HOFFMANNVS, WEDELIVS, SCHVLZIVS, TRILLERVS. Proxime tamen dictus ill. vir (*Theſ. pharm. T. 2. p. 529.*) mora diuturniori acrem nimis fieri, et vomitus, cardialgias, tormina, hypercatharſin inde obſeruauit. Proponitur vero tanquam vniuerſale purgans. Nec non tanquam antifebrile egregium in intermittentibus; adeo vt HELVETIVS (*Recueil des methodes p. 339.*) ſub nomine Poudre febrifuge purgative plus quam duas tertias eo curari aſſeueret. Annuit efficaciae KERGERVS, SPIGELIVS, A FONSECA, REINESIVS, CLOSIVS in BLEGNY *Zodiaco,*

co, quorum effata citat WERLHOF (*Obſ. de febr. p. 25.*), qui ipſe reliquis purgantibus, quando in febribus morbi fomes ad primas vias tendit, praefert, et tum vel hoc ſolo curationem abſolui affirmat. Nam ſunt ſtatus epidemici, in quibus vomitiones vel purgationes totam curationem expediunt (*l. c. p. 144.*). A ſcrupulo vno ad duos doſis eſt (*Ph. W.*) — Huc ſpectat *Diaceltateſſon* HELMONTII (*Dageraad* etc. *der Genees-Konſt p. 186.*), quod differt a puluere CORNACHINI omiſſione cremoris tartari, impenſe ab eo laudatum. Simile ſuaſit BOERHAAVE amico ſuo BASSANDO podagrico, vt purgandi ſcopo ſingulo trimeſtri vſurparet; cuius vſum multis autem exponit CHESNAV (*Obſervat. p. 421. ſq.*). Quod idem pariter ad profligandas febres intermittentes feliciter adhiberi, ſi octo horas ante futurum paroxyſmum detur, teſtatur VAN SWIETEN (*Comment. T. 4. p. 377.*). Nobile vocat remedium expertiſſ. SENAC (*de recond. febr. nat. p. 184.*), etſi pro certo febrifugo nolit haberi.

MORSVLI PVRGANTES *Ph. Brand. p. 117.* Ex cryſtallis tartari, Scammonio, oleo Cinamomi, ſaccharo.

Continetur et in EXTRACTO CATHOLICO et EXTRACTO PANCHYMAGOGO CROLLII *Ph. Wurt.*

189.

Pharm. IALAPPAE vulgo IALAPII Ph. Lond.

Radix.

Conuoluulus Ialappa; foliis difformibus cordatis, angulatis oblongis lanceolatis, caule volubili, pedunculis vnifloris LINN. *Syſt. veg. p. 169.* EIVSD. *Mant. pl. 1. p. 43.* Conuoluulus americanus Ialapium dictus RAII *Hiſt. pl. p. 724.* Conuoluulus foliis variis pedunculis vnifloris radice tuberoſa MILL. *Gardeners Dictionary Ed. 8. Spec. 31.* Pl. perennis creſcens in Mexicani regni Vera Cruce.

Olim a CLOSSAEO ex relatione Angli apud HORSTIVM (*Opera med. Tom. 2. p. 394.*) item etſi dubitanter ab ill. LINNEO (*Mat. med. Ed. 1. p. 26.*) dicta radix Mirabili Ialappae adiudicata; quam nec poſt varias iſtas lites motas dubitat pro vera habere SPIELMANNVS, reſpiciens ad culturam per aliquot annos in Alſatia factam (*Mat. med. p. 642.*). Plus dein ſimilitudinis quoad magnitudinem, corticem, texturam LINNEVS reperit inter radicem officinalem et radicem Mirabilis longiflorae (LINN. *Amoen. T. 7. p. 308.*). Saltim PLVMIERO teſte ex genere Mirabilis deſumitur. Contra ea RAIVS, SLOANE, HOVSTOVN, MILLERVS progeniem eſſe Conuoluuli aſſeuerant, quod inde confirmari videtur, quod poſteriorum duorum prior huic radicem ex Conuoluulo dederit, a quo

et

et pharmacopolis Londinenſibus vendita fuerit eodem ſucceſſu pediſſequo (v. LINN. *Diſſ. Obſervat. in mat. med. 1772. p. 7.*). Operae pretium eſt, diſcrimina radicum Mirabilis Ialappae L. et radicis officinalis legere, quae propoſuit acutiſſ. WOLFFG. WEDEL (*Diſſ. de Gialapa p. 19.*). Probe quoque viguerunt in horto Chelſeano plantae ex ſeminibus cl. MILLERO miſſae, licet flores non ferrent, quarum vero radix grandis oualis figurae, lacteſcens (*Dictionary l. c.*). Verum quum ab vtraque parte haud exigua ſtet auctoritas: quid prohibet, quo minus radices duae, etſi ex diuerſa plantarum ſpecie deſumantur, characteribus tamen et virtutibus in plerisque conueniant?

RADIX circa annum 1610. in Europam ex Xalapa vrbe Nouae Hiſpaniae peruenit, indeque et HOVSTOVN ſuas plantas petiit (v. ALSTON *M. m. vol. 1. p. 464.*). Eſt ſolida ponderoſa, externe nigricans et rugoſa, interne obſcure griſea et ſtriis nigris variegata. Obuenit in officinis vel in orbiculos vel in duas partes longitudinaliter ſecta, figurae tum pyriformis. Leuiter linguam guſtata pungit, euidentius autem fauces (GREW), et nauſeoſum aliquanto odorem, dum in puluerem comminuitur, edit. Quo ponderoſior eſt, et quo pluribus ſtriis diſtinguitur, eo praeſtantior, tanto enim plus reſinae continet, a cuius copia efficacia dependet. Extractum gummoſum, omni reſina priuatum, ſegniter aut plane non aluum mo-

uet (WEDEL *Pharm. L. 2. Cap. 8. p. 126.*). Imo extractum gummoſum ad drachmas duas absque conſpicuo effectu vel deiiciendi ſtimulo exhibitum (BÜCHNERI et COI *Diſſ. de damnis ex abuſu reſinae Ialappae p. 6.*).

In analyſi chemica diſcrepant auctores. Ex radicis vnciis duodecim elicuit extracti reſinoſi vncias duas; et alio tempore poſt extractionem aquoſam praegreſſam ex reſiduo extraxit reſinae vnciam vnam BOVLDVC (*M. de l'Ac. d. ſc. 1701. p. 106.*). Quarta fere pars reſinoſa ſub experimento GMELINI (*Comm. Noric. 1733. p. 60.*). SPIELMANNO (*Chem. p. 285.*) vncia vna dedit reſinae ſeſqui drachmam. Ex libra vna autem radicis ad ſummum vncias tres et dimidiam cum ſeſquidrachma reſinae eruit SCHALLER (*Diſſ. de Ialapa Argent. 1761.*).

Eſt efficax et ſecurum ex quotidiana experientia purgans in chronicis, pretio etiam exiguo commendabile. Dolendum modo, doſin eſſe infidam ob diuerſitatem copiae reſinae latentis. Quis vero mirabitur malignos effectus radicis, quin ipſam mortem, robore inteſtinorum ex morbo eorum praegreſſo nondum confirmato (*Societ. Haſn. collect. Vol. 1. p. 234. ſq.*), vel iuſto maiori doſi ingeſta. Nec tormina vnquam vel alia mala creat, modo rite reſina ſubigatur. Magis quoque conducit hominibus ſpongioſi laxiue habitus, quam rigidioris. Nec nocet infantibus ſaltim

an-

anno maioribus, quibus nec ipſe dubito propinare. Tenellos ipſos non videtur excluſiſſe WEDELIVS (*Opiologia L. 1. S. 1. cap. 11. p. 38.*), quibus, vigiliis cum clamoribus torminibusque detentis, ea gratum ſomnum refert conciliaſſe, et blande ſordes euacuaſſe. Doſis pro adulto ad ſcrupulum vel drachmam dimidiam ſtatui poteſt. Nec ſpernendum conſilium eſt, vt puluis ſollicite teratur cum ſaccharo, ne reſina tenax lacunis inteſtinorum adhaereat (v. SWIETEN *Comment. T. 4. p. 338.*), et vt, ad praepedienda tormina, aromatis tantillum adiiciatur. Diu cum ſaccharo trita emulſionis ſpeciem cum aqua vel vino format, efficaciter catharticam. Vulgaris quoque miſcela eſt cum ſale quodam ſtimuli cauſa.

Sed trutinandi et peculiares morbi, in quibus non vnice purgandi virtute excellere videtur. Contra vermes inteſtinales valet, adeo vt et pertinaciſſimus omnium, taenia, ea ſubactus fuerit. Id quod WEPFERVS (*de Cicut. aquat. c. 15. p. 224.*) primum caſu poſtea plurimis exemplis didicit. Mulier quadragenaria verſus menſtruum tempus vermes cucurbitaceos excernens ante biennium autem taeniam, poſt fruſtra tentata anthelmintica decantatiſſima, tandem poſt drachmam dimidiam Ialappae excreuit taeniam ſex fere vlnarum (v. SWIETEN *l.c.*). — Non nouum eſt conſilium gonorrhoeae curationem purgantibus niſi perficiendi, ſaltim accelerandi, etſi de ſelectu non

omnes conueniant. Cardinem totius curationis in hiſce poſuit amabilis SYDENHAM (*Oper. p. 332.*) et inter haec praerogatiuam tribuit Ialappae, qua ſola aliquoties pauperibus ſubuenit, quem tamen non latuit natura morbi (ſaltim initio) inflammatoria, vnde ſimul diaetam refrigerantem iniunxit. — In hydrope aquae euacuationem per aluum procurat, quibus ad id corpus opportunum. Nam nimis vniuerſaliter MARCGRAVE (*Mat. med. contracta*) hydropicorum panaceam vocauit.

Inſtar fermenti ad fermentationem ciendam a deſtillatoribus et cereuiſiariis copioſe in Anglia vſurpatur (MILLER *l. c.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

RESINA IALAPPAE *Pharmpp. omn.* Niſi pharmacopolae ipſi illam praeparent, ſaepe non ſollerter ſatis ab extracto aquoſo liberata, vel colophonio corrupta, exſtat (SPIELM. *M. m. p. 643.*). Quoniam insigni ſtimulo inſtruitur et valde tenax eſt: cauendum ne ſeſe alicubi ventriculi et inteſtinorum plicis adfigat, vnde tormina, dolores moleſtiſſimi, hypercatharſis, quin inflammatio dirioraque adhuc mala. Sponte et patet, quomodocunque et ſubigatur, iuſtam doſin non eſſe transmigrandam, qua in re manifeſte peccatum eſt in caſibus quibusdam, quos collegit BÜCHNERVS (*Diſſert. cit.*) aliique. Inter emulſiua ſe-

ſemina, quibus teri ſolet, amygdalae vulgatiſſimae ſunt. Vulgare etiam eſt conſortium cum vitello oui. Parem attenuandi vim habet tritura cum terreis vel gummi arabico vel ſapone. De quorum plerisque modis pretium definit BÜCHNERVS (*l. c.*). Et ſic in pilulis exhibetur, vel facile in fluidam formam ſub varia miſcela cum aqua redigitur a granis tribus ad octo vel decem. — Medicus Anglus, RADCLIFF, in morbis ſoporoſis febri ſuperuenientibus optimo ſucceſſu reſinae huius ſcrupulum vnum idque absque vlla venae ſectione praecepit (ALLEN *Synopſ. med. pract. cap. 3. §. 24.*); ſed audaci conſilio (WERLH. *Obſ. p. 80.*).

EXTRACTVM *Ph. Wurt. p. 92.* Pars reſinoſa et gummoſa mixtae hic ſunt. Debilius igitur reſina, vt ad grana duodecim ſupraque detur.

TINCTVRA *Ph. Lond. p. 70. Ph. Ed. p. 42.* Digeſtione cum ſpiritu vini.

TINCTVRA COMPOSITA *Ph. Ed. p. 42.* Adduntur radix Hellebori nigri, Baccae Iuniperi, ſcobs Guaiaci.

190.

Pharm. MECHOACANNAE *Radix.*

Conuoluulus americanus Mechoacan dictus RAII *Hiſt. pl. Tom. I. p. 723.* LINN. *M. m. p. 56.* Ieticucu PIS. *Ind. p. 252.* qui ligno inſculptam iconem addit.

dit. Accurata plantae notitia adhuc deficit, vnde LINNEVS inter ſpecies ſuas nondum recepit. Proxime venit figura ad Conuoluulum ſepium (LINN. *Amoen. ac. T. 7. p. 302.*). Pl. perennis luxurians in agris et ſyluis Americae praecipue Braſiliae.

Nomen tulit a Mechoacan, prouincia Mexicana. Planta lacteſcit, vt in congeneribus. Sed lacte praecipue ſcatet RADIX; bifida, extus fuſca eaque reſinoſae naturae. Colligitur ideo iſta verno tempore et in taleolas transuerſim ſecta ſeruatur. In ſolo natali ſuccus radicis recentis exprimitur, et quod ſubſidit in vmbra ſiccatur. Conſeruam inde delicatiores cum ſaccharo parant, cuius doſis Caſtaneae circiter ibidem magnitudo eſt (PISO *l. c.*).

In taleolis deſcriptis occurrunt in officinis, diametri pollicis ſupraque, compactis albicantibus vel albo-flauis, ſed cortice griſeo obductis. Et hae quidem radices optimae notae ſunt. Reiiciendae autem candidae, leues, fragiles, carioſae. Cauendum quoque, ne radix Bryoniae admiſceatur, quae vero amaritie facile diſtinguitur. Sapor eius ſubdulcis, initio non ſenſibilis, dein ſubacris, aliquantum nauſeoſus.

Verſus medium ſeculi decimi ſexti translata in Hiſpaniam, poſtquam inſignia documenta efficaciae in regno Mexicano apud aduenas Hiſpanos quoque edidiſſet (MONARDES *ſimpl. med. Ed.* CLVS. *p. 378.*).

Et

Et haec Radix resinam recondit haud absimilem ei, quae Ialappae inest, sed sextam modo eiusdem partem erogat.

Aestimata iam initio ob vim aluum blande purgandi, omni aetate opportuna, vt et Rhabarbarum Indicum vocarent, et ad multos morbos, qui euacuationibus opus habent, extenderent (MONARDES *l. c. p. 382. sq.*). Aliique multi postea benigne quidem et sine molestia operari cognouerunt (conf. BOVLDVC in *Mem. de l'Ac. d. sc. 1711. p. 81.*). Ast quum alia suppetant, quae minori dosi et celerius effectum exserunt, haecque praerogatiua nominatim in Ialappa serius inuenta offendatur: obsoleuit fere omnino. Sunt, qui infantibus praecipue conuenire arbitrantur a granis quinque ad decem et supra (LÖSECKE *Arzneyen p. 117.*): sed nec hisce nocebis efficacioribus, modo dosin minuas. Adultis drachmas duas concessit MONARDES in puluere, vinumque vt optimum vehiculum proposuit. Efficacius operatur in substantia, quam extracto aquoso (BOVLDVC *l. c.*). In materia arthritica et rheumatica euacuanda, credita est eximia, sed vel in puluere vel infuso, non vero decocta aqua, quum eo debilitetur (BOMARE *Diction. T. 7. p. 6.*).

Ad vlteriorem vsum pertinet MARCELLI DONATI *de Mechoacanna Liber Mant. 1568. 4.* quem tamen legere mihi non contigit.

191.

Pharm. CONVOLVVLI MAIORIS ALBI *Herba.*

Conuoluulus ſepium; foliis ſagittatis poſtice truncatis, pedunculis tretragonis vnifloris LINN. *Spec. pl. p. 218.* Conuoluulus maior albus C. B. Icon: *Fl. Dan. Tab. 458.* Pl. perennis ad ſepes vulgaris.

Lacteſcens ſtirps et pariter purgans, in qua et MESVË hanc vim agnouit. Inter lenia purgantia commemorat PRAEVOTIVS (*Oper. p. 482.*), ita tamen, vt neque de parte nec de doſi dicat. Radix, nec acris, nec amara (IO. BAVH. *Hiſt. T. 2. p. 155.*), porcis proiecta vtile illis alimentum conſtituit (*l. c.*). Sed ſuccus HERBAE inſpiſſatus Scammonium vi aemulatur ad viginti vel triginta grana ſumtus, teſte ill. AB HALLER (*Hiſt. ſtirp. helv. n. 663.*). A decocto tamen cani aluus non ſoluta (FLOYER *pharmacob. p. 116.*). Cataplaſma cum oleo ad tumorem in genu reſoluendum adhibuit DEIDIER (HALLER *l. c.*).

192.

Pharm. TVRPETHI *Radix.*

Conuoluulus Turpethum; foliis cordatis angulatis, caule membranaceo quadrangulari, pedunculis multifloris LINN. *Sp. pl. p. 221.* Conuoluulus indicus alatus maximus etc. HERM. *Hort. L. B. p.* 177.

177. *cum Tab. p. 178. ſq.* Pl. perennis, Zeylonae locis humidis opacis creſcens.

RADIX longa, reptans, pollicem ſupraque craſſa, lignoſa, craſſo fuſcoque cortice veſtita, ex quo, dum recens eſt, ſuccus lacteus glutinoſus ſtillat, quae in reſinam pallide flaueſcentem mox concreſcit (HERM. *l. c.*). Sicca in pharmacopoliis obuia, fruſtum vel integrae radicis eſt aliquot pollices longum, vel corticalis modo partis lineam craſſae, extrinſecus pallide fuſcae, interne magis albicantis. Reſina copioſa ſtriis obſcurioribus cognoſcitur. Guſtata initio dulcis apparet, dein ſubacris et nauſeoſa. Nomen Terbadt apud AVICENNAM et Turbedt apud alios Arabes occurrit, etſi ſtirpem tam mance deſcripſerint, vt, an cum ſpecie noſtro tempore officinali conueniat, non liqueat. Differre quoque ab hac Turbit GARZIAE CLVSIVS (*Aromat et ſimpl. p. 144. not. c.*) ſuadet. In Hiſpania radix ex Thapſia, quam pro garganica LINN. (*Mant. 1. p. 57.*) habeo, loco legitimi Turpethi vendita fuit, item ſubinde radix Scammonii. Meminit quoque DALE (*Pharmacol. p. 128.*) radicis Pſeudoturbith offic., quae, quantum ſcio, Seſeli Turbith L. (*Spec. pl. p. 374.*) eſt.

Reſinae quantitas, a qua tamen medica efficacia dependet, valde inconſtans eſt, quod incommodum et confuſio radicum ſine dubio ſuſpectum Turpethum reddiderunt et obliuione dignum. Ad ſortiora enim

enim purgantia relata radix dataque fuit hoc fine in puluere a granis decem ad drachmam dimidiam et vltra, in infuſo ad binas vel tres drachmas, in extracto vinoſo ad ſcrupulum vnum ſupraque et reſina ad duodecim grana. Ad drachmam vnam radicem egregie et ſine moleſtia purgare GRIMM (in *Miſc. N. C. Dec. 2. Ann. 3. p. 406.*). Nolo audentiores recenſere.

Hodie vix niſi in vetuſtioribus quibusdam compoſitis locum habet, vt EXTRACTO PANCHYMAGOGO CROLLII, EXTR. DIACARTHAMI rel.

193.

Pharm. SOLDANELLAE vulgo, BRASSICAE MARINAE Ph. Edinb. *Herba.*

Conuoluulus Soldanella; foliis reniformibus pedunculis vnifloris LINN. *Sp. pl. p. 226.* Soldanella maritima minor C. B. Κραμβη θαλασσια DIOSC. Pl. ad littora ſeptentrionalia Angliae, Friſiae, Galliae, Italiae creſcens.

HERBA lacteſcens ſalſum et amarum ſaporem habet. Vehementia haud mediocri aluum mouet, ad hydragoga nominatim relata. Hydropicis igitur praeſcripta a FALLOPIO, HELIDAEO aliisque. Et in ſcorbuto quoque laudem tulit, vt et Anglicum nomen Scottiſh Scurvy-graſſ indicat. Ventriculo vero inimicam poſt DIOSCORIDEM (*Lib. 2. c. 48.*) multi alii

alii queruntur, vnde et carne pingui vel iure carnium coquendam ſuadent. Acetarii inſtar et cum ſale, aceto et ſaccharo ad quinque vel ſex buccellas comeſta (RAY. *Hiſt. pl. T. 1. p. 726.*). Siccata multum ſaporis perdit, videtur tamen ſeruare purgantem vim (LEWIS *M. m. p. 153.*). Doſi differunt auctores valdopere, nam in puluere a drachma vna ad quatuor concedunt. Decocta quoque exhibita eſt (LEWIS). Deſunt adhuc fida experimenta, quae ad imitationem incitare poſſent.

? PLVMBAGO.

LINN. *Syſt. veg. p. 167. Gen. pl. p. 86.*

194.

Pharm. DENTARIAE (LINN. *M. m.*) DENTILLARIAE aliis, *Herba*; *Radix.*

Plumbago europaea; foliis amplexicaulibus lanceolatis ſcabris LINN. *Spec. pl. p. 215.* Dentillaria Rondelitii I. B. Lepidium Dentillaria dictum C. B. Pl. perennis creſcens Neapoli, Monſpelii, Syracuſae prope mare.

Silent libri materiae medicae plerique de hac ſtirpe, ſed in pleniori omitti non debet. Acrimonia inſignis illi tribuitur. RADICEM odontalgiae mederi iam I. BAVH. (*Hiſt. pl. T. 2. p. 941.*) memorauit, repetitque ill. LINNEVS (*M. m.*); quomodo, curatius

definit DALE (*Pharmacol. p. 121.*), nempe carpis applicatam, vel quod iterum rem dubiam facit, manu tantum retentam. Anglus vero videtur HERBAM indicare.

Haec contra cancrum vim aliquam praeſtitit. Oleum foliorum infuſione olei oliuarum paratum, ſaepiusque vlceri illitum, in inueteratis adeo cancris et valde profundis valuiſſe tradit SCHREIBER (*Erkennt. u. Cur d. Krankh. p. 68.*). Teſtis quoque citatur SAVVAGES felicis cancri mammarum in femina curationis, ab empirico foliis aliquot huius plantae oleo oliuarum maceratis et impoſitis perfectae, quibus ipſis eſchara producta, carnes mortuae a viuis ſeparatae et laudabilis ſuppuratio excitata (CHATELAIN *Diſſ. de Corallorhiza Baſil. 1760. p. 13.*).

LOBELIA.

LINN. *Syſt. veg. p. 666. Gen. pl. p. 456.*

195.

Pharm. LOBELIAE *Radix.*

Lobelia ſiphilitica; caule erecto, foliis ouato-lanceolatis ſubſerratis, calycum ſinubus reflexis LINN. *Syſt. veg. p. 667.* Rapunculus galeatus virginianus; flore violaceo maiore MORISON *Hiſt. T. 2. p. 466. S. 5. t. 5. f. 55.* Conf. KALMII deſcriptio largior in *K. Vet. Acad. Handl. p. 284.* inſerta LINN. *Amoen. T. 4. p. 527. ſqq.* et LINN. *Mant. pl. 2. p. 482.* Pl. per-

perennis, cr. in locis vdis ad foſſas et flumina Virginiae. Probe fert hiemem in horto bot. Gott.

Planta omnibus viridibus partibus lacteſcens, fricta odorem viroſum ſpargit.

RADIX fibroſa fibris albis, lineam craſſis, duos digitos longis. Nicotianam ſapore aemulatur, qui diu linguae adhaereſcit et vomitum excitat. In Europa nondum ſerio in vſum tracta, ſed feri Americae ſeptentrionalis iam dudum eam inſtar arcani in lue venerea adhibuerunt, quod argento redemit Chiliarcha olim inter eosdem vitam degens IOHNSON, qui poſtea illud, vna cum aliis ſtirpibus, quas pertinacius malum requirit, vel in quibus nonnulli maiorem fiduciam collocant, tum ibidem peregrinanti KALMIO, viro cel., patefecit. Hisque, inter quas Lobelia primaria eſt, aeque iſti feliciter vincunt morbum, ac Europaei vnquam mercurialibus. Vſurpatur radix vel recens vel ſicca, quae praeſtantior eſt. Radices ſcilicet ex quatuor, ſex vel pluribus plantis probe lotis, decoquunt eiusque praebium mane epotant ea, quam ferre poſſunt, quantitate. Reliquam partem per diem conſumunt. Si nimia alui deiectio inde vrget, dilutius decoctum parant, ſicque ſubminiſtrant per 14 dies iuncta externa partium praecipue lue contaminatarum lotione decocti eiusdem ope facta. Intra quod temporis ſpatium plerumque aeger conualeſcit. In obſtinatiori malo Lobeliae admiſcent radicem Ranun-

culi abortiui L., ſed parce, ne eius acrimonia inteſtina inflammentur. Ad exſiccanda vlcera puluerem radicis Gei riualis inſpergunt (KALM *l. c. p. 286. ſqq.*). Exactius paullo doſin definit cl. BARTRAM, hiſtoriae naturalis ſcientiſſimus in America ſeptentr. vir, (in *Appendix containing Deſcriptions virtues et vſes of hundry Plants of theſe northerns Parts of America; and particularly of the newly diſcoverd Indian Cure for the venereal Diſeaſe &.*, quam ſchedulam in Latinum idioma redegit LINNEVS *Amoen. ac. T. 4.* inde a *p. 513.*). Nempe radicis manipulus vnus coquitur in aquae menſuris tribus decoctumque bibitur incipiendo a menſura dimidia, ſi aeger tenerioris fuerit habitus, dein doſis augetur quotidie, donec aeger decocti vim purgantem amplius ferre nequeat; quod ſi fit, abſtineat ab eo per vnum vel alterum diem, redintegrans autem potionem, ſi opus, ad perfectam ſanationem vsque. Ab hoc quoque diſcitur, profunda et putrida vlcera conſpergi cortice interiori Ceanothi americani L. Maxime ad cultioris medicinae formam accedit, ter de die ventre vacuo circiter libram (gills 2.) exhibere, et reſpectu virium habito hanc quantitatem, ſub conſortio balneorum et tenuis diaetae legibus, vel augere vel minuere (BARTRAM apud LINN. *l. c. p. 520.*).

Hac tamen ſpecie alia ſcil. *Lobelia longiflora* L. (*Spec. pl. p. 1319.* IACQVIN *ſel. americ. p. 219. Tab. 27.*) fortior, ſed caute adhibenda (LINN. *Diſſ. Obſ. in M.*

m.

m. p. 6.); nam corroſiua eſt. Conf. cel. IACQVIN *l. c.*

? VIOLA.

LINN. *Syſt. veg. p. 668. Gen. pl. p. 457.*

196.

Pharm. VIOLAE *Flores*; *Semina*; *Radix*. VIOLARIAE *Herba*.

Viola odorata; acaulis, foliis cordatis, ſtolonibus reptantibus LINN. *Spec. pl. p. 1324.* α. Viola martia purpurea, flore ſimplici odoro C. B. Iov Graecis. Icon: *Fl. Dan. Tab. 309.* item REGNAVLT *Botan.* La Violette de Mars. Pl. perennis in auſtralioris Europae nemoribus collibus, hortis pomiferis, inter gramina primo vere frequens.

Viola canina L., huic ſimillima, diſtinguitur foliis ſuis oblongis, defectu ſtolonum, et corolla pallida inodora.

FLORES prioris fere vnice hodie in medico foro obuii ſunt. Intelliguntur corollae, quae dum recentes gratiſſimum odorem ſpirant ſpecificum, vt et aliae ſtirpes ſimili inſtructae inde nomen traxerint, adeoque fragrantem, vt virgo nobilis ex patina, violis repleta et per noctem in cubiculo ſeruata, apoplectico more interierit (TRILLERI *Diſſ. de morte ſubita ex nimio violarum odore Witt.* recuſ. in EIVSD. *Opuſc. Vol. 1.*

p. 240.). Verum non ea vnice horum natura eſt, vt, prout alia odora valde fragrantia halitibus anguſtiori ſpatii occluſis, caput tentent, ſenſum denique omnem animae ſupprimant: ſed fixiores partes anodynas vehunt, quas in ſyrupo colligere ſolemus, cui vnice fere flores hodie impenduntur. Rariſſimo exemplo prae idioſyncraſia quadam non feruntur; quale de matrona quadam narratur, omnibus ſuaueolentibus delectante, exceptis ſolis Violis recentibus (BARTHOL. *Hiſt. anat. 28. Cent. 3. p. 65.*). Pueris comitialibus opitulari DIOSCORIDES (*Lib. 4. c. 122.*) innuit, et ſpecificos in morbis conuulſiuis et neruinis vocat BAGLIVIVS (*Oper. p. 114.*), etſi adhibendi modum reticeat. — Mucilaginoſae praeterea indolis ſunt et amaritiem produnt. Ab iſta ſine dubio dependet aluum purgandi vis, quam plures auctores notarunt. In acetario appoſitos id efficere pluries refert PECHLIN (*de purgantibus p. 51.*) ſe expertum; in ſucco MESVE, cuius vncias duas aſſignat SALADINVS, ASCVLANVS (*comp. aromat.*); in puluere POTERIVS (TOVRN. *Hiſt. d. Plant. de Paris T. 1. p. 291.*) ad drachmam vnam. — Denique et color purpureus, quem aqua extrahit, ad chemica experimenta idoneos reddit, et oculo amoenum pabulum in quibusdam liquidis ſubminiſtrat.

HERBA emolliens; hinc in clyſmatibus, cataplaſmatibus et epithematibus, non ineptum locum habet. (TOVRN. *l. c.*).

SE-

SEMEN lotium mouet, nec vltra videtur extendi debere vis lithontriptica. Arcanum fuit hoc nomine BVTIERO (NEEDHAM in RAY *Hiſt. pl. T. 2. p. 1050.*) Accedit laudi LAVREMBERGIVS (*Diſſ. epiſt. ad* HOIERVM *de calculo p. 31.*). Huiusque ope mulier per ſeptimum diem vrinae ſuppreſſione detenta, euaſit periculo; et MAXIMILIANVS Imperator inſignem copiam lapillorum poſt idem aſſumtum excreuit (SCHOLZIVS in *Epiſt. 192. p. 310.*). Nempe emulſionis forma exhibetur.

RADIX fibroſa, geniculata, Ipecacuanhae valde ſimilis, ſed vomitoriam pariter eſſe experientia docuit. Infuſi vncias duas vel tres ſurſum et deorſum purgare teſtibus non nouis cognoſcitur (TOVRN. *l. c.* HENNINGER *Diſſ. de Viola purpur. 1712.*); in qua narratione dolendum neque proportionem inter radicem et menſtruum, nec menſtrui genus, ſignificatum. Repetiit nouiſſime experimentum cel. BERGIVS (LINN. *Diſſ. de Viola Ipecacuanha 1774.*) infuſo aquoſo, quod ex planta viua vel marceſcente mucilaginoſum euaſit, odore fere aurantiorum, poſt vnum vel alterum vomitum etiam aluum mouens. Quod vero ex planta ſicca paratum emeſin non creauit, parumque aluum laxauit.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

SYRVPVS VIOLARVM *Ph. omnes.* Fit maceratione florum, calyce priuatorum, conquaſſatorum in

aqua, ſacchari demum poſt colaturam praegreſſam additamento. *Wurtenbergenſes* (*Ph. p. 219.*) ebullitionem vnam cum ſaccharo ſuadent, *Sueci* (*Ph. p. 191.*) iubent ſyrupum ſine calore fieri. Iſti expreſſionem deſiderant, hi autem et *Angli* (*Ph. Lond. p. 82.* et *Edinb. p. 63.*) omittunt. Quoniam mora color purpureus perit, quidam (*Ph. W. l. c.*) ſuccum citri vel ſpiritum ſalis adiiciunt, qua miſcela autem dubium non eſt, quin ſufflaminetur virtus et inidoneus euadat ad ſcrutinia chemica. Saepe adulteratur ſub penuria florum aliis vegetabilibus, colore coeruleo inſtructis, nominatim floribus Aquilegiae, et odoris cauſa radice Ireos Florentinae. — Hic ſyrupus rite praeparatus docente quotidiana experientia tuſſim ſedat, dolores ab aphthis leuat, et in tenerioribus ſomnum blande promouet, iulepiis et mixturis quoque additur ob coloris gratiam. — Notiſſimo experimento ſolet ſyrupus violarum in ſubſidium trahi ad diiudicandam naturam ſalium, qui ſi ſeruat ſub miſcela colorem ſuum, indicio habetur ſal eſſe medium, ſi ruber euadit, cum acido rem agi, ſi virideſcit, alcali ſubeſſe. Sed non errore omni carent haec criteria. Primum ſyrupus ex Violis paratum purpureus eſt, iſte vero ex Aquilegiae floribus perfecte coeruleus (MODEL'S *chym. Nebenſt. p. 76.*); hinc poſterior praeferendus. Dein in aquis terram martialem vehentibus ex miſcela coloris eiusdem lutei cum ſyrupi colore coeruleo viridis emergit (*l. c. p. 19.*).

SY-

SYRVPVS VIOLARVM SOLVTIVVS *Ph. W. p. 220.* Obſoletus. Senna addita purgantem reddit. Id quod quidem ob flores de priori a variis ſuſtinetur: ſed contra HENNINGERVS (*Diſſ. dé Viola*) ſyrupo tantum ex tota planta hanc vim concedit.

HERBAE QVINQVE EMOLLIENTES. Harum vna.

TINCTVRA VIOLARVM acidae naturae ob additum ſpiritum vitrioli. Conſerua aliaque praeparata in deſuetudinem abierunt, prout ipſa tinctura.

197.

Pharm. IPECACVANHAE vulgo IPECACOANHAE Ph. Lond. *Radix* ſ. *Radix Brazilienſis.*

Viola Ipecacuanha; foliis oualibus margine ſubtusque piloſis LINN. *Syſt. veg. p. 669. Mant. 2. p. 484.* Ipecacuanha PISON. *Ind. res nat. et med. p. 231.* cum icone mala. Viola grandiflora Veronicae folio, villoſo BARRERE *ſur l'hiſt. nat. de la France equinoxiale p. 113.* An Viola paruiflora Veronicae folio non villoſo floribus ex albo-violaceis POVPPE DESPORTES *Meladies de Domingue T. 3. p. 6.?* Pombalia Ipecacuanha VANDELLI *Faſcic. 1771?* cuius deſcriptionem inſeruit LINN. *Diſſ. de Viola Ipecacuanha Vpſ. 1774. p. 7.* Viola Itoubou, foliis et caulibus tomentoſis, flore amplo albo AVBLET *Hiſt. des plantes de la Guiane Francoiſe T. 2. p. 808. Tab.*

318. Creſcit in America meridionali, in regno Peruuiano et Braſilia, vti et in Caiennae et Guianae locis arenoſis. Pl. perennis, ſecundum VANDELLI fruticoſa.

Sic demum euictum, Radicem hanc neque ex Paridis ſpecie, vt coniecit RAY (*Hiſt. pl. 1. p. 669.*) deſumi, neque ex Lonicera quadam ad iudicium priſtinum PLVKENETI (*Almag. p. 288.*) MORISONI (*Hiſt. pl. T. 3. p. 535.*), quin ipſius LINNEI (*Mat. med. Ed. 1. p. 24.*), neque ex Euphorbia Ipecacuanha L., quam ſignificauit nouiſſime *Pharmacopoea Dan.* (*p. 21.*), Pombaliam VANDELLI, quam auctor Lisbonae in horto ſeuit et viuam coluit, huc transfero auctoritate LINNEI: memorabile autem illum et cl. DESPORTES folia eidem adſcribere glabra, quum reliqui allati auctores plantae Ipecacuanhae tomentum tribuant. Doleo, ob defectum ſcriptionis Vandellianae, mihi non ſuppetere comparationem iconis eiusdem cum icone AVBLETII inſtituere, qui poſterior, quoniam diu in America auſtrali verſatus eſt, plurimum fidei meretur. Violam diandram L. (*Syſt. veg. p. 669.*) vero cl. ALLAMAND, Chirurgus et botanicus pluries Surinamum profectus in litteris ad ill. LINNEVM tanquam veram ſpeciem Ipecacuanhae propoſuit (LINN. *Diſſ. cit. p. 8.*), quae ipſa diſcrepat a prioribus potiſſimum nectario longiſſimo, quod iſtis deeſt, vt in Violis Capenſibus non rarum eſt, et foliis glabris. Cl. DESPORTES (*l. c.*) deſcriptio tam breuis eſt, vt

ad

ad quamnam praecedentium pertineat dici non poſſit: refert tamen probabile ſibi videri, eſſe veram Ipecacuanham. Nihil obſtat, quo minus omnes, etiamſi ſpecie differant, vomitoriae ſint, quum adeo in indigenas Violas idem effectus cadat. Et lux eo accendi videtur circa diſcrimen radicis Ipecacuanhae in *fuſcam* et *albam* in officinis obuium, quod vulgatiſſimum eſt. Nam alia diſcrimina in Canadenſem (ex Euphorbia Ipecac. L.) Virginianam (Spiraea trifoliata), Americanam (Pſoralaea glanduloſa) et Pſeudo-Ipecacuannam fuſcam offic. DALII (*Pharmacol. p. 195.* quae ſpecies Apocyni) et flauam, non moror, quarum quaedam radices omnino inſecurae.

Duarum radicum meminit PISO (*loc. cit.*) facie, colore, natali ſolo et facultatibus, inter ſeſe diſcrepantium. Vna harum *albicans* (hinc Luſitanis Ipecacuanha blanca) craſſa, proueniens ex planta foliis lanuginoſis, ſed debilior; altera in figura delineata tortuoſa, nodoſa, *fuſca*. Eandem, quam albidam vocat, quoque griſeam ſ. cineream nominat LEWIS (*M. m. p. 323.*) cui opponit brunam. Illique regnum Peruuianum patriam cum GEOFFROY (*M. m. Traité Tom. 2. p. 157.*) aſſignat, huic vero Braſiliam. BOVLDVC tres nominat, albam debiliſſimam, brunam efficaciſſimam, et griſeam, quae medio ordine procedat (*Hiſt. de l'Ac. des ſc. de Paris 1700. p. 3. p. 76.*). Fatendum nondum conſtare ſpecie botanica an differant, et ad quam quae-

quaelibet referenda. Stirpi, quam deſcribunt DESPORTES, VANDELLI, AVBLET, tribuunt radicem albam: ſed de recenti loquuntur, cuius cortex ſiccatione forſitan obfuſcatur.

RADIX, vulgo in pharmacopoliis obuia, eſt dilute fuſca ſ. cinerea, gracilis varie torta, ſubannulata annulis prominentibus aſpera. Medio percurritur medulla lignoſa fili inſtar, a qua facile cortex friabilis ſeparatur. Odorem mucidum habet radix, eiusque pars corticalis ſubamara ſubacris, medulla autem fere inſipida eſt, et mucilagine linguam obducit. Mortario contuſa nares mox ſtimulat et moleſte afficit, quin niſi proſpiciatur, puluis tenuis auolans oculos inflammat et naribus attractus haemorrhagiam narium, anginam, reſpirandi difficultatem, haemoptyſin, creat (GEOFFROY *l. c. p. 158.*).

Praeter notiſſimos auctores, qui analyſes plantarum chemicas ſectantur, GEOFFROY, NEVMANNVM, CARTHEVSERVM, LEWIS, adducendus etiam eſt cl. BOVLDVC (*Mem. de l'Ac. d. ſc. de Paris 1700. p. 1. p. 76.*), qui vtrumque radicis genus et tertium, brunam quam vocat, chemiae ope inter ſeſe comparauit. In diiudicanda virtute reſpicias ad partes reſinoſas, a quibus plurimum virtutis emeticae dependet, ad mucilaginoſas, quae inuoluunt acre, et ad terreſtres copioſas, quae fibras adſtringunt et roborant. Etenim extractum reſinoſum ſolum efficaciter

ad

ad emeſin irritat (LEWIS): extractum gummoſum autem vel decoctum mucilaginoſum nihil vel parum ad huncce ſcopum facit (SCHVLZE et HVEBER *Diſſ. de Ipecacuanha americana p. 13.*). Adſtringentium aliorum inſtar ſolutionem Vitrioli martis obfuſcat manifeſtum in modum (BERGIVS in *Kgl. Vet. Acad. Handl. 1770. p. 323.*). Volatiles tamen quasdam partes accedere, vel inde patet, quod etſi diu ſeruari poſſit vis in radice integra, in contuſa tamen, praecipue ſi theca crebro aperiatur, vel aëri acceſſus pateat iuſto liberior, mirifice debilitetur, et coctione vis ſenſim pereat; vt taceam effectus infra recenſendos radicis, exigua licet doſi exhibitae, quos non praeſtitura eſſet, niſi ſubtilioribus quibusdam partibus inſtructa.

Corticem radicis antiſtare medullari parti viribus, prout ſapor indicat: ita et ipſa experientia in corpore humano capta. Quin iſte vnice efficax. Potiorem hunc eſſe vi BOECLERO (HERM. *Mat. med. T. 2. p. 60.*) iam viſum. Pluris eſſent facienda PHIL. FRID. GMELINI (*Phil. Tranſ. Vol. 43. p. 382.*) huc ſpectantia experimenta, niſi, neſcio qua de cauſa alia, incidentia, abſorbentia et leniter adſtringentia, addidiſſet. Microſcopium quoque copiam reſinoſarum particularum in cortice illi detexit, quam fruſtra quaeſiuit in medullari parte (*l. c. p. 385. ſq.*). Hinc corticem a lignoſa medulla ſeparatum commendat ill. TISSOT (*Let-*

(*Lettre premiere a Mr.* ZIMMERMANN *ſur l'epidemie courante p.* 72.), item cel. MEDICVS (*Period. Krankh. p.* 317.). Requirit etiam illum nominatim b. ROSENSTEIN (Ed. noviſſ. libri *om Barnſjukdomar* additamentum inter errata.).

Europaeis medio praeteriti ſeculi primum innotuit ſcil. a. 1649. PISONIS (*l. c.*) narratione et laudibus de vſu apud Braſilienſes praeter alia mala in alui fluxibus. Sed lento modo gradu in ea adhibenda medentes progreſſi ſunt, licet Medicus quidam, LE GRAS, qui ter Americam petiit, eam anno 1672. in Galliam ſecum ferret, et in pharmacopolio quodam celebri venalis proſtaret; donec circa annum 1686. mercator Gallus, GRENIER, inter alias merces centum et quinquaginta libras ex Hiſpania Pariſios adueheret, et vt medici ſocii nomen quaeſtui tanto magis faueret, participem et arcani et lucri ADRIANVM HELVETIVM (Conf. EIVSD. *Recueil des methodes p.* 280.) faceret. Hic certiorem reddens LVDOVICVM XIV. de praeſtantia radicis in dyſenteria non ſolum id. impetrauit, vt experimenta in noſocomio Hotel de Dieu iuſſu regio inſtituerentur, ſed, bene iis ſuccedentibus, munere pecuniae largo donaretur, et illi ſoli vendendi radicem ius competeret. Quam immunitatem, quum prae inuidia muneris male ferret GRENIER coram ſenatu ſupremo lites HELVETIO ab eo motae, confirmato tamen in poſſeſſione priuilegii,

modo

mercatori ſatisfaceret. Vnde hic nihil quam vindictam ſpirans et aliis vendere coepit, vt tandem vbiuis copia eius Pariſiis ſuppeteret, arcanumque eſſe in honorem humanitatis deſineret. In Belgio, in *Exercitationibus practicis* a. 1694. iterum editis, depraedicauit FRID. DEKKERS, ſimul vero dolens nullibi fere proſtare. In Germania celebrem litteris ſuis ad Academiam naturae Curioſorum reddidit a. 1696. LEIBNITIVS (in *Miſc. n. Curioſ. Dec. 3. Ann. 3. App.* inde a *p. 1.* recuſis in editione Francof. LISTERI *ſex exercit. med. a. 1696.* quam procurauit LEIBNITIVS), fata huius remedii ad illud tempus vsque praecipue in Gallia delineans ſuosque ciues ad eundem remedii vſum excitans. Multum ad id contulit commendatio WEDELII (*Diſſ. de Ipecacuanha, reſp.* LEINCKER *Ienae 1705.*).

Initio licet virtus contra dyſenteriam in primis mouerit auctores, vnde antidyſentericum nouum, radix antidyſenterica (quorſum et Germanicum nomen Ruhrwurz), dicta: longe vltra hoſce cancellos efficaciam eiusdem dominari poſtea cognitum eſt.

Eſt nimirum emeticum omnium conſuetiſſimum et tritiſſimum, nec infantibus tenellis repudiandum, nec praeſente febre incongruum, quum absque calore operetur. Praeſtat tamen, quod de omni emetico et euacuante in vniuerſum valet, exacerbationum tempus vitare. Paullo quidem lentius vim exſe-

ſerit, quam antimonialia, quae ideo, quando praeſentaneo auxilio opus eſt, vt poſt venenum captum, praeferenda. Sed vix vltra quadrantem vel dimidium horae quieſcit. Mitius ſuccedit vomendi negotium, ſi initio parum bibatur, affluxu autem ſaliuae ad os, nauſea, tremoribus oris, et contractionis abdominis ſenſu, ſubortis, copioſe, idque potus tepidus tenuis, qui ingerendus, donec nihil praeter merum potulentum euomatur. Quo tenuior puluis eſt, eo facilius emeſin creat. Doſis olim maior placuit. Braſilienſes vtebantur pro adulto in ſubſtantia drachma vna, et in infuſo circiter drachmis duabus (PISO *l. c.*); DEKKERVS (*l. c.*) drachmam dimidiam; HERMANNVS (*l. c.*) in ſubſtantia ſcrupulum vnum ad drachmam vnam adultis conceſſit, in infuſo autem drachmas duas, addens in febribus vtrobique doſin duplicandam et infantibus e. c. bimulis et trimulis grana ſeptem, octo, vel plura deſtinans. DEGNERVS (*Dyſent. bilioſ. contag. p. 135.*) drachmam dimidiam ad ſcrupulos duos adhibuit. Apud Germanos item Anglos mos diu fuit ſcrupulo circiter vni granum vnum vel alterum tartari emetici ſtimuli cauſa adiungere; quod connubium et ego feliciter exerceo, ſi ſaburra tenacior vexat et tempori parcendum eſt. — Recentiori vero aeuo conſtitit exiguas doſes plerumque eundem effectum praeſtare, quem largior, et minori longe vehementia et periculo aegros afficere. Faſſus iam cl.

GEOF-

GEOFFROY (*M. m. Traité T. 2. p. 161.*) ſibi ſuffeciſſe grana ſex ad decem, nec ſcrupulum vnum vel duos efficaciores exſtitiſſe. Magis adhuc longe doſin reſtrinxit cl. PYE (*med. Obſ. et Inquir. T. 1. p. 240. ſq.*) et tabulis caſibusque multis ſollerter deſcriptis demonſtrauit, pro diſcrimine aetatis et habitus aegri granum dimidium ad quatuor vel ſex optimo effectu ingeri, et raro ſpem fruſtrari, modo vomendi niſus adfuerit. Rariſſime hacce doſi aluus ſoluta, ſed ab exigua iſta doſi lego quosdam quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, nouies, quin feminam quandam a gr. duobus vel tribus, duodecies, 15ies ad 20ies vomuiſſe. Si in longiori malo, vt in alui profluuiis, repetitione opus eſſet, non eodem die ſed proximis, vel aliquot interiectis eam procurauit. Fateor, me ſubſcribere coniecturae TISSOTI (*Lettre 1. à Mr.* ZIMMERMANN *p. 72.*), quod radix cl. PYE alia fuerit, quam vulgaris, quum nec mihi ſucceſſerit tantilla vnius vel alterius grani doſis, tanto magis, quum Anglus non moneat, ſe cortice vnice vſum fuiſſe. Exceptiones tamen rariores nolim excluſas. Alius vero eandem exigua doſi adminiſtrandi modus is eſt, quo poſt interuallum quadrantis horae, niſi prima doſis ſufficiat, ſecunda offeratur, vel ſi haec quoque iners, tertia poſt ſesquiquadrantem horae. Sic commode grana octodecim vel viginti in tres partes diuiſa adulto ingeruntur; grana autem radicis tria cum gr. octo-

decim ſacchari miſta, et in totidem doſes diuiſa infanti: nec vnquam metus vehementioris iuſto vomitus locum habet (ROSENSTEIN *Apot. p. 77. Barnſjukd. p. 213.*). — Ferri et in infuſo radix poteſt, nempe eiusdem drachma vna vel ſcrupulis quatuor vel drachmis duabus per quadrantem horae in aquae feruentis vnciis duabus digeſtis, et poſt colaturam ſale quodam, ſi opus, vel ſaporis cauſa ſyrupo, miſtis. Conducit et infuſum cum vino digeſtione per noctem paratum abſente febre. Exiguas doſes radicis in infuſo pariter non defraudari virtute, experimentis edocemur (DEPLAIGNES in *Iourn. de Medec. T. 12. p. 238.*). Decocta exuitur ſuis viribus.

Quum hic non locus ſit de beneficio emeticorum generatim agere: nolo eximias virtutes Ipecacuanhae ſub initium et progreſſum febrium, quando colluuiei in primis viis collectae indicia adſunt, nominatim in febribus bilioſis et putridis, in exanthematicis, intermittentibus, in tuſſi conuulſiua, item praeſentibus vermibus, ad pellendos calculos felleos etc. multis excutere; quorum multi morbi vti vel ex ſolis ſordibus primarum viarum oriri poſſunt, ita exinde alimoniam ſaepe habent et natura ſua mutantur. Amplus ſatis remanet diſpatiandi campus, ſi iis morbis immorer, in quibus ſpecialiorem virtutem Ipecacuanha praeſtat, vel ſaltem praeſtitiſſe viſa eſt. In hiſce praecipue minoribus doſibus auctores acquieuerunt.

Quan-

Quanta in exiſtimatione in alui profluuiis, praecipue dyſenteria, fuerit, ſupra iam libandum dedi, adeo vt a multis ſpecifici nomine contra dyſenteriam condecorata fuerit, et haec ipſa virtus primum auctores allexerit. PISO (*l. c. Lib. 2. cap. 9. p. 37.*) „ſacram anchoram, vocat, qua nullum praeſtantius ac tutius in plerisque alui fluxibus cum vel ſine ſanguine compeſcendis natura excogitarit remedium.„ Nec cecidit poſt tot annos eius fama, licet ſanius iudicium morbi ſtadium, in quo conueniat, poſtliminio curatius diſcernere dedicerit. Tempeſtiue exhibita eximia plane medela eſt, vanusque eſt timor, ne exacerbetur malum. Conducit ſemper, quando cauſa morboſa adhuc mobilis eſt, et partes ſolidas nondum corripuit: nocet autem, ſi acrimonia iam inflammationem inteſtinorum creauit, vel ſuppurationem ſ. gangraenam in hiſce induxit, aut ipſis humoribus ſeſe admiſcuit. Datur optime morbi initio, quum vires adhuc ſufficiunt, viſcera adhuc firma, praecipue ſub vomendi conatu, cardialgia, borborygmis rel. Sicque mitigantur tormina, parcius euadit profluuium copiaque ſanguinis deiecti decreſcit. Repetitione quoque opus eſt, ſi priſtina mala perſiſtunt, vel eodem die vel vno die vel biduo poſt, idque ſubinde tertia vice. Locus et eſt ſeriori vomitorio, ſi quid fomitis ſuperſtes eſt, modo ſuſpicio inflammationis et ſuppurationis inteſtinorum deſit poſt octo quatuordecim vel plures dies, ſub ſtatu,

adeo (DEGNER *dyſent. bilioſ. p. 131. ſqq.* ZIMMERMANN *von d. Ruhr p. 80. ſqq.*). Sunt, qui auxilium, quod Ipecacuanha affert, nonniſi effectui emeticis communi adſcribunt (*Comm. Noric. 1733. p. 44. ſq. 1734. p. 333. et 1735. p. 221.* BAKER *de catarrho et Dyſent. Lond.* in SANDIF. *Theſ. Diſſ. T. 2. p. 375.*), cl. BAKER tamen tartarum emeticum longe praefert. Sed omnino et mucilaginis, quam recondit et quae acre vellicans obducit, adſtringendi potentiae, quae robur inteſtinis impertit, et diaphoreſeos, quam excitat, etſi hanc ipſam nec tartaro emetico denego, ratio habenda. Effectus eo certior, ſi aluum ſimul ſubducit (PRINGLE *Diſ. of the army p. 262.* Conf. CLEGHORN *Diſ. of Minorca p. 230.*). — De doſi et ordine exhibitionis variant medici. PISO (*l. c. p. 37.*) vel decoctum vel infuſum ex drachmis duabus radicis et quatuor vnciis aquae parauit, repetiitque hoc pro re nata; ſuadet et ſecundam imo tertiam decoctionem, quam debilioribus magis opportunam cenſet, et adſtrictoria vi efficaciorem. Hic vero potiſſimum ad purgandi vim radicis videtur reſpexiſſe, etſi magis fini ſatisfieri pronunciat, ſi vomitum ſimul concitauerit. DEGNERVS (*l. c.*) pulueris drachmam dimidiam ad ſcrupulos duos adultis, pauca vero tantum grana infantibus dedit. Ill. PRINGLE (*Diſ. of army p. 261.*) affecto praecipue ventriculo ſcrupulum vnum, addito pro fortioribus grano vno vel duobus tartari emetici; ſi vero tormi-

ni-

nibus magis vexatur aeger, vnde mali fomitem inteſtinis ineſſe praecipue colligitur: vulgaris doſeos loco radicis grana quinque tantum pro doſi exhibet, et bis vel ter eandem quantitatem poſt interuallum vnius horae repetit, donec aluus ſoluatur. Sic grana quindecim plerumque ſufficiunt. Grana tria quouis trihorio ad doſes quatuor capta, aucta vltima doſi ad gr. ſex vel ſeptem, placent cl^mo HILLARY (*Air and Diſeaſ. of Barbados p. 214. p. 86. 95.*): etenim tum vomitu vno vel altero orto fluxus ſubſtitit, et ſudor per aliquot horas ſpontaneus emerſit, qui ali debet potu liquido, et deliria, tremor, aliaque ſymptomata ſopita. Cl. CLEGHORN (*Diſ. of Minorca p. 230.*) eius grana decem vel quindecim in tres doſes diuiſa ante meridiem omni bihorio vel ſeſquihorio propinauit, vnde ſurſum et deorſum vim exercuit, et ſudorem ſaepe noctu ſequenti produxit; iterans vſum alio die, ſi dyſenteria perrexerit vel maioribus interuallis. — Sed non omnibus ſatisfecit haec paruis doſibus vtendi methodus. Queritur cl. MONRO (*mil. diſ. p. 72. 83.*) haſce ipſas in dyſenteria vomitum quidem et alui deiectiones effeciſſe, ſed aegros tantopere affectos, vt nollent medelam continuare. Nec ill. ZIMMERMANNO (*von der Ruhr p. 81.*) exiguae iſtae doſes ſucceſſerunt, hinc plerumque ad grana quadraginta aſcendit. Dolet et cl. CLARCK (*Diſeaſ. in long voyages to hot countries p. 230.*) ſub climate calido ad gr. pauca datam, nauſeam

moleſtam modo alere, vix vero vnum aegrum a torminibus vel teneſmo liberare. — Iniectio per aluum apud eos, qui radicem per os ſumere detrectant, licet ad ſedanda tormina valuerit (HELVETIVS *Traité des maladies p. 163. 202.*), inſueta hodie res eſt.

Abſit vero, vt in dyſenteria compeſcenda, vtut Ipecacuanha proficua vere ſit, et quamuis leniori caſu radicem quaſi totius mali abſcindat, vnice ea acquieſcamus. Natura mali inflammatoria ſaepe totam antiphlogiſticam curationem ſibi vindicat, et ſi fomes putredinoſus ſubeſt, prout plerumque contingit, acida et antiputredinoſa, vtrobiuis iunctis potionibus acre obtundentibus, oleoſis, et, poſtquam purgatae probe primae viae ſunt, et diatheſis inflammatoria deuicta, cauta opiatorum adminiſtratione tam ad dolores ſpaſmosque ſedandos, quam vt blanda diaphoreſis cieatur, et profluuium iam a debilitate modo proueniens, ſiſtatur. Tum et de robore debilitato ventriculo et inteſtinorum tractui reſtituendo cogitandum. — Hinc varia illa radicis antidyſentericae connubia haud paucis conſueta. Idonea quibusdam viſa eſt miſcela Ipecacuanhae cum Rheo; ſcilicet pro robuſtioribus illius grana quindecim huius drachma vna (ALBRECHT in *Comm. Noric. 1741. p. 133.*); vel, quod cautius, in bolo ex granis circiter quindecim illius, Rhabarbari gr. duodecim, nitri granis decem cum ſ. q. ſyrupi Cichorei compoſiti (NAVIER *ſur pluſieures maladies populai-*

laires p. 10.); et in pertinaci diarrhoea ex maſſa ſanguinea corrupta conduxit puluis ex Rhei et Ipecacuanhae $\overline{aa}$ gr. viginti (DE STÖRCK *Ann. med. 1. p. 108. 163. Form. 25.*). Egregium eſt ad finem dyſenteriae Ipecacuanhae cum anodyno connubium, quando fluxus continuat (PRINGLE *Diſeaſ. p. 263. 283.*). Cl. BROCKLESBY (*Obſervat. on Camp-Diſeaſes p. 189.*) hoc tempore mane et veſpera pilulas ex opii granis duobus et Ipecacuanhae gr. tribus obtulit. Opio iunctam ex praecipuis ſiſtentibus (aſtringents) eſſe expertus CLARCK (*l. c. p. 231*). Subinde quoque grana radicis tria ad decem vno grano opii maritata, et quauis quarta vel ſexta hora oblata, leuamen attulerunt cl^mo MONRO (*mil. Diſeaſ. p. 84.*), ſed raro eo connubio finem ſe attigiſſe queritur. Non mirabitur opii inſignem quantitatem ab hiſce praeſcriptam, qui, quae mox ſequentur de Ipecacuanhae vi in eo mitigando, ſecum reputet. — Vere adſtringere radicem ſolam exigua doſi ſub finem mali captam, idque ſalutari effectu, compertum; nam miles poſt inflammatorium ſtatum morbi profluuio albo debilitatus, adſtringentibus aliis fruſtra vſurpatis, hac medela mane ad grana ſex ingeſta conualuit, quae quidem primis diebus vomitum creauit, inſequentibus nihil nauſeae mouit (HVCK in PRINGLE'S *Diſeaſ. p. 283.*).

Pauca modo de vſu radicis in febribus monebo. Conducit, vt alia emetica, quando originem vel pabu-

lum ex colluuie primarum viarum trahunt (Conf. VATERI *Diſſ. de Ipecac. virtute febrifuga atque antidyſenterica reſp.* FRITSCHIO *p. 9. ſq.* et CAR. GIANELLA *de admirabili Ipec. virtute in curandis febribus Patav. 1754.* in HALL. *collect. Diſſ. pract. T. 5. n. 155.*) In intermittentibus ſub indiciis ſordium ibi ſtabulantium purgantibus longe praeferenda, quae non valide ſatis acre vellicans excutiunt, debilitant, hincque paroxyſmos protrahunt. Verum contra cognoui KÖNIGII (*Regn. veget. ſect. 4. p. 881.*) effatum: non ſuffurari Ipecacuanham vires vel depauperare, ſed conſeruare et liberare, quod quum apud me tum apud alios frequenter cognoui. Aptiſſime capi inox poſt paroxyſmum finitum cum cl. COLOMBIER (*Code de Med. milit. T. 3. p. 88.*) et ill. a ROSENSTEIN (*Barnſjukd. p. 311.*) ſentio. Sicque tempori parcimus in praeparando corpore pro corticis peruuiani tempeſtiuo vſu. Extendit cl. GIANELLA virtutem etiam ad illas febres, quarum fomes in ipſis viſceribus et ſanguine reſidet, et autumno praecipue ingruunt; harum curationem ſola radice iſta abſolui poſſe aſſeuerat, dum infuſum aquoſum partitis doſibus mane bibatur, et, repetitione eius ſi opus alio die praegreſſa, tandem infuſum vel decoctum adhibeatur, quod magis adſtringens, quam purgans, cenſeatur (Vid. *l. c. p. 96.*).

Spaſmos ſopire Ipecacuanham variis documentis elucet. Huc ſpectat efficacia in aſthmate ſpaſmodico ſiu-

ſingularis, cui hypochondriaci et hyſtericae ſaepe obnoxiae ſunt, et feminae obſtructione menſium laborantes, vel termino, quo ceſſant, propiores. In hoc malo opiatis longe antecelluit. Sub paroxyſmo ipſo radicis ſcrupulus vnus capitur, qui vomitum excitat multo leuamine. In chronico et habituali morbo conferunt tria ad quinque vel decem grana, mane per quatuor vel ſex hebdomades ingeſta. Grana quinque plerumque emeſin excitant; qui ſi per minorem doſin non inſequatur, perinde eſt, vnde antiſpaſmodica vel relaxans natura tanto manifeſtius euincitur (AKENSIDE *med. Transact. Vol. 1. p. 93. ſqq.*). Aliquando muci accumulatio iungitur, quo caſu tanto praeſtantior eſt, expectorationem leuans.

Sed non defraudanda radix ſuo in haemorrhagiis compeſcendis pretio, etſi non ſingulis innotuit. Infallibile remedium in fluxibus dyſentericis aliisque haemorrhagiis vocat BAGLIV (*Oper. p. 61.*). Conuenire in magnis haemorrhagiis, in immoderato catameniorum aut haemorrhoidum fluxu, imo etiam in haemoptyſi BARBEIRAC (*medicament. conſtitutio p. 95.*) notat. In ſanguinis fluxibus tum pectoris tum vteri curandis optimum omnium et conſtantiſſimum reputat GIANELLA (*l. c. p. 93.*). Sed nec hi nec alii methodum dilucide exponunt. Dignum igitur Regio medico erat argumentum, huic inopiae ſubuenire. Subuenit vero cel. DAHLBERG (*Vetenſk. Ac. Handl.*

1770. p. 316. sq.) variis casibus lectu dignissimis hanc virtutem in haemorrhagiis vteri haud ita pridem confirmans. Grani enim modo $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{3}$ pars, saccharo mixta omni trihorio vel quadrihorio ingesta, sicque nullus vomitus subortus, et primis dosibus iam insigne leuamen praestitit. Litteris (*m. Iulio a. 1775.*) experientiss. vir postea me de iteratis suis feliciter experimentis certiorem fecit. Post cognitam hancce methodum haemorrhagiam vteri trimestrem gr. $\frac{1}{2}$ sub eadem miscela omni bihorio vel trihorio dato suppressit cel. BERGIVS (*l. c. p. 324.*). Semel haud sine commodo administrauit eandem in eodem malo cl. GVLDBRAND (*Diss. praes.* SAXTORPH *de sanguifluxu vterino Hafn. 1774.* recens. in cl. TODE *med. chir. Bibl. Vol. 2. P. 3. p. 189.*). Ad vomitum vsque exhibuit eam cl. PETIZ (*Gazette salutaire 1775.* rec. in *Bibl. cit. Vol. 3. P. 1. p. 162.*). In mictu cruento quoque DAHLBERGIVS (*litt. cit.*) singulari casu ea magis quam vlla alia medela profecit. — Pluries vero eius voto respondit in tussi catarrhali, quin ea, quae phthisin comitatur, leuando sputa vel opem ferendo absque euacuatione sensibili (*Vet. Ac. Handl. anno cit. p. 319.*). Vix arbitror adstringendi vi haemorrhagias sedare, quum in tantilla quantitate exigua, si vlla, non possit non esse, sed vel maxime rationem esse habendam antispasmodicae naturae, tantoque magis, quum plerumque spasmi haemorrhagiis ab interna causa profectis

fectis ſeſe admiſceant, praecipue in feminis, quarum res hic agitur. Non aduerſatur exemplum radicis ad vomitum vsque datae, quum conſtent mihi alia, vomitu ſpontaneo haemorrhagias internas non ſolum non auctas, ſed mitigatas; quorum hic modo numero caſum mihi obuium feminae haemorrhagia narium profuſiori correptae.

In opio debilitando memorabilem potentiam habet radix noſtra. Id vt ſupra dictis (*p. 535.*) apparet: ita potiſſimum PVLVERE DOVERI, Anglis frequentato (de quo infra plura ſub Opio), qui recipit duo pluraue grana Opii totidemque Ipecacuanhae, nec alium effectum, quam largam ſudoris excretionem, excitat. Fuit puella, quae malo ſcopo vnciam vnam tincturae Opii, ſcrupulum circiter eiusdem continentem, ingeſſit, ſed, etiamſi ſopore conuulſionibus ſpaſmisque diriſſimis iam corriperetur, ſolo Ipecacuanhae vſu repetito periculum eluctata (SMITH in MARX *Diſſ. de ſpaſmis p. 39.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

VINVM IPECACOANHAE *Ph. Lond. p. 66.* Ex radice Ipec. flauedine corticum aurantiorum ſiccorum, in vino Canarienſi maceratis.

TINCTVRA *Ph. Ed. p. 42.* Ex radice cum vino albo Hiſpanico macerata. — Vtrumque doſi aliquot drachmarum ad vnciam vnam vel integram emetico fine propinatur.

ORDO

ORDO XIV.

CONTORTAE.

VINCA.

LINN. *Syſt. veg. p. 209. Gen. pl. p. 115.*

198.

Pharm. VINCAE PERVINCAE *Herba.*

Vinca minor; caulibus procumbentibus, foliis lanceolato-ouatis, floribus pedunculatis LINN. *Spec. pl. p. 304.* Clematis Daphnoides minor C. B. Icon: REGNAVLT *Botanique* La petite Pervenche. Pl. fruticoſa, in temperatioris Europae, vt Germaniae, Heluetiae, Angliae, Galliae ſyluis creſcens, vernalis.

Huic valde ſimilis *Vinca maior* L. (REGNAVLT *l. c.* la grande Pervenche) adeo, vt nuperrime varietas praecedentis dicta fuerit (*Syſt. veg. l. c.*). Nec differunt virtute (CHOMEL *Vſuell. T. 2. p. 273.*), prior etſi ſuetior. HERBA amara cum ſignis latentis acidi, ſicca leniter adſtringit. Plures in haemorrhagiis ſiſtendis valere indicant. Folia contuſa et conuoluta eo fine naribus ſanguinem ſtillantibus intruſa (CHOMEL *l. c. p. 274.*); ita et conticuiſſe fertur hoc profluuium foliis ore

ore ſumtis (Ex COSTAEO IDEM.). Par ad menſtrua et haemorrhoides et haemoptyſin cohibendum laus (TOVRN. *Hiſt. de pl. de Paris T. 1. p. 371.* CHOMEL *l. c.*). Et ad fluorem album ſubigendum, in infuſo theaeformi. Phthiſicis autem ſucceſſit ſerum lactis, decocto herbae paratum. Hodie vix vltra gargariſmata vſu venit in angina inflammatoria, praecedente iam IO. AGRICOLA (*Inſtit. chir. f. m. 223.*) et confirmantibus TISSOT (*Avis p. 152. Form. n. 19.*) BOVRGOIS (in BOMARE *Dict. T. 8. p. 381.*), qui decocto mel roſarum addit. Vſurpandi igitur herbam modus vel in infuſo vel decocto eſt.

NERIVM.

LINN. *Syſt. veg. p. 209. Gen. pl. p. 116.*

199.

Pharm. PROFLVVII ſ. CONESSI *Cortex.*

Nerium antidyſentericum; foliis ouatis acuminatis petiolatis LINN. *Spec. pl. p. 306.* Codaga pala dicta in *Hort. malab. T. 1. Tab. 47.*; ſed Curatu pala in deſcriptione. Nerium indicum ſiliquis anguſtis erectis longiſſimis BVRM. *Theſ. zeyl. p. 167. Tab. 77.* Arbor humilis creſcens in Malabaria et Zeylona.

In littore Coromandeliano vocatur CORTEX Coneſſi-ſeca, vnde Anglis nomine *Coneſſi-bark*, vti et *Tili-cherry-bark* (BROCKLESBY) venit. Raro extra

tra ſolum natale et Angliam, vbi nec plauſum communem videtur nactus, aegris offertur. Eſt nigricans extus, lichene cinereo tectus, qui vero auferri debet, prout et ille cortex eligendus, qui minimum huius tegminis habet, isque ex iunioribus ramis. Saporis auſteri et grate amari, dum recens in puluerem redactus guſtatur; mora enim perdit ſaporem cum vi (*Medical Eſſays of Edinb. Vol. 3. p. 32.*). Lacteſcentem acrem vocat ill. A LINNE' (*Mat. med. p. 71.*). Narcoticum vult BROCKLESBY (*Obſerv. on Camp-Diſeaſes p. 194.*). Efficaciam contra ventris profluuia *Hortus Malabaricus* (*l. c. p. 84.*) propoſuit. Sed loquitur de cortice radicis, qui tritus et aqua calida potus prodeſſe, in dyſenteria nominatim lacte datus conferre, ibidem traditur. Virtuti in hiſce morbis praeſtantiſſima collectio obſeruationum medicarum Edinburg. ante quadraginta fere annos, interprete ALEX. MONRO ſen., ſubſcripſit (*med. Eſſ. l. c.*). Placuitque nominatim electuarium ex puluere corticis ſubtiliſſimo et ſyrupo corticum aurantiorum, cuius drachma dimidia vel maior quantitas quater de die per triduum vel quatriduum ſumta. Primo die numerus et copia deiectionum augetur, ſed ſine torminum incremento, ſecundo die color earum melior, et tertio vel quarto die ad naturalem fere conditionem perueniunt. In recenti diarrhoea vitio diaetae, absque febre, orta raro ſpem fruſtratur, praemiſſa modo

modo Ipecacuanhae pro vomitu doſi. Conuenit et in diarrhoea habituali. Febris ſi iungitur, haec prius ſuperanda. Electuarium quoque dictum eneruatur ſitu, hinc omni die vel alternis diebus renouari debet (*l. c.*). Curauit eodem cl. MONRO dyſenteriam trimeſtrem, alia commoda remedia eludentem (*l. c.*). — Nihil vero aliud in hoc morbo praeſtitit cl.^mo BROCKLESBY (*l. c.*), quam alia aromata amara, tonum primarum viarum confirmantia, quin narcoticum exiſtimans, ab eo metuit, tanto magis, quum ex drachmis eius duabus intra nychthemerum ingeſtis ſpaſmum cynicum obſeruauerit. Cortice Tellichery inſuper obſtinatas intermittentes febres debellari in India orientali legitur (LIND *on Dif. in hot Climates p. 308.*).

ASCLEPIAS.

LINN. *Syſt. veg. p. 213. Gen. pl. p. 120.*

200.

Pharm. HIRVNDINARIAE ſ. VINCETOXICI *Radix.*

Aſclepias Vincetoxicum; foliis ouatis baſi barbatis, caule erecto, vmbellis proliferis LINN. *Spec. pl. p. 314.* Aſclepias albo flore C. B. Vincetoxicum DODON. *pempt. p. 407.* Icon: REGNAVLT *Botan.* Le Domte-venin. Planta perennis locorum montanorum.

Eſt

Eſt ex venenata familia, cuius plures ſtirpes vel lacte acri ſuſpicionem excitant, quo etſi haec deſtituitur, aliis tamen notis ſuſpecta exiſtit. Reſpuitur a brutis, praeterquam capris, quae extremis cauliculis veſcuntur (*Vet. Acad. Handl. 1774. p. 250.*). Ab equis non niſi gelu tacta deuoratur (LINN. *Fl. Suec. p. 76.*). In oeconomia memoria dignam hanc ſtirpem, vt congeneres, reddit pappus feminum pro culcitris et lini ſpecies, quam caules, ſolito modo putrefactione praeparati, impertiunt (*Vet. Ac. Handl. l. c.*).

RADIX conflatur copia fibrarum pallide flauescentium gracilium, longarum, ex capite quodam communi prodeuntium. Dum recens eſt, odorem aliquantiſper fortem, nauſeoſum, ſpargit, haud abſimilem illi, qui Aſaro vel Valerianae ſylueſtri ineſt; qui vero ſiccatione plurimam partem perit. Guſtata initio ſubdulcis dein ſubacris apparet. Aperire obſtructa et pellere ſudorem, lotium, menſtrua, experimenta docuerunt, quae quidem hodie rarius cum iſta capiuntur. Anodyni aliquid praeterea ſubeſſe non abſonum, quod et agnouit FRID. HOFFMANNVS (*Med. ſyſt. T. 4. P. 3. p. 431.*). Vomitus leuiores orti ex decocto (*Nucl. Belg. p. 305.* DÜRR in *Eph. N. C. Dec. 2. A. 7. p. 105.* GEOFFROY *Mat. med. Traité T. 5. p. 232.*) A pluribus praeſtantia in hydrope celebratur. Aquam inter cutem collectam diſpelli ea vino decocta ſudore,

per

per pedum adeo plantas erumpente, legitur (IO. BAVH. *Hiſt. pl. T. 2. p. 139.*). Pluribus hydropicis decocto radicis DÜRR (*Eph. N. C. loc. cit.*) auxilio fuiſſe ſibi perſuadet, ita tamen, vt curationis partem et purgantibus et lixiuiis cinerum Iuniperi et ligni Quercus tribuendam fuiſſe pateat. Hinc et STAHLIVS in puluerem ſuum antihydropicum recepit. Infuſum aquoſum menſtruis referandis idoneum praedicatur (TOVRNEF *Pl. de Paris T. 1. p. 100.*). Sunt et, qui in febribus malignis, quin ipſa peſte, extollunt liberali ſine dubio nimis laude (PALMAR. *de febr. peſtil. c. 18.* VNTZER *Antid. peſtil. L. 2.*). Haec anſam nominis Contrayeruae Germanorum dedit. Huiusque reliquiae adhuc ſuperſunt in Eſſentiis alexipharmacis STAHLII. Nec pluris facio vim in exanthematibus pellendis, nominatim variolis (Conf. LINN. *Fl. Suec. p. 77.*), qui ſi erumpere detrectent, alio ſane ſtimuli genere opus habent. In ſtrumis et ſcrophulis decoctum radicis valuit, etiam herba in porcis (ELSNER in *Eph. N. Curioſ. Dec. 1. Ann. 1. n. 57. p. 153. ſq.*). Puluis radicis vlceribus inſperſus inſeruit iis depurandis (TOVRNEFORT).

Doſis puluueris ad ſcrupulum vnum vel drachmam dimidiam ſupraque ſtatuitur; pro infuſo drachmae tres vel quatuor. Praeſtat hoc decocto ob rationes ſupra dictas. Extractum aquoſum moderate dulce eſt, balſamicum et amarum; ſpirituoſum for-

tius, etsi parcius, retinet odori principii radicis partem.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

PVLVIS SCILLAE COMPOSITVS STAHLII *Ph. W. p. 157.* Ex radicibus Scillae et Vincetoxici. Resoluens potenter et diureticus ad grana tria vel quinque. Plura de hoc infra sub Scilla.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII *Ph. W. p. 74. Brand. p. 83.* Radices varias aromaticas vna cum hac et herba Scordii in spiritu vini digestas continet. Laudatur ad flatus dissipandos, sudorem pellendum, contra malignitatem morborum, item resoluendi scopo ad guttas quadraginta supraque.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA TEMPERATA EIVSD. *Ph. Wurt. p. 75. Brand. p. 84.* Paullo temperatior ob omissas varias radices aromaticas; hinc dosi maiori conceditur.

CINCHONA.

LINN. *Syst. veg. p. 178. Gen. pl. p. 91.*

201.

Pharm. CHINCHINAE s. PERVVIANVS *Cortex. Cinchona officinalis; Syst. veg. l. c. Spec. pl. p. 244.* Quinquina DE LA CONDAMINE in *Mem. de l'Ac. d. sc. de Paris 1738. p. 226.* cum icone *Tab. 5. 6.* re-

cu-

cuſa in ROSE'N *Diſſ. de cort. peruv. Lond. Goth.* item in LVRSENII *Diſſ. de cort. peruv. L. B.* Figura quoque obtinet in RICHARDI PVLTENEY *Diſſ. de Cinchona officinali* LINN. *Edinb. 1764.* priori haud diſſimilis. Arbor creſcens in regno Peruuiano praecipue prope vrbem Lojam vel Loxam diſtantia milliaris circiter in montibus et in tota iſta catena montium, quae inde vsque ad 25 vel 30 milliaria auſtrum verſus ſeſe extendit, item circiter 20 milliaria ſeptentrionem verſus (DE LA CONDAMINE *l. c. p. 236.*); interdum etiam ad ripas fluuiorum exiguorum (ARROT in *Phil. Tranſ. Vol. 40. p. 83.*). In montibus territorii Cuençae inuenit VLLOA (*Voyage de l'Amerique meridionale T. 1. p. 276.*). Solitaria ſparſim inter alias arbores.

Optimam notitiam arboris huius, ob corticem celebratiſſimae, debemus illuſtri DE LA CONDAMINE (*l. c.*), qui a. 1737. ipſe in ſolo natali arborem examinauit. Excelſa arbor et craſſa, interdum ſuperans craſſitiem corporis humani, media craſſitie octo ad nouem pollices diametro aequat. Cuius vero menſurae arbores rarae ſunt, quoniam ex decorticatione crebra emortuae. Vnde ill. vir arbores vix vltra 12 ad 15 pedes longas, nec brachio craſſiores vidit. — Plantis contortis non dubitauit ill. A LINNE' recenſius accenſere (V. Reſpond. TILLAEI *Diſſ. de febr. interm. curatione Vpſ. 1771. p. 34.* item LINN. *Syſt. veg. l. c.*).

CORTEX cultro inciſus deglubitur menſe Septembri ad Nouembrem vsque, quo vnice tempore ceſſat pluuia in montibus, et collectio eo usque continuatur, donec eius nihil in arbore ſuperſit; tum libero aëre proiectus et crebro agitatus ſiccatur, ſedulo cauendo, ne humiditatem demum contrahat (ARROT *l. c. p. 84.*). Iuniores arbores decorticatione non pereunt, ſed ſurculos dein ex baſi agunt (CONDAM. *p. 229.*). Subuenit et propagationi ſpontanea diſſeminatio, quae tamen metum non diſcutit, ne olim inopia vtiliſſimi medicamenti enaſcitura ſit, quum de plantatione non cogitetur (VLLOA *l. c.*). Optimus olim habitus, qui in monte Cajanuma (CONDAMINE *l. c. p. 227.*), duabus et dimidia leucis Loja diſtante, collectus fuit.

Diu efficacia corticis in febribus intermittentibus fertur Americanis nota ante aduentum Hiſpanorum fuiſſe, quam tamen ſtudioſe illos celarunt (CONDAMINE *l. c. p. 232.*). Alius vero refert in ipſo territorio Lojenſi cl.^mum IVSSIEV, comitem itineris ill. DE LA CONDAMINE, docuiſſe incolas verum vſum, et metum calidae naturae, qui antea eos ab eo detinuerat, diſpuliſſe (VLLOA *l. c.*). Cecidit quoque ſine dubio temporis ſucceſſu opinio, qui olim ibi inualuit, Europaeis copiam iſtam corticis tinctorio vſui inſeruire, cuius quaedam tentamina in ipſa America facta (CONDAM. *p. 236.*). De tempore, quo pri-

primum medica eius vis innotuit, et quodue lumen praefulſerit, vix certa quaedam profiteri vacat. Ex leonibus, febre intermittente correptis et inſtinctu in corticem delatis, Americanos dediciſſe virtutem, vetus traditio (*l. c. p. 233.*). Qua niſi verior, tamen veriſimilitudine non caret alia, febrientem Americanum ſedandae ſitis cauſae accurriſſe ad ſtagnum, in quod aliquot arbores Chinchinae incidiſſent, aquam potatum, vtut amaram, vnde, praeter opinionem, ipſam febrem ſublatam, quod idem conſilium poſtea eius ſuaſu alios cepiſſe in febre eodem euentu, donec inualeſcens aquae ex arboribus putredo aquam virtute caſſam redderet (GEOFFROY *Mat. med. Traité p. 78.*). Latuit vero reliquum orbem hocce diuinum remedium, donec coniux Proregis Peruuiani, Comitiſſa DEL CINCHON, Limae febre intermittente pertinaci tentaretur, contra quam praefectus (Corregidor) Lojenſis corticem commendauit, cuius etiam ope, experimentis apud alios praegreſſis, conualuit, quod accidit a. 1638. Diſtribuebat dein ipſa illum; vnde ſub nomine pulueris Comitiſſae inclareſcere coepit. Et poſtquam illa diſtributionem patribus ſocietatis Ieſu relinqueret, dictus puluis Ieſuitarum. Quum poſtea a Ieſuitis Limenſibus opera Procuratoris generalis Ieſuitarum Romam portio Cardinali DE LVGO mitteretur, vocatus puluis Cardinalis; qui ipſe Procurator in itinere ſuo Gallico LVDOVICVM 14. tum adhuc Del-

phinum dicitur a febre liberaſſe. Reducibus Comite DEL CINCHON eiusque coniuge in Hiſpaniam a. 1640. promulgata amplius adhuc eius efficacia fuit, adeo vt penuria eiusdem ſenſim naſceretur Lojae, vnde alii cortices ab incolis ſubſtituti (MORTON *Oper. T. 2. p. 68.* CONDAMINE *l. c. p. 234.*). Nomen Quinquina arbitratur DE LA CONDAMINE eſſe Americanum, nonne potius a nomine Proregis deprauato ortum? In Peruuiano autem regno vocatur *Corteza* vel *Caſcara de Loxa* h. e. cortex Lojenſis, item *Caſcarilla* h. e. cortex paruus. Alia ibidem arbor eſt, Quina Quina nuncupata, inciſione ſtillans reſinam odoram, quae ad fumigationem, ad emplaſtra, ad oleum inde extrahendum, et ad tranſpirationem promouendam manibus retenta adhibetur; eiusdem vero arboris cortex in intermittentibus efficax, valde amarus, vnde ante detectum corticem Peruuianum in hoc acquieuerunt, et hinc quoque confuſio vtriusque nata, et cortici Chinchinae idem nomen a quibusdam tributum (*l. c. p. 237.*). Nomen *corticis Peruuiani* vſitatiſſimum patria impertiit.

Loco natali tres vel quatuor ſpecies corticis diſtinguuntur, cortex *albus*, *luteus*, *ruber* (CONDAMINE *l. c. p. 228.*) et *corrugatus* (Creſpilla ARROT *l. c. p. 81.*) quarum prima videtur eſſe peculiaris ſpecies botanica; ſequentes autem duae non eſſentialiter diſcrepare (CONDAM.). Vt venditione tanto plus lucri conqui-

re-

rerent, iam initio variae fraudes commiſſae fuerunt, corticem effoetum ſolutione aquoſa Aloës impraegnando (MORTON *Oper. T. 2. p. 96.*), vel alios cortices vero ſubſtituendo. Fuerunt hi cortex arboris Alizier, cortex Cucharilla, nobis Caſcarillae nomine notior, cortex nuperrime dictus Quinae Quinae (*l. c. p. 235.*). Dolo quoque haud raro ſubſtituitur cortex Mahogoni, qui ſimilis iſti valde eſt, et in Iamaica in febribus intermittentibus comprobatus (LIND. *on Diſeaſ. in hot Countries p. 308.*). — Sed et alii cortices exotici aemulas virtutes ſaltim in febribus intermittentibus ſpoſponderunt. Huc pertinet Cinchona caribaea (quam olim ill. A LINNE *Spec. pl. p. 245.* aliena fide inſeruerat, hodie *Syſt. veg. p. 178.* ab hoc genere remouet) circa Hauanam et in Domingo detecta, in cuius et colore et ſapore ſimilitudinem cum Peruuiano inſignem cognouit ill. IACQVIN (*ſel. ſtirp. amer. Hiſt. p. 61. Icon 179. Fig. 95.* vti et EIVSD. *Obſerv. bot. P. 2. p. 27.*) — Genus Achras L. quatuor, ſecundum cl. BROWNE mentem, ſpecies continet, quarum cortex cum altero vi admodum conuenit, et ſub hoc nomine crebrius in America vſurpatus. Eſtque in hiſce amarus et adſtringens et extractum eiusdem omni fere modo Chinchinae extractum aemulans. Felicior tamen fuit eius vſus in America quam Anglia, in quam regionem experimenti cauſa cortex transmiſſus (BROWNE *nat. Hiſt. of Iam. p. 202.*). Harum ſpecierum vna eſt

Achras Sapota (LINN. *Spec. pl. p. 470.*), cuius iconem dedit BROWNE (*l. c. T. 19. Fig. 3.*) et IACQVIN (*ſtirp. amer. Hiſt. T. 41.*), qui (*p. 57.*) virtutem corticis in febribus Peruuiani loco confirmat, et ſeminum decorticatorum efficaciam in lotio pellendo extollit. — Corticis Tellichery-bark vel corticis de Pala dicti in febribus intermittentibus obſtinatis pretii ſupra (*p. 543.*) iam mentionem feci. — Cortex Liriodendri Tulipiferae L. in America quibusdam ſuppar habetur (KALM'S *reſa Tom. 2. p. 321.*). — Noſtro tempore Lignum Quaſſiae ſuccedaneum viſum, quod de medicina alias efficaci tamen non confirmat certior praxis. — Aliis placuerunt cortex Hippocaſtani, Fraxini, Salicis, Pruni ſylueſtris, nuces Cupreſſi, flores Chamomillae, radix Gentianae, herba Centaurii minoris, Gallae rel. vt mineralia quaedam, pro febrifugis venditata, taceam. (Conf. KNIPHOFII et VOGT *Diſſ. de ſuccedaneis corticis peruu. febrifugi Erford. 1747.*).

Non vna vero arboris pars ab omnibus et ſingulis auctoribus ſelecta. Plerique in eo conueniunt, quod cortex ramulorum praerogatiuam habeat, praeeunte MORTONO (*Oper. T. 2. p. 98.*); alii, vt LISTERVS (*Mantiſſa ad exercit. de Hydrophobia p. m. 56.*) corticem trunci commendant; alii, vt auctor libri *ſur les admirables effets du Quinquina p. 29.*, corticem radicum praeſtantiſſimum iudicant. Fide Angli OLIVER (*Phil. Tranſ. Vol. 24. n. 290.*) indigenis cortex fru-

fructus primum in vsu fuit. Semen ipsum quibusdam febrifugum (v. RAII *Hist. plant. T. 2. p. 1797.* et DALE *Pharmacol. p. 318.*).

Ante omnia autem notae integritatis corticis in aprico esse debent. Eligendus igitur, qui ex graciliori-bus ramis, conuolutus, modice crassus est, attamen ponderosus. Externa eiusdem superficies scabra, fusca sit, aut nigricans vel grisea, interius vero colorem cinamomeum vel paullo obscuriorem prae se ferat. Masticatus amarorem et modicam adstrictionem cum vestigiis mitis aromatis prodat, odorem vero aliquantum mucidum habeat, cum quo et sapor conueniat. Fractus non debet in fibras lignosas discerpi vel in farinam carioſam dilabi. In fragmentis puncta splendentia appareant (Conf. WERLHOF *Observ. de febribus p. 83.*). — Ad bonitatem diuidicandam quoque sequens experimentum conducit. Coquatur eius portio in tantillo aquae, deinque in ampullam infundatur. Quodsi tum decoctum, quamdiu calidum est, rubicundum apparet, sed, vt primum refrixerit, et sedimentum deiecerit, pallidum, bonae notae est (ROSENSTEIN'S *Barnsjukd. Ed. 3. p. 136. Apot. Ed. 2. p. 16.*). — Corticem in Anglia venalem praestare illi, qui in Belgio prostat, affirmatur, quin additur repudiatum in Anglia emtores inter Belgas reperire (FOTHERGILL *med. Obs. et Inquir. Vol. 1. p. 319.*).

Ad dilucidandas virtutes corticis medicas chemica analyſis exiguam, ſi vllam, affert lucem. Gummoſas pariter ac reſinoſas, quae iunctim dimidiam circiter corticis partem conſtituerunt (MAVTT *Diſſ. de cort. peruv. 1770.* in SANDIFORT *Theſ. Vol. 1. p. 181.*), terreas inſuper et alcalini ſalis tantillum, elicuerunt. De proportione vero inter gummi et reſinam non conueniunt auctores. Gummoſas pondere longe minori, quam reſinoſas, illi ineſſe, colligit GEOFFROY ſenior (*Mat. med. Traité T. 2. p. 319.*), cl. MAVTT autem gummoſas potiorem partem conſtituere per ſua experimenta affirmat. Vis adſtringens in reſina latere videtur, quae coctione protracta cum aqua elicitur, vel eliquatur, non vero omnino ſoluitur, vnde decoctum ſenſim turbidum fit. Si reſina coctione extracta fuerit, nullus amplius adſtrictionis ſenſus, ſed amarities fere vnice in reſiduo inſpiſſato percipitur (LEWIS *M. m. p. 441.*). Corticis peruuiani vt aliorum vegetabilium amarorum et adſtringentium virtus aeque facile aqua frigida, ac feruente, eruitur. Reſinae eius eadem quantitas maceratione quae coctione elicitur: aſt trituratione ſolutio in aqua acceleratur. Sed nec frigida nec feruens aqua vel ſpiritus vini rectificatus ſeorſim omnes virtutes recludit. Efficacius autem ſoluit aqua frigida, quam ſpiritus vini rectificatus; verum ſpiritus vini non rectif. ſ. vinum aduſtum fortius menſtruum eſt aqua, et vinum Rhenanum fortius proxime dicto (PERCIVAL'S

VAL'S *Eſſays medical and experimental Eſſay 3. Vid. e. gr. p. 161. ſq.*). Pulueri corticis non vero extracto ferreae inſunt particulae (MODEL'S *erſtes Schreiben v. d. Beſtuſcheffſchen od. Lamottiſchen Nerventinctur p. 39.* recte quoque PLENCK in *Samml. v. Beobachtungen d. Wundarzn. T. 1. n. 6. p. 183.*). Etſi guſtando adſtrictionis ſenſus enaſcitur: non tamen ita, vt ab aliis adſtringentibus, ſolutio vitrioli martis miſcela corticis nigreſcit, ſed potius virideſcit (ALSTON *M. m. T. 2. p. 6.*). Viredinem tamen in nigrum colorem mutari iuſta dilutione alius expertus eſt (LEWIS *l. c.*).

Ad experimenta cum cortice extra corpus animale inſtituta, quibus abdita eius natura cognoſcitur, quoque pertinent ea, quae vim antiputredinoſam eiusdem euincunt; quorum multa ingenioſa inſtituerunt eodem, partibus animalibus addito, PRINGLE (in *Diſeaſes App.*), MACBRIDE (*Experiment. Eſſays p. 45. p. 139.* et alibi), anonymus Gallus (*Eſſai ſur la putrefaction p. 445.*), PERCIVAL (*Eſſays l. c* inde a *p. 61.*), item cl. MAVTT (*Diſſ. de cortice peruv.* in coll. SANDIFORT. *Vol. 1.* inde a *p. 195.*), qui carnes quoque hominum variis morbis defunctorum item ſanguinem humanum eo fine explorauit. Contra putredinem autem viſus eſt vi inferior floribus Chamomillae et radice Serpentariae Virginianae (PRINGLE'S *Diſeaſes App. p. 12. 20. 22. 27.*) eſſe. Non vero ſolum arcet putredinem, ſed etiam corrigit (*l. c. p. 23.*). In corpore hu-

humano tanto plus virtutis promittit, quum ſaliua et bilis particulas corticis validius recludat (*l. c. ſq.*). Vndenam vero iſta efficacia antiſeptica, quae vlterius in morbis putridi generis infra confirmabitur? an a vi adſtringendi, quum putredo conſiſtat in diſiunctione particularum, et omnia adſtringentia putredini reſiſtant? ſed et alia antiputredinoſa exſtant ſine adſtrictione (*l. c. p. 30.*), exemplo Camphorae, Serpentariae virginianae. An fermentatione, quam generat, reſtituitur aër fixus, quo deſtructo putredo, ſimulque compingit, et vaſis putredine relaxatis tonum ſuum impertit, iudice MACBRIDE (*loc. cit.*)?

Decipiuntur igitur, qui ab amaritie et adſtringendi vi omnem in morbis effectum dependere arbitrantur, qui ipſe tam varius eſt, vt fruſtra alia amara et adſtringentia eidem ſubſtituere tentatum fuerit. In febribus intermittentibus nominatim, vti et aliis quibusdam morbis, manifeſtum eſt, primariam vim in neruos eundem exſerere. Addo tamen ill. LINNEI nouiſſime declaratam ſententiam, quod cortex in febribus intermittentibus amarore ſuo, quo tenaciter inquinet, vt loqui amat, tam ſanguinis quam ſolidorum omnium partes, h. e. arctiſſime ſeſe cum iisdem combinet, efficaciam ſuam praeſtaret (*Diſſ. de varia febr. interm. curatione reſp.* TILLAEO *p. 34.*).

Diſpar valde de ſalubritate et effectu corticis iudicium fuit. Cauſa obtrectationis partim in confuſionem

nem ſpecierum et fraudes coniicienda. Obſtitit quoque famae inſigne eius, quo initio vendebatur, pretium; Romae e. gr. argenti pondus et ſimile corticis pari pretio cenſebantur (DE LA CONDAMINE *l. c. p. 234.*). In Anglia quidam olim medici ſuis potius quam aegrorum commodis litantes ob compendioſiorem febrium curationem damnarunt (MORTON *l. c. p. 69.*). In Italia, vbi circa a. 1649. Romam intrauit, et FRASSONVS inter primos admiſit, tot initio obtrectatores habuit, vt exulare deberet ex pharmacopoliis et intra clauſtra tantum quarundam monialium retineretur (TORTI *de febr. period. pernicioſ. p. 3.*). Subuenit autem titubanti eius iam gloriae in Anglia ROBERTVS TABOR (Ita nomen eius ſcribit RAY in *Hiſt. pl. T. 2. p. 1797.*, alii TALBOR V. TALBOTH) Anglus empiricus circa annum 1679. factis nomine febrifugi Anglici experimentis; quod ipſum variis formulis pro re nata conſtans, dein LVDOVICVS 14., ſolutis duobus millibus Ludovicorum aureorum et annuo ſtipendio totidem Francorum, erogata ſimul inuentori Equitis dignitate, ſibi vindicans, in beneficium hominum euulgandam curauit (*Le remede Anglois pour la Gueriſon des fievres, publié par ordre du Roi par* NIC. DE BLEGNY *à Paris 1682. 12.*; item EIVSD. Libellus *les admirables effets du Quinquina;* vbi tota curationis Equitis TABOR ratio ſignificatur). In Suecia poſt a. 1690. primum innotuit (ROSENSTEIN *Barn-*

Barnſjukdomar p. 319.). Sic ſenſim ſummorum medicorum omnium gentium auctoritate non in febribus intermittentibus modo, ſed tot aliis morbis comprobatus, SEBASTIANI BADI medici Genuenſis (*Anaſtaſis corticis Peruuiae 1663.*) qui inter primos deſcripſit corticis efficaciam) SYDENHAMI, MORTONI, TORTI, BIANCHI, LANCISII, FR. HOFFMANNI, WERLHOFII, MONROI, SWIETENII, SENACI, HAENII, GRAINGERI, PRINGLII, ROSENSTEINII, CLEGHORNII, WHYTTII, LINDII et innumerorum fere aliorum. Ex aduerſariis prioris gradus RAMAZZINI, qui ſaltim fluctuat nimis, et BAGLIVIVS fuerunt, vt facile crederes minus proſperos ſucceſſus illi contingere in Italia, niſi inter eorum ciues eſſent multi, fauentius de illo ſentientes.

Quum prima, qua cortex claruit virtus, in intermittentibus febribus profligandis conſiſtat, haec merito in conſideratione morborum praecedat, qua in re, ſi qua vnquam medela, ſpecifici nomine dignus eſt. Non omnes vero opus eo habent. Sunt quae gratiori remedio cedunt. Multum quoque dandum auerſationi aegrorum, quibus nauſeoſus eſt vſus corticis (WERLHOF *de febr. p. 65. Caut. med. 1. p. 68.*). Vix illum requirunt vernales, ſed autumnales, quae pertinaciores ſunt, et praecipue ſoporoſae, quae ſaepe tertio vel quarto paroxyſmo iugulant. Attamen non nocet in leuioribus. Caue autem ne nimis cito ad cor-

corticem confugias, vtne beneficium febris in elaboranda materie morboſa ſufflaminetur; niſi epidemiae genius, prout in febribus ſoporoſis, feſtinationem iungat. Nec negligenda neceſſaria corporis praeparatio eſt. Si plethora laborat, venae ſectio, ſi diatheſis inflammatoria antiphlogiſtica adminiſtranda, ſi primae viae ſordibus ſcatent vomitoria, quae praeſtant, vel purgantia vſurpanda, ſi obſtructiones viſcerum inualuerunt hiſce, quantum fieri poteſt, reſerandis commodis reſoluentibus proſpiciendum. Generatim definiri nequit quantitas corticis pro debellanda febre conſumendi, nec doſis, nam haec dependent a natura et pertinacia febris, ita vt quidam maiori alii minori indigeant (WERLH. *Obſ. de febr. p. 192.*). Hinc non ſubſcribi poteſt TORTIO, dum corticis vncias duas plerumque ſufficere notat. Nullum tamen incommodum oritur, ſi plus quam opus aſſumatur, peccatur vero, ſi iuſto minus, quum eo reuerſionibus occaſio relinquatur (TORTI *l. c. p. 6.* WERLHOF.).

Itali olim, e. c. FRASSONVS, item TORTI (*de febrib. period. p. 3.*), variique alii ad normam ſchedulae Romanae corticem circa ineuntium paroxyſmorum tempora dederunt. Quod vero non tutum (WERLH. *Obſ. p. 90.*). Nam inde ſopitur modo tantillum febris, vel paroxyſmus ſequens tanto maiori vehementia erumpit (WERLH. *Caut. med. I. p. 71.*), nec hoc niſi certis conditionibus admitti poteſt (*l. c. p. 72.*).

p. 72.). TORTIO (*l. c. p.* 79. 220.) largior dosis placuit, vtpote plus virtutis huic, quam eidem quantitati partitis dosibus ingestae, tribuenti. Hinc pro regula illi fuit, initio saltim drachmas duas pulueris porrigere. Et hanc eandem methodum sequuti fere omnes, antequam ista TABORII innotescceret. Nec diffitendum, dosibus iusto minoribus febrem incitari potius vel turbari (WERLH. *Obs. p.* 163.), Non tantis autem vtendum, vt ventriculus et tenelli nerui grauentur (WERLH. *Caut. med. I. p.* 74. GRAINGER *febr. anom. p.* 128.), et febris potius supprimatur, quam sanetur (SYDENHAM. *Oper. p.* 302. WERLH. *l. c.*). Quo breuius interuallum, eo maiores doses et eo frequentiores requiruntur. Tempus dandi est exeunte et manifeste vel intermittente vel remittente paroxysmo; nam sub ipso paroxysmo exhibitus nocet (WERLH. *de febr. p.* 51.). Capiatur tum omni hora sesquihorio, bihorio vel trihorio, vel quadrihorio pulueris scrupulus vnus vel duo, drachma dimidia vel integra vel binae. Initium fiat in tertianis, quando paroxysmus quinti diei longior et vehementior alio vllo praecedentium est (CLEGHORN *Dis. of Minorca p.* 88., ROSENSTEIN *om Barnsjukd. p.* 319.), vel iunctus ambiguo symptomate, vel aeger delirioſus vel nimis debilis est. In hisce ad corticem confugias sine mora vesperi mox post sudorem cessantem (CLEGHORN *l. c.*). Aliquando varia post initium vsus symptomata,

somnus

ſomnus turbatus, anxietas, deliria rel. ſeſe exſerunt, quae vero plus metus quam periculi afferunt, et dein continuatione remedii ſub interuallo cum ipſa febre euaneſcunt (CLEGHORN *l.c.p. 191.*). Cortice ſic apyrexiae tempore aſſumto ſaepe ſequens paroxyſmus arcetur, vel mitior euadit, ſed pergendum tamen, donec febris omnino ceſſet, et pulſuum aequabilitas, cibi appetitus, corporis vigor, cutis color laetus rel. teſtentur, priſtinam valetudinem rediiſſe (WERLH. *Obſ. p. 94.*). Quod ſolet fieri intra hebdomadis vnius vel alterius ſpatium. — Si puſio, mammis inhians, febre intermittente corripitur: nihil opus, quam praemiſſo purgante infanti ipſi exhibito, nutrici corticem ingerere, eodem ordine, ac ſi ipſa detineretur (ROSENST. *Bſkd. p. 323.*) febre.

Non fidendum tamen induciis, ſed reuerſionibus febris repetitione obuiam eundum, quod conſilium iam dederunt SYDENHAM (*l.c.*) et TORTI (*febr. period. p. 79.*). Modus et ordo repetitionis latet in ipſa febris natura. Solet enim in tertianis recidiua fieri aliquo ſecundae hebdomadis die (SYDENHAM *l.c.* WERLH. *de febr. p. 151.*), in quotidianis et quartanis autem tertia hebdomade (*p. 155.*). Vnde liquet, tutiſſime et certiſſime reuerſiones praecaueri repetito cortice ſecunda vel tertia quauis hebdomade. Abſtineat igitur aeger a cortice in tertianis per integram hebdomadem, octauo autem die et reliquis hebdo-

madis subsequentis diebus iterum illo vtatur (*l. c. p. 162.*) dosi dicta singulis aut alternis diebus pro typi ratione (*l. c. p. 163.*). — In febre adhuc obstinatiori post idem interuallum relictum noua siue secunda corticis repetitio per octo iterum continuos dies fiat. Plerumque tamen vna repetitio sufficit. Eadem norma obseruetur necesse est sub administratione aliorum febrifugorum (*l. c. p. 168.*). In quotidianarum et quartanarum recidiuis auertendis idem fere consilium obtinet, modo non alterna sed tertia quauis hebdomade, h. e. intercapedine quatuordecim dierum relicta, repetitio fiat (*l. c. p. 170.*). — Si et nihilominus noui insultus contingant, ad eandem medelam siue tertiam repetitionem confugias (*p. 178.*). — Ita vero dispertienda quantitas est, vt intra binos paroxysmos drachmae quatuor, sex, octo, consumantur. Interim et manet de methodo ista in vniuersum illud SYDENHAMI (*Oper. p. 306.*). „Prudentis medici erit, non nimis pertinaciter illi insistere, sed pro suo iudicio aliis modis curationem aggredi.„

Peculiarem sollertiam desiderant febres intermittentes soporosae epidemicae. Depraedicant corticis efficaciam in hisce LANCISIVS, STAHLIVS, MORTON, CAMERARIVS, SYDENHAMVS, HELVETIVS, BIANCHI, CLEGHORN aliique multi. Vix vero alio teste opus est WERLHOFIO (*Obseruationes de febribus*), practicorum Germaniae sui temporis facile co-

coryphaeo, vel corticis peruuiani in hiſce febribus aliisque morbis laude immortaliter de re medica merito. In multis Germaniae locis omnibus reliquis medelis in hiſce perniciosis febribus antecelluit et reluctantes adeo initio ad praeconia traxit (*l. c.*). In paroxyſmo non nimis ſoporoſo (*p. 72.*) praeter temperantia, reficientia et diluentia capienda, et veſicatoria cruribus applicanda ſunt. Paroxyſmo exacto pro rei neceſſitate venaeſectio vomitoria et purgantia non negligenda. Sopor vero vel apoplexia iam praeſens, quae alias in apoplexia opportuna ſunt, requirit (WERLH. *l. c. p. 78.*). Quando autem vel inſtare viſus eſt ſopor, vel ſemel iam aut iterum incidit, opera danda in interuallo, vt iſti largis corticis praebiis praeuertatur (*p. 88.*).

Sociantibus licet ſeſe vomitu et alui profluuiis, cardialgia, ſudore frigido, ſyncope, algore perdurante vel febre in continuam inclinante: cortex praecipuum remedium eſt, non excluſis tamen aliis (TORTI *l. c. p. 172. 201. 209.*). In febribus intermittentibus autem continuae affinibus plus prudentiae requiritur (*l. c. p. 202.*). Ita in febribus aſthmaticis, lethargicis et ſpaſmo coniunctis conducit (GALEATI in *Comment. Bonon. Vol. 5. P. 2. p. 216.*). — In febribus intermittentibus iungitur ſaepe color oculorum flaueſcens et vrina icteritia cum tumore abdominis aliisque ſymptomatibus, quae obſtaculum in hepate arguunt. Re-

pudiant hiſce praeſentibus corticem SWIETENIVS (*Comm. T. 2. p. 564.*) et HVXHAMVS (*Oper. Ed.* REICH. *P. 2. p. 35.*). Sed tum praecipue acceleran-dam vult eiusdem adminiſtrationem cl. CLEGHORN (*Diſ. of Minorca p. 205.*), ne corruptela vniuerſalis et gangraenoſa diſpoſitio fiat. Et ſane tanto minus tum metuendus, quum icterus ipſe ſaepe cortice Peruuiano profligetur (Conf. CLEGHORN *l. c.* PRINGLE *Diſeaſ. Obſ. P. 3. c. 4. ſect. 2.*).

Quae ab oſoribus corticis contra eiusdem in febribus intermittentibus vſum vituperia prolata ſunt: non tanti momenti ſunt, vt refelli ſaniori experientia et argumentis nequirent. Si obiiciunt non omnibus auxilio eſſe: dabit iis aequus quilibet medicus. Nam habet ars ſuos limites. Sic in quotidiana, quae vt tertiana in inſula Barbados rariſſima eſt, nihil praeſtitit cortex (HILLARY *Diſ. of Barb. p. 23. 108.*). Videant vero obtrectatores, an melius quoddam hiſce caſibus offerre remedium poſſint, et anne inertia a ceſſante iuſto praecocius vſu, doſi nimis parca et forma minus commoda, dependeat. — Multa hi quoque chronica mala poſt febres iſtas obuia imputarunt cortici, quae iam diu ante eundem inuentum inciderant, a qua labe nec ipſe BOERHAAVIVS (V. FOTHERGILL in *med. Obſ. et Inquir. T. 1. p. 318.*) liber fuit, quorſum ſpectant phthiſis, arthritis, cachexiae, hydrops, hepatis et lienis obſtructiones (refutati autem a

WERL-

a WERLHOFIO *de febrib. p. 54.* GRAINGER *febr. anomala p. 113. ſqq.* aliis) in quibus morbis ex intermittente natis praecipuam paginam abſoluit cortex, vt numeroſae TORTI (*l. c. p. 27.*) et WERLHOFII (*l. c.*) obſeruationes teſtantur. Obſtructiones vero tanto minus pariet, quum reſoluere doceat vis egregia in obſtructionibus glandularum. Nec nocuit in tuſſi catarrhali, nec in febre intermittente tuſſi pariter et ſputis coniuncta, et ſanauit quoque raucitatem (WHYTT *on nerv. Diſord. p. 341.*). Aeque inanis querela eſt, affectus neruoſos excitari, et vires proſterni continuata eius diutius adminiſtratione (CLEGHORN *l. c. p. 213.*). Similiter male inde deduxit rheumatiſmos et dolores oſſium oſteocopos SYDENHAMVS, quum potius horum medela exiſtat (FOTHERGILL *l. c.*). — Alii relapſus febris cortici vitio verterunt (RAMAZZINI *Conf. epid. 1690.*, item *de vſu et abuſu Chinae*, BAGLIVIVS *de fibr. motr. c. 13.*), ſed pari iniuria, quum hi ſubinde contingant, ſiue febrientes ab eo abſtineant, ſiue illo vtantur (LIND *Diſ. in hot Climates p. 295.*). Quod vero reuerſiones febrium incidant, haud raro iuſto parciori vſui et repetitioni omiſſae tribuas. Aurea igitur ſunt ROSENSTEINII (*Barnſjukd. p. 319.*) verba „copia et continuatione iuſta corticis proſpiciendum, vt materia febrilis perfecte elaboretur. Si quid eiusdem remanet, inſtar fomitis eſt, qui augmentum capit et relapſibus opportunitatem praebet.„ — Male

rurſus arguunt, ſopire euacuationes, metuentes inde, ne ſuperſtes in corpore morboſus fomes maneat. E contrario vrinam, ſudores profuſos et vniuerſales, deiectiones biliosas, et interdum haemorrhoides et menſtrua pellit (APINI *Hiſtor. febris epidemicae p. 93.*), licet ſudores colliquatiuos coërceat (CLEGHORN *Diſeaſ. of Minorca p. 190.*). Nec ſenſibili euacuatione opus, quum ſufficiat cauſam febris tollere, quae non tam in fluidis quam ſolidis latet (TORTI *l. c. p. 27.* SWIETENII *Comment. T. 2. p. 560.* Conf. et de hoc argumento IO. GOTHOFR. BERGER *Diſſ. de Chinchina ab iniquis iudiciis vindicata, Witteb. 1711.* in HALLERI *Collect. Diſſ. pract. T. 5. n. 152.*).

Alii licet non aperte contra corticem pugnauerint, quin patroni exſtiterint eiusdem: meticuloſe nimis tamen eum praeceperunt. Suo damno expertus cl. CLEGHORN initio praxeos, quam detrimentoſa mora ſit. Et perperam tum metuit reditus ex praematuro nimis vſu, inflammationem inteſtinorum, deliria, rel. Quin fatetur timidum ſe nimis fuiſſe praeſentibus colluuie primarum viarum, inflammatione inteſtinorum vel obſtructionibus inueteratis, quum tamen commodiſſimum, praecipue ſub connubio aliorum remediorum aptorum, in hiſce caſibus fuiſſe et celerem mortem auertiſſe poſtea cognouerit (V. EIVS *Diſeaſ. of Minorca a p. 196. ad 203.*). Tutum pronunciat generatim, ſiue purgatio praecedat ſiue non

(*l.*

(*l. c. p. 217.*). Nec niſi rariſſime et manifeſtis indiciis vrgentibus euacuantia praemiſit, ſed ſtatim curationis exordium in quacunque intermittentium ſpecie cortice absque vlla peregrina miſcela dato fecit ill. WERLHOFIVS (WICHMANNI *nota Edit. ſuae oper.* addita *P. I. p. 72.*). BAGLIVIVS (*Prax. med. p. 58. de fibr. motric. c. 13.*) contra praecipue ſub primarum viarum impuritatibus ab eodem cauit, quibus ſtabulantibus vel inflammationem vel lentam ac diuturnam febrem vel mortem conſciſci ab exhibito cortice affirmat. Plura mala ingruunt ex nimis ſero quam praematuro vſu, dum per moram ſcilicet vires proſternuntur, celer obitus vel chronica mala contingunt (CLEGH. *l. c. p. 206.*). — Ita nec larga copia nocet. Cl. LIND vnciam eius intra ſex horas, et tribus hebdomadibus vncias quatuordecim ſine vllo incommodo dedit. Imo intra tres annos vncias centum et quadraginta ſe praeſcripſiſſe eodem euentu, exceptis duobus caſibus, refert (EIVSD. *Diſeaſ. in hot climates p. 67. 294.*). — Nec detrimento eſt grauidis, nec puerperis, abortum paſſis, (MAVRICEAV *Obſervations ſur la groſſeſſe et l'accouch. Obſ. 272. 697.*) nec ſub fluxu menſtruorum (TORTI *p. 446.*), nec tenellis maxime infantibus (V. *egr.* ROSENST. *Bſkd. p. 323.*) Conferas TRILLERI *Diſſertationem de corticis peruuiani vſu ſenibus grauidis et infantibus ſalutari* in *Opuſc. T. I. p. 173.*

Sunt et morbi periodici a latente febre intermittente orti, qui typo, oſcitatione ad initium, ſudore ad finem acidum ſpirante et ſedimento lotii lateritio, cognoſcuntur (Vid. de hiſce vlterius cel. FR. CAS. MEDICI *Geſchichte period. Krankheiten*). In hiſce pariter cortex ſuam praeſtantiam euicit. De cordis palpitationibus, anxietate, tuſſi, cephalalgia, amauroſi, exempla curationis profert *L. B.* A STÖRCK (*Ann. med. 1. p. 75.*); de cephalalgia TRALLES (*de Opio ſect. 2. p. 223.*); de rheumatiſmo IDEM (*l. c. p. 318.*); de haemorrhagia narium dolore et inflammatione oculi, doloribus iſtis a calculo haud abſimilibus, tuſſi valida Equ. A ROSENSTEIN (*Barnſjukd. p. 306.*); de nyctalopia PYE (*Med. Obſ. et Inquir. Vol. 1. p. 111.*); de conuulſionibus periodicis, accedente diarrhoea critica SVMEIRE (in *Iourn. de Med. Vol. 21. p. 224.*); de dolore periodico ſupercilii BERTRAND (*Iourn. cit. Vol. 25. p. 442.*). Qui plura noſſe cupit, huic commendanda cl. VANDERMONDE *Recueil period. T. 6. p. 193.* COLOMBIER DE TOVL Diſſ. de hac re *Pariſ. 1768.* et cl. MEDICI *lib. cit. p. 344. ſqq.*

Proximum eſt, de optima forma, qua cortex in febribus intermittentibus exhibeatur, diſpicere, vnde norma adminiſtrandi eius in reliquis morbis deſumi poterit. Puluerem cuilibet praeparationis generi efficacia antiſtare, vel ſaltim ſuperfluum eſſe omne praeter vehiculum additamentum, ex prioris ordinis practi-

ſticis haud paucis placet, quorum modo iamiam MORTONVM (*Oper. T. 2. p. 98.*), SYDENHAMVM (*Oper. p. 308.*) WERLHOFIVM (*Obſ. de febr. p. 88.*) TRALLESIVM (*de Opio Sect. 1. p. 303.*), GRAINGERVM (*febr. anom. p. 130.*), ROSENSTEINIVM (*Apot. p. 16.*), VAN DEN BOSCH (*Hiſt. conſtit. verm. p. 35.*) nomino, vt reliquos taceam. Qui ſaporem non curant, absque velamento vel vehiculo puluerem ſumant; alii delicatiores nebula obuolutum deglutiant, aqua autem eundem vel gelatina in pultem prius redigendo, ne ſi crepet, moleſtiam faucibus faceſſat; hinc et, quo tanto facilius deorſum gliſcat, conducit nebulam antea gelatina obtinere. Beato WERLHOFIO mos erat corticis drachmam dimidiam cum ſacchari granis duodecim et Cinamomi gr. dimidio miſtam quinquies de die exhibere, et in tertianis benignis nominatim pro integro octiduo doſes eiusmodi triginta ſex vna praeſcribere, repetendas ſubſequente hebdomade recidiuis opportuna (*Oper. Ed.* WICHMANNI *P. 1. p. 191.*). Simile additamentum aromatis non palato modo placet, ſed ad digerendum corticem confert (PERCIVAL'S *Eſſays med. et experimental Vol. 1. p. 109.*). Velificamur quoque ſapori, eundem in emulſione amygdalarum vel ſuccolada propinantes, vel cortices conditos Citri vel Aurantiorum contuſos, aquam Cinamomi et ſyrupum corticum Aurantiorum, illi addentes (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p. 321.*). Ad celandum ingratum

ſaporem radix Liquiritiae quoque prae reliquis eximia viſa, ſiue in ſubſtantia ſiue in decocto capiatur. Pro liquida forma infuſum Liquiritiae, et pro electuario extractum, electum (LEWIS *M. m. p. 444.*). Recondit illum quoque egregie mucilago e. gr. Gummi Tragacanthae, meliusque ſyrupo (*New Diſpenſatory p. 180.* LEWIS *M. m. l. c.* SCHENCKBECHER *v. d. Kinkina p. 134.*). Boli vel electuarii ex puluere et dulci quodam ſyrupo parati forma multis medicis arridet. Sed vtraque aegris plerumque diſplicet ob miſcelam dulcedinis cum amaritie, et id incommodi ſecum vehit, quod diu cortex indiſſolubilis in primis viis remaneat (PERCIVAL *l. c. p. 108. ſq.*).

Vtut vero efficax cortex in ſubſtantia aſſumtus ſit: imbecillior tamen ſtomachus eundem non fert, certe non in maiori doſi. An id dependet a fermenteſcibili corticis natura, vt exiſtimat ill. PRINGLE (*Diſeaſ. of the army Append. p. 66.*)? an potius a difficiliori eius ſolubilitate, vnde ſenſum ponderis oppreſſionisque excitat, ad mentem cl. PERCIVAL (*l. c.*)? prout exemplum aegri narratur, qui poſt octiduum puluerem corticis omnino indigeſtum euomuit, etſi febrem iam debellaſſet (V. FRIBORG *Diſſ. de vſu cort. peruv. 1773. praeſ.* KRAZENSTEIN in cl. TODE *Bibl. T. 1. P. 3. p. 157.*); aliaque ſimilia hominum, qui corticem per longum tempus copioſe captum repetitis vomitionibus euacuarunt (BOVSQVET *ſur l'a-*

labus du Chinchina p. 34. p. 44. modo medicaſtro fides). Metuitur quoque, ne, ventriculo nimium ſenſili, laxandi virtutem exercens cortex nimis cito absque effectu e corpore elabatur (ROSENST. *Apot. p. 17.*). Plura incommoda a cortice in ſubſtantia dato recenſet QVARIN (*meth. med. febr. p. 23.*).

Hiſce de cauſis liquida forma ſaepe opus eſt; eaque vere eximia eſt et efficax, modo aptum menſtruum in ſubſidium ſumas, vt cortex ſatis ſubigatur, nec vis eiusdem praeparatione infringatur. Nec ſaporis gratia in hacce ſpernenda eſt. In quos fines plerique decocto cum aqua acquieſcunt. Hoc oportet fieri larga copia aquae, e. c. pro vncia vna corticis librae duae et dimidia vel tres aquae, donec remaneant vnciae octo, vt tanto melius partes efficaces extrahantur, quare et addi ſolet tantillum ſalis tartari, e. gr. ſcrupulus vnus. Pro doſi ſint cochlearia duo, plus minus, pro natura morbi diuerſa. Gratius longe euadit, ſi non prius coletur, quam refrixerit (DE HAEN *Rat. med. P. 12. p. 261.*). Addito ſale tartari color obſcurior apparet; ſuſpicio quoque quibusdam enata, ne alcalino pro extractione addito inertior euaderet cortex (*Act. Berol. Dec. 1. Vol. 2. p. 33.*). Gratius redditur decoctum aquis aromaticis analepticis et ſyrupo ſimili vel alio grato additamento, vt ſyrupo hordeato, ſaccharo. Innumeros aegros decocto conualuiſſe, negari nequit. Quin cl. QVARIN (*l. c. p. 24.*) effi-

efficacius id esse innuit puluere. — Fieri vero non potest, quin calore ebullientis aquae aromaticum illud dissipetur; nam collecti sub primam coctionem vapores, eundem odorem, ac ipse cortex, spirant (LEWIS *M. m. p. 441.*). Et quum turbidum euadat decoctum post aliquam moram: patet decompositionem gummosarum et resinosarum partium (QVARIN *l. c. p. 23.*) decoquendo fieri. Inclaruit igitur huius loco recentius infusum aqua frigida factum, quod demonstrantibus sapore, experimentis hydrostaticis, solutione vitrioli martis, decocto virtute nullo modo cedit, et gratius longe est. Nempe aqua gummosas partes soluendo simul resinosas ob arctum connubium subigit, quod vi caloris videtur cito nimis dissolui. Confert igitur puluueris subtilis corticis vnciam vnam in aquae frigidae vnciis octo vel duodecim macerare per 24 horas; quin serius cognitum, duodecim horas sufficere, vel minus temporis spatium. Dupla quantitate corticis et agitatione per minuta prima temporis duo vel tria infusum apparuit fortius, quam vllum praecedentium (LEWIS *l. c. p. 442.*). Saltim cortex aeque largiter aquae frigidae ac calidae quicquid efficaciae habet, erogat (PERCIVAL *l. c. Vol. 1. Experim. 1. 2. 3.*) Testatur idem BAVME' in *Elemens de Pharmacie p. 339.*). Hoc quidem liquidum perfecte perlucidum est et rubicundum. Mirum igitur, quod cl. WELL pharmacopola (apud QVARIN *l. c. p. 24*) in-

infuſionem pro extractione ſufficere neget: quum contra ea experientia a cel. LEWIS et frequentiſſime in Anglia, addo in Suecia, in exercitio practico capta egregiam eius vim confirmet. — Praeſtans quoque eſt praeparati genus infuſum ſpirituoſum (quo iam vtebatur empiricus ille TABOR) in hiſce nempe, qui ſpirituoſis aſſueti ſunt et quibus morbi natura permittit calida, quin requirit, vt in affectibus neruoſis. Vires corticis inde augeri exiſtimat cl. LIND (*Diſeaſ. in hot Climates p. 310.*). Inter ſpirituoſa menſtrua vinum prae reliquis eximium (V. ſupra *p. 554.*). Exempla commoda palato fauentia ſiſtunt cl. PERCIVAL (*l. c. p. 74.*) ROSENSTEIN (*Bſkd. p. 320.*). — Extractum merito reliquis adhibendi modis poſtponitur. V. infra ſub praeparatis.

Praeter dicta praeparata variis ſaepe miſcelis opus eſt, quae genio morbi magis accommodatae ſunt. Iunguntur ſubinde purgantia, quando ad corticem confugiendum, antequam purgationi primarum viarum probe proſpectum fuerit; niſi cordialium additamento virium vitalium potior cura habenda ſit (CLEGHORN *l. c. p. 194.*). Miſcela Rhabarbari ideo multis placuit, LANCISIO (*Libr. 2. epid. 4. c. 6. et epid. 4. c. 8.*), MEADIO (*Monit. et praecept. med. p. 21.*) MONRO (*milit. Diſeaſ. p. 185. 173.*), VALCARENGHI (*Diſſ. de vſu et abuſu Rhabarbari cortici peruuiano vniti Cremae, 1748.*), ROSENSTEINIO (*Bſkd. p. 323.*). Alia quoque laxantia, niſi

niſi aluus bene ſuccedat, addi poterunt, vt ex ſalium mediorum tribu. Sed raro iſto connubio indigemus, nam cortex probae indolis plerumque ſponte aluum aperit (ROSENST. *Bſkd. p. 322.*). Quin contra ea ſoluit cortex aluum ſubinde nimium vel vomitu reiicitur; quod ne fiat Opium admiſceatur, praeeuntibus SYDENHAMO (*Oper. p. 303.*) TORTI (*l. c. p. 84.*) WERLHOFIO, CLEGHORNIO (*l. c. p. 208.*) LINDIO (*Diſeaſ. in hot clim. p. 311.*), CLARCKIO (*Diſeaſ. in voyages to hot Countries p. 146.*). Quae miſcela et eum vſum habet, vt ſudor erumpat et minori copia corticis opus ſit. Hinc Laudani opiati tantillum vel Laudani liquidi SYDENHAMI gutta vna vel altera vel Theriacae grana quindecim (TISSOT *Avis au peuple p. 339.*) addere confert, Sub miſcela Opii quidam tanto tutius corticem debellare febrem obſeruarunt, quorſum pertinent RIVERIVS, WILLISIVS, HORSTIVS, DECKERVS, HEVRNIVS, PITCAIRNE, HELLWICHIVS, alii. Cl. TRALLES (*Opii ſect. 2. p. 70.*) valere in primis indicat in febre a pathemate orta. Ad alui fluxum nimium coërcendum quoque conducit Caſcarilla vel alia mitia adſtringentia cortici nupta. In nimia debilitate eum cum cordialibus, ſecundum exempla mox ſuppeditata, combinare e re eſt, quae inter vinum et ſpiritus vini commemoranda. Si fluxus menſtruus inſtat: adiiciatur pauxillum Myrrhae. In affectionibus hydropicis Scilla. Pertinaciſſimae febres intermittentes curatae

cor-

corticis Peruuiani ſcrupulis duobus et radicis Serpentariae virginianae ſcrupulo vno in puluerem redactis, praemiſſo, ſi opus, purgante, quo fine Calomel praecipuum fuit (LYSON'S *practical Eſſays p. 18.*). Vis adſtringens corticis et aliorum auſterorum, quantum apparet, augetur acido addito (PERCIVAL *Eſſays P. 1. p. 77. 96.*).

Ad opinionem vulgi in febribus intermittentibus, adhibito per tempus cortice, aluus purgante eluenda eſt. Non egere autem corticem hocce auxilio, quin contra ea recidiuis pandi viam, iam SYDENHAMVS (*Oper. p. 306.*) monuit. Euerrere velle corticem reſiduum inane conſilium eſt; nam, vt verbis ill. A ROSENSTEIN (*Bſkd. p. 323.*) vtar, Chinchinae aeque parum, ac panis, in corpore remanet. Vix credibile, materiae febrilis reliquias purgationem iniungere: noua vero colluuiei in primis viis collectio ex auide nimis cibo poſt appetitum cortice reſtauratum capto, ſaepe eandem deſiderat. Cautiſſimum vero tum eſt exſpectare, donec dies recidiuarum feraces praeterierint, dein, ſi opus, pluries repetere (HAEN *Rat. med. P. 11. p. 86.*).

Extrinſecus pariter corticem multiplici modo adhibere licet, nec minori ſucceſſu, ac ſi per os ſumtus fuerit. Cuius rei experimenta praecipue in febribus intermittentibus capta. Hocque inuento ſaepe opus eſt in infantibus, vel iis, qui ingerere illum per os de-

tre-

tractant, vel quos taedet diuturnioris interni in morbo vſus, vel quorum ventriculus eundem plane non ferre poteſt. — Non noua res eſt, eum per clyſma contra intermittentem febrem immittere, ſed feliciter iam tentata ab HELVETIO (*methode de guerir toutes ſortes de fievres ſans rien prendre par la bouche, à Paris 1694.*) et a TORTI (*de febr. pernicioſis p. 406.*), licet ille non magni faciat, et a BAGLIVIO (*Prax. med. L. 1. c. 13. §. 9.*). Laudant quoque WERLHOFIVS, VAN SWIETEN (*Comment. T. 2. p. 567.*) BVCHWALD (*cont. act. Hafn. p. 18.*) MONRO (*milit. Diſeaſ. p. 187.*) aliique haud pauci. Aluus vero primum eluenda eſt alio quodam clyſmate, ne feces in craſſis inteſtinis ſtabulantes obſtent: dein corticis decoctum vel eius puluis aqua dilutus iniiciatur. Tripla vero plerumque doſis requiritur, quam ſi per os ſumatur (SWIETEN *l. c.*), et quantitas paucarum vnciarum modo iniiciatur, ne mole ſua ad excretionem vellicet. Nimis pretioſum euadit clyſma extracto adhibito, quod tamen curauit cl. LIND (*Diſ. in hot Climates p. 312.*) ab vncia dimidia ad vncias duas vsque immittendum, in connubio tincturae thebaicae, quae ad purgationem praepediendam addita: ſicque multis auxilio fuit, qui efficaciam interni vſus eluſerunt. Similem fidem clyſmatibus tribuit cl. RENANDIN (in RICHARD *Recueil d'Obſerv. T. 2. p. 6.*). — In cataplaſmatis ſpiſſitudinem aqua coctus abdomini intra linteum tenue eodem ef-

effectu imponitur (ROSENST. *Apot. p. 17.*). Ipse ill. A ROSENSTEIN (*Bskd. p. 323.*) febre semitertiana correptus hocce praesidio conualuit; nec rediit in illo febris, sed vires mox recuperauit. Aquae pro cataplasmate vinum substitui potest. Camphora si illi admista fuerit, lumbrici secessserunt (HANNES *iib. den Friesel p. 88.*). Frustra vero cuidam aegro applicuit TORTI (*l. c. p. 462.*) epicarpium ex puluere corticis cum spiritu vini contriti, licet quotidie per octo dies renouaretur, quum e contrario ingestus statim febrem sufflaminaret. — Quis vero credidisset, puluerem ipsum applicatum externe sufficere, quae tamen curationis ratio pro infantibus arrisit cl. PYE (*méd. Obs. et Inquir. T. 2. p. 245.*), vt qui intra linteum duplex forma vestis absque manticis consutum, nudae cuti applicandum, puluerem tenuissimum corticis, quoniam rudior sub decubitu molestus est, immiserat ad febres intermittentes et remittentes curandas. Vnciae duae, tres, sex corticis pro diuersitate aetatis infantum requirebantur. Respondisse spei etiam in puero annis septem minori refert (*p. 251.*). De irrito vero tentamine queritur cl. HARVEY (apud MONRO *l. c.*). — Nouiter quoque in pediluuio tentatus cortex, de cuius exoptato euentu gloriatur cl. ALEXANDER (*Experimental Essays p. 38.*), nempe cruribus, postquam probe fricta fuerunt, immersis in vas angustum, decocto ex libra vnius corticis et sufficiente

quantitate aquae repletum. Nam initio etſi rediit febris, poſtea tamen plane abolita fuit.

Hactenus de vi corticis in intermittentibus. Iam an in continuis admitti poſſit, et in quibus, pariter expendendum? In vniuerſum regula eſto (TORTI *de febr. pernic. p. 202. 388.*), quo propius febres ad intermittentium naturam accedant, eo facilius cortice ſanari, quo vero magis naturae appropinquent continentium ſiue ſynochorum, eo difficilius, et tanto maiorii prudentia opus eſſe. Concedendus tamen plerumque iis in continuis, quae ex intermittentibus ortae fuerunt, vel in continuis, quae intermittentem iunctam habent, et notabilibus longisque remiſſionibus inſtruuntur (SYDENHAMI *Op. vniuerſ. p. 304.* TORTI. Vid. inpr. quae contraxit ex prolixiori argumentatione *l. c. p. 350. ſq. p. 378. ſq. p. 408.* WERLHOF. *de febr. p. 61.* SENAC *de recond. febr. natura p. 258.*). Ad praecones primarios corticis in remittentibus iisque pernicioſis pertinet cl. LAVTTER (*Hiſt. biennal. morb. rural.* Leg. caſus praemiſſi et *p. 194.*). Hinc felici auſu adminiſtratur in ſemitertiana notha ſiue tertiana continua duplici, modo tempus remiſſionum diuturnum ſatis ſit, nec inflammatio vel abſceſſus vel alia mala morbi alieni ſymptomata iuncta; quae ſi adſint inſtar continuae febris tractanda initio, donec conſtiterit ex intermittentium genere eſſe, vel praemittenda alia commoda vel adiungenda (WERLH. *l. c. p. 61. 62.*).

Per-

Pertinax fuit natura febris quotidianae duplicatae in insula Barbados vixque spei satisfecit cortex, nisi in connubio mixturae ex sale Absynthii et succo Limoniorum. Nocuit quoque praemature, et antequam regulariter intermitteret febris, exhibitus, nempe continuam reddidit febrem, obstructionem genuit, quae vel in suppurationem vel gangraenam partium transiit (HILLARY *Dis. of Barbados p. 23. 108.*). Dissuadet eum in semitertiana FR. HOFFMANNVS (*Med. rat. syst. T. 4. §. 1. c. 5.*). Ita et WERLHOFIVS (*l. c. p. 51.*) insecurum pronunciat in hac, antequam febris continua admixta in declinationem fuerit redacta. Sua vero aliorumque, quos adducit, experientia nocere significat in febribus naturae continentis, inflammatoriae, suppurantis, catarrhalis, nisi valde benigna et fere intermittens, exanthematicae, acutae, et iis, quae nullum peculiarem typum obseruant, etsi quodammodo intermittentem mentiantur (*l. c. p. 50.*). Egregius tamen est in reliquiis acutorum morborum tollendis et robore restituendo, auertitque lentam et tabescentem corporis dispositionem et reditum morbi. — Nec vsum valde manifestum in nocturnis et erraticis praestat, quae ex induratione glandularum vel viscerum, vel ex solo scorbuto, aut venerea labe aut vlcere interno, oriuntur, licet species adsit intermittentis. Attamen saepe, si vlceribus viscerum et suppuratis tuberculis morbisque tabificis superueniunt fe-

bres intermittentes, leuamen affert cortex, raro autem eodem penitus et conſtanter vincuntur, niſi laeſio ſit leuior et ille cum aliis commodis remediis connubium intret (WERLH. *l. c. p. 52.*). In remittentibus vero tempus remiſſionis eligendum eſt (SENAC *l. c. p. 260.*) ſufficitque, modo aliqua ſit.

Verum per partes procedendum, diſpiciendumque eſt, an laxari poſſit vi experientiae recentioris reſtrictio in quibusdam continuarum ſpeciebus, ſupra facta. Damnant auctores fere omnes corticem in febribus inflammatoriis, SYDENHAMVS (*Oper. p. 317.*) NIGRISOLIVS in ſcholiis ad BLEGNVM (TORTI *l. c. p. 386.*) BOERHAAVE (*Aphor. 767.*) cum commentatore (SWIET. *T. 2. p. 567.*) WERLHOFIVS (V. ſupra) GRAINGER (*febr. anomala p. 121.*) HVXHAMVS (*Op. omn. Ed.* REICH. *T. 1. p. 299.*), qui male cedere vſum indicat, vbi ſanguis denſus, tenax ac inflammationibus aptus, vnde peſſime, inquit, pleuriticis et peripneumonicis exhibetur (Conf. et *l. c. T. 2. p. 32. 33. 142. 143.*). Sed recentiorum praecipue nonnulli ne in hiſce quidem admittere dubitant idque non ſub vnica modo conditione. Absque circumſtantiarum ſcita diiudicatione adhibere eum velle, et antiphlogiſticorum in numerum collocare ſimpliciter: temerarium omnino eſt (Vid. cl. WEICHERT *Diſſ. de virtute corticis antiphlogiſtica, praeſ.* EÜCHNERO *1768.*). Taxanda igitur commendatio MORTONI (*Oper. T. 2.*

p.

p. 196.), quae tamen conſociatione refrigerantium non deſtituitur, et manifeſtas febris remiſſiones exigit. Speciatim tum vetat TORTI (*de febr. p. 382. 387.*), quando inflammatio primarium morbum conſtituit, concedit autem, ſi ſymptoma ſit febris intermittentis. Pulchre cum hiſce conueniunt obſeruata ill. PRINGLE (*Diſ. of the army p. 125.*), qui in campis febres inflammatorias typum intermittentium induere viderat, ſed ab harum natura diſtinctas, adeo vt praecipua curatio in venae ſectione et antiphlogiſticis conſiſteret. Nocuit in hiſce cortex, nam vel in continuam tranſiit febris, vel ſuppreſſa tantum rediit paullo poſt, ſymptomatum peiorum ſatellitio ſtipata. Aſt huius loci eſt viſcerum abdominalium inflammatio ex tertianis prouenientis, quae ſaepe ſenſim cum quolibet paroxyſmo increſcit, donec in gangraenam deſinat, quo caſu cortex febrem terminando ipſi inflammationi limitem ponit (CLEGHORN *Diſ. of Minorca p. 204.*). Concedit et SENAC (*de febribus p. 261.*) in pleuritide, febre intermittente ſociata. Tranſcendere quodammodo cancellos a TORTIO praeſcriptos videtur cl. SARCONE (*Krankheiten in Neapel T. 1. p. 218. ſq.*) tutiſſimum et optimum corticem in peripneumonia pronuncians, quae typum febris intermittentis induit, attamen poſt venae ſectionem et purgationem et praemiſſa diluentia, modo non ſero nimis nec nimis parce detur; idque ſua propria et Italorum medicorum variorum ex-

perientia confirmat. Dolendum, non omnes reliquos corticis in inflammatoriis morbis fautores conditiones rite determinaſſe. Ita HEVERMANNVS (*Bemerkungen u. Vnterſ. d. ausüb. Arzn. P. 1. p. 146. ſqq.*) in angina, eryſipelate, initio pleuritidis et peripneumoniae, praemiſſa venaeſectione et clyſmatibus in plethoricis adhibuit. Aſſentitur cel. CASIM. MEDICVS (*Samml. v. Beobacht. aus d. Arzn. P. 2. p. 452. ſq.*), cui occaſionem experimenti dederunt febres intermittentes malignae a. 1761., in quibus ſanguis inflammatus apparuit; dein in ipſis inflammatoriis pectoris adhibuit, in connubio veſicatoriorum et antiphlogiſticorum. In eadem antiphlogiſticorum miſcela ſaepe cortex opem praeſtitit cl.^mo HANNES (*Brief üb. d. Frieſel Ed. 2. p. 25.*) et quibusdam amicis medicis. In magna debilitate decoctum ex cortice cum Verbaſco vel Hyſſopo pleuriticis exhibuit QVARIN (*meth. medend. inflammationum p. 91.*). Aliam eiusdem dandi opportunitatem vel potius neceſſitatem praebet combinatio putridae humorum diatheſis cum inflammatoria, qualem graphice deſcribit ill. TISSOT (*Avis au Peuple p. 99. ſq.*). — Elucet igitur, non conducere in febre inflammatoria exquiſita ſ. pura, in qua potius denſando ſanguinem, ſtringendo fibras, febrem augendo manifeſto detrimento eſt. Externe pariter decoctum ſubinde in ophthalmia chronica conuenit, illa nimirum, quae, ſub languore pulſus facie pallida

aliis-

aliisque tenuis ſanguinis notis, ex laxitate vaſorum oritur.

De efficacia in putredine coërcenda prout teſtantur experimenta ſupra (*p.555.*) allata: ita et experientia in febribus putridis creberrime capta, iis ſcilicet, quae absque labe bilioſa incidunt. Sunt hae a WINTRINGHAMO, HVXHAMO, PRINGLIO, MONROO, item ab HAENIO quoad partem aliisque malignae vocatae, in quibus ſaepe petechiae emergunt. Multi tamen non auſi ſunt, corticem initio ſtatim morbi praecipere, ſed in progreſſu, quum pulſus debilis fieret, vox ſubmiſſa tardaque ſine grauiori delirio, quo tempore remittentis indolem aſſumſit, vt ſub pacatiori aegri ſtatu porrigi cortex poſſet (PRINGLE *Diſ. p. 313.*). Cl. MONRO (*Diſeaſ. of milit. Hoſpitals c. 1. p. 18. ſq.*) pariter cunctatus eſt, donec manifeſtiora debilitatis virium vitalium et putredinis veſtigia apparerent, ſaepeque venaeſectionem, emetica, purgantia, diaphoretica, praemiſit. Sic et b. LVDWIG (*Adverſ. med. pr. Vol. 1. P. 1. p. 68.*) in progreſſu mali, non adeo ſub initium, infuſum aquoſum concentratum proficuum reperit, putredine vero nimis inualeſcente, iners. Verum ill. AB HAEN corticem vel ipſo morbi principio, non minus ac paullo ante eruptionem exanthematum vel vna cum illa, laudat (EIVSD. *Rat. med. P. 3. p.36. P. 11. p. 292.*). Sub ſcita miſcela ob morae periculum omnino quoque prae-

cocius, duro magnoque etsi pulsu, concedendus. Erigit in hisce febribus vires, sanguinem densat, cruentas euacuationes sistit, symptomata ex humorum putredine tollit, auertit metastases et recidiuas, crisin salutarem per lotium, haemorrhoides, sudores producit. Sed larga dosi et diu protracto corticis vsu opus est. Nisi ore assumtus celerem satis opem ferat, in anum iniiciatur (HAEN *l. c. P. 9. p. 240.*). Quod et externe vsurpatus putridam humorum corruptelam corrigat, docuit experimentum cum pediluuio ex cortice, quo ipso lotium postea emissum longe serius, quam ante, computruit; et quum in isto aliquot grana salis martis soluerentur colorem nigrescentem concepit (ALEXANDER'S *experimental Essays p. 32. sqq.*). Eiusdem efficaciae est inhalatio pulmonibus facta (*l. c. p. 74.*).

Putridae febres subinde aliam labem humorum admixtam habent, quorsum spectat bilioſa. Sed et in hisce eximius cortex ad putredinem coërcendam et gangraenam arcendam, modo mitigata fuerit febris et euacuantia praemissa: alias enim febrem inflammatoriam produxit (PRINGLE *Dis. p. 200.* HILLARY *Dis. of Barb. p. 164.*). Quin aliquando sub ipsis exacerbationibus locum habuit (CLARCK *Dis. in hot Countries p. 145.*). Profuit et inter sollerter obseruatam diaetam et primarum viarum purgationem scopo praeseruatiuo (IDEM).

In

In conſortium malignarum, ſecundum vulgarem loquendi morem, etiam intrant miliares (HAEN *Rat. med P. 3. p. 67.*). Hae prout petechiae retrogreſſae corticis adiumento repullulant (*l. c. P. 2. p. 93. P. 4. p. 8.*). Profuit in epidemia miliari anginoſa putrida decoctum cum pulpa Tamarindorum etiam ſub initium. Plus effecit decoctum quam puluis, et vtilius fuit ſub pulſu debili contracto, quam pleno et irregulari. Infantibus facculis vino et aqua coctis externeque applicatis ſolamen attulit (BRÜNING *conſtit. epid. Eſſend. p. 64. ſq.*).

Ipſius peſtis maxime eximium eſſe remedium, traditum (SEBAST. BADII *anaſtaſtis cort. Peruv. a. 1663.* RVSHWORTH'S (*Propoſal for the improvement of Surgery*).

Tranſitus iam fiat ad febres neruoſas, vt ab Anglis vocantur, quae videntur eſſe morbus pituitoſus vel cardiacus veterum, deſcriptae vero accurate a WILLISIO (*de morbis conuulſ.*) HVXHAMO (*Oper. Ed.* REICHEL. *T. 1. p. 163. T. 2. p. 75. ſq. 78. ſq.*) WINTRINGHAMO (*Comment. noſol. p. 34. 51. 54.*) HOMIO (*Medical Facts et Experim. p. 1. ſq. Princip. med. p. 76.*) quoad naturam et curationem exſtant. Hiſce debellandis pariter cortex inſeruit. Sed opus eſt cautione, ne nimis cito febris ſufflaminetur, cuius vigor, modo non effraenus ſit, ſalutaris eſt aegro, ad lentorem ſeri attenuandum, et vt prohibeantur metaſtaſes ad partes nobiliores. Vnde plerumque modo ſub de-

clinatione febris et dum intermiſſio vel magna ſaltim remiſſio contingat, ſubinde ad moderandum nimium ſudorem vel alui profluuia vel haemorrhagias, aliis commodis admiſtis conuenit. Scite hic vinum aliaque cardiaca et veſicatoria iunguntur.

In variolis mali moris praeſtantiſſimum cortex praebet auxilium tam ad eruptionem, ſi languet, accelerandam, quam ad febrem ſuppuratoriam coërcendam, et putredinem gangraenoſam humorum corrigendam. Primus, qui eundem in variolis commendauit, eſt MORTONVS (*Oper. T. 3. p. 185.*), verum ſub decrementum modo mali, et quando febris ſecundaria mitis, et periodicis exacerbationibus et remiſſionibus alternatim ſeſe excipientibus conſtat. Sed ſi hiſce vnice limitibus eſſet circumſcribendus vſus: in paucos modo praeſidium eius caderet, quum multi alii, quibus ante hunc terminum auxilium opus eſt, ſine ope interituri eſſent. Poſtea, quum pretium corticis in gangraena innoteſceret, cl. MONRO (*Med. Eſſays Vol. 5. p. 98. 104. ſq.*) iudicauit etiam in variolis valere poſſe tanquam commodum remedium ad ſuppurationem promouendum, et diatheſin gangraenoſam, quae petechis ſeſe manifeſtauit, coërcendam, id quod et eius aliorumque experientia comprobauit. Qui per os corticem ingerere detrectarunt, hiſce forma clyſmatis proficuus fuit, nempe, iniectione laxante praemiſſa, drachma dimidia ad duas cum tantillo lactis

lactis calidi infantibus per aluum immissa mane et vesperi. Quamuis hactenus modo post eruptionem eius vsum feciſſet: tamen multa a cortice et sperauit sub ipsa eruptionis febre. Incitatus hisce, tum efficacia in petechiis et miliaribus, adhibuit cl. WALL (*Phil. Transact. Vol. 44. P. 2. n. 484. p. 583. sqq.*) corticem, deliteſcentibus variolis sub cute inter petechiarum vibicum et profluuiorum sanguinis praeternaturalium satellitium, vnde ad maturationem peruenerunt variolae, et exanthemata reliqua diſparuerunt. Et hic quidem plerumque extractum praescripsit, idque saepe iam in primo variolarum stadio continuauitque vsum, donec pustulae siccescerent et purgandi aluum tempus instaret. Formula sub insigni putredine sequens illi satisfecit: Rc. Extr. cort. peruv. ʒß Alum. crud. Jij. Aqu. Cinam. ten. ʒvij Syrup. cydon. ʒj M. cap. cochlearia bina larga alternis horis. In sanguinis variolis extollit MEAD (*Oper. T. 1. Gott. de variol. et morb. p. 37.*), in nigris pariter, paruis istis confluentibus, vel petechiis siue effusionibus sociatis, item in variolis speciatim lymphaticis, praedicat HVXHAM (*Oper. Ed.* REICHEL. *T. 2. p. 142.*) tincturam suam corticis alexipharmacam, modo spirandi difficultas non adsit, nec aluus obstipata, nec abdomen durum tumidumque (*l. c. p. 143.*). Ad easdem fere leges (de lymphaticis vero variolis non agit) exigit corticem cl. BROCKLESBY (*Observ. p. 240.*), attamen de inertia

non

non rara querelas mouens. Conf. et casus singularis de praestantia corticis in variolis malignis recensitus ab ill. DE HAEN (*Rat. med. P. 2. p. 89.*) qui cl mum WESTERHOFF narrat in ipso adeo violentissimo stadio variolarum contagioso dedisse. A cl. BAYLY duo casus similes consignati exstant, vnus confluentium, alter gangraenosarum variolarum (in *Phil. Transf. 1747. p. 27.*); item alius gangraenosarum a cl. HAZON (*Iourn. de Med. T. 20. p. 342.*). Methodum et exponit cl. PLENCIZ (*Oper. Tr. 2. de variol. p. 136*). Statim ad corticem confugit ill. A ROSENSTEIN (*Barnsjukd. p. 134.*), quum eruptio et eleuatio pustularum in secundo stadio praecipue variolis malignis grassantibus, et sub mala aegri constitutione langueſceret, et praebere eum continuat per totum morbi decursum idque frequentius vel maioribus dosibus, quando pulsus debilis est et rubedo circa pustulas pallidior, vel maioribus interuallis minorique dosi, quando pulsus fortior et rubedo saturatior. Propria addere possum experimenta de vtilitate corticis, sub retardata iusta pustularum eleuatione et languente suppuratione. — Pauciores auctores in ipsa febre suppuratoria opem in eo quaesiuerunt. Non fugit tamen eiusdem vel in hacce praestantia medicos olim Wratislauienses (*Hist. morb. Wratisl. Ed.* HALL. *p. 285.*), sed concesserunt corticem, quando haec febris vltra tempus protrahitur et intermissioni locum dat, qua ipsa incidente exhiberi

iuſ-

iuſſerunt. Fidem illi quoque tribuit cel. A ROSENSTEIN in hac febre, miracula ſubinde excitare aſſeuerans. Quantum in febre variolarum ſecundaria valuerit, caſu ſingulari a cl. RAHN (*Abhandl. d. Geſellſch. in Zürich Voi. 1. p. 193.*) confirmatur.

Sunt et aliquot pectoris morbi, de quibus, vtrum conducat, an noceat cortex, non omnino inter medicos conſtat. — In catarrhalibus febribus non admittit b. WERLHOFIVS (V. ſupra (*p. 579.*) niſi valde benignae et naturae fere intermittentis ſint. Latius vero extendit opportunitatem cl. MEDICVS (*Beobachtungen Vol. 2. p. 463.*), et ad febriculam compeſcendam pectorisque incommoda tollenda intra paucos dies ſub idonea miſcela, et quidem vi pulmones corroborandi, maxime facere vidit. Nec nocuit WHYTTIO, tuſſi catarrhali tentato, pondus vnciarum quatuor intra ſedecim dies conſumtum (*on nervous Diſord. in* EIVSD. *Works p. 636.*). Ipſe debeo cortici firmatos in me pulmones, quos catarrhus pertinax eoque pediſſequa tuſſis nimium debilitauerat. Ita et raucedinem absque febre et oppreſſione pectoris poſt morbillos ſuperſtitem ſuſtulit (WHYTT in *Eſſ. and Obſervations phyſ. and liter. T. 3. p. 375.*).

Locum quoque habet prudens corticis adminiſtratio in febre hectica, ſiue corporis lenta absque vlcere conſumtione. Praemittenda tamen vel prius tentanda ad ſoluendam obſtructionem et febrem mitigan-

gandam laxantia commoda et viſceralia, mitia ſcilicet ſalina, extracta amara, gummi reſinae praecipue Gummi ammoniacum, ſerum lactis. Sed perſeuerante febre pertinaciori et debilitate cortex ſolatium promittit. Multum illi tribuit cel. MEAD (*Monita et praec. med. p. 27.*) ad periodos hecticae arcendas, dum nimirum aegri certis temporibus vel haemoptyſi vel pituitae tenuis in pectus fluxione vel bilis flauae reiectione tentantur. Cl. MONRO (*mil. Dif. p. 128. 133.*) vero, etſi largitur tuſſes quasdam obſtinatas feliciter eo profligatas, quin leui hectica iam ſeſe exſerente: negat tamen in confirmata pulmonum obſtructione et hectica grauiori ſine excretione puris libera vllius emolumenti fuiſſe, aſſerens contra calorem excitaſſe febremque auxiſſe. Secundum experientiam cl. HEBERDEN (in *med. Tranſ. T. 2. p. 15.*) nullum quidem effectum in hac febre exſeruit, nec tamen noxam peperit, excepta alui purgatione vel nauſea parui momenti, quando ſtomacho ille aduerſus fuit, vel nimis cito ingeſtus.

Quum ad diſquiſitionem, an eo liceat in phthiſi vti, me accingo, iterum doleo artis noſtrae ſortem, quae ab experimentis plurimum fulcri repetens diuerſa ſucceſſuum narratione nimium incerta euadit, et turbatur. Difficultatem pretium corticis in hocce morbo diiudicandi parit huius varia conditio, quoad originem, ſedem, et gradum mali, corporis conſti-

tu-

tutionem diuerſasque complicationes. In biuio iudicium TORTI (*Lib. 5. c. 2. p. 449. ſq.*) verſari videtur. Pulmoni iam exulcerato plurimum nocere monet MEAD (*l. c. p. 27.*). Magis damnoſum quam proficuum iudicat ELLERVS (*Obſ. de cogn. et cur. morb. p. 214.*). Reſtringit efficaciam in vlceribus viſcerum ſuppuratis tuberculis et morbis tabificis WERLHOFIVS (*Obſ. de febrib. p. 52.*), etſi in intermittentibus, hiſce morbis ſuperuenientibus, ſubinde leuamen praeſtare et vitam protrahere cenſeat, non vero conſtanter niſi ſub laeſione leuiori. Neruoſe medicos cl. TRALLES (*de Opio ſect. 4. p. 22.*) reprehendit, in cortice contra phthiſin exhibendo nimis audaces, et medicos multos ſecum ſentientes allegat; nam anxietatem inde, difficiliorem reſpirationem et ſputa ſuppreſſa, obſeruauit. Reiicit vel ideo cl. WARREN (*Diſſ. de cort. peruv. Edinb. 1770.*), quod DOWERVS ſanguinem poſt ſomam adeo venaeſectionem cruſta inflammatoria obductum inuenit (Ex *Gött. Anz. 1771. Zug. n. 44.*). Profluuium aluinum apud phthiſicos potius augeri quam ſtipari cortice, auctor cl. FRIBORG (in *Tillaeg til Vgeſkriftet Laegen* v. TODES *Bibl. T. 1. P. 1. p. 118.*) eſt, niſi flores Tuſſilaginis admiſceantur. — Sed age et alios contra ſentientes audiamus. MORTONVS (*Opera T. 1. p. 103.*) ſaepiſſime eius in febre putrida phthiſica ſiſtenda efficaciam expertus eſt. Probat et SWIETENIVS (*Comment. T. 4. p. 94.*), exemplum

plum producens virginis absque haemoptysi phthisicae, sed corticis ope convalescentis. Initio praxeos fatetur PRINGLE (*Dis. of the army p. 167.*), se a cortice abstinuisse, nec exhibuisse, antequam obstructio apparenter fuerit soluta, dein autem in progressu exercitii practici decoctum vel infusum corticis ad cochlearia tria vel quatuor praescripsisse semel vel bis de die, nec calorem auctum vel respirationis difficultatem inde percepisse, sed virium incrementum insigne. Laudatoribus magni nominis etiam accensendus est TISSOTVS (*Avis p. 119. 124.*), qui ei vomica rupta et in phthisi vera palmam prae omnibus balsamicis tribuit, praesente autem adhuc inflammatione vel noua ingruente eum repudiat. Sub eadem limitatione cortici fauet cl. BVCHAN (*Domestic. Medic. Vers. Germ. p. 298.*). In leuiori exulceratione non nocere, sed putredinem vincendo ad consolidationem facere, testatur cl. LÖSECKE (*Mat. med. p. 417.*). Cum euphoria propinauit eum cel. ACREL (*Chirurg. Händelser Ed. 2. p. 225.*) in empyematibus sponte exitum sibi parantibus et febre stipatis, tum scilicet, quando phthisica febris in intermittentem transierat. Vomica, quae inter costam quintam et sextam penetrauerat, iuncta sputo purulento, decoctis vulnerariis cum cortice Peruuiano sanata. Sic et alius, vomica critica ex febre putrida subito affectus, corticis vsu restitutus (BORNAINVILLE in *Iourn. de Medec. T. 17. p. 421.*). Miscelam corticis cum lacte, nescio cur olim

olim vel ſilentio praeterierint medici, vel omnino repudiarint. Sed in hac haud mediocrem ad curationem phthiſeos vim eſſe, recentius cognitum eſt. Depraedicat corticem cum lacte decoctum ill. AB HALLER (*Opuſc. pathol. p. 182.*) in phthiſicis pus copioſum ſpuentibus, iuncta ſeuera et vegetabili diaeta et equitatione. Non ſucceſſit illi vero experimentum in feminis, cum ſputo cruento menſtruis ſuppreſſis laborantibus. Subiungenda laus ill. DE HAEN (*Rat. med. P. 12. p. 237. 258.*) tam propria ſua experientia quam Anglorum fulta, qui vero decocto corticis cum multo lactis, interpoſito poſt bihorium elixirio vitrioli in ſuppuratoriis pulmonum morbis vſi ſunt. Vanum fuiſſe metum coaguli lactei per oleum vitrioli et enaſcituri caloris ex aromatico elixirio, effectus docuit. Inſignis et efficaciae in abſceſſu cruris circa articulum (*p. 259.*). In diarrhoea phthiſicorum aliquam operam promittit cortex melle roſaceo commiſtus et horis febre vacuis ſumtus (ROSENST. *Bſkd. p. 93.*). — Difficile eſt in tanto expertae alias fidei virorum diſſenſu verum extricare. Apparet tamen, tam ante ſuppurationem quam initio eiusdem ſub debita cautela et ſcito connubio conducere ad moderandam febrem, humores condenſandos eorumque putridam diatheſin corrigendam. Deſiſtere autem prudentia iubet, ſi ex primo tentamine nihil commodi redundet, quin malum contra ea deterius euadat.

Mentio ſimul facienda eſt alius ſpeciei phthiſeos pulmonalis, haud minus, vt pro dolor! duobus coniunctiſſimorum mihi cognatorum exemplis cognoui, periculoſae, ac vlceroſa, "qua per longum tempus immenſam copiam muci ſalſi dulcis, vel etiam plane inſipidi per tuſſim reiiciunt, cui nec foetor ineſt, nec purulenti aliquid, glandulis nimirum cum ductibus aſperae arteriae relaxatis nimium.„ In hocce malo plurimum feciſſe decoctum corticis Peruuiani cum ligno Guaiacino et Styrace expertus eſt HVXHAMVS (*Oper. T. 1. p. 199.*).

In morbis neruoſis omnium conſenſu plauſum tulit, cuius generis affectiones hyſtericae et hypochondriacae ſunt. Iis praecipue hyſtericis feminis ſuccurrit, quae ſpaſmis validis afficiuntur (SYDENHAMI *Oper. p. 412.*). Magis roborat minusque calefacit, quam vllum aliud amarum remedium. Solet in hiſce aegris ventriculus debilis nimis eſſe, ideoque in ſubſtantia cortex non ferri, vnde liquida forma conuenientior, et in connubio ſpirituoſi menſtrui cum amaris et aromaticis. Merito ſequens formula extollitur: Rc. Pulv. Cort. Peruv. ʒiv Rad. Gent. Cort. Aurant. aa ʒiß. M. infuſ. ſpirit. vin. Gall. ℔iv, ſtent in balneo arenae per dies vj, tum colentur. Huius tincturae bibitur cochleare vnum cum quatuor vel quinque cochlearibus aquae mane et veſperi. Sed diuturnus et per plures menſes protractus vſus requiritur. Auctore WHYTT (*on neruous diſorders* in *Works p. 635.*). In ſumma debilitate neruoſa, pauoribus, ſtrangulationis

nis ſenſu, anxietate, manifeſtum auxilium decoctum praebuit (HALLER *Oper. min. T. 3. p. 379.*). Duplicem caſum efficaciae in malo hyſterico deſcripſit cl. RAHN (in *Zürch. Abhandl. T. 1. p. 203.*). Eſt vna cum balneis frigidis et martialibus praecipuum in debilitate neruoſa ex ſtudiorum nimio exercitio in litteratis, digeſtiones vires reſtituens, vaſa roborans, ſanguinem compingens, ſecretiones iuuans, neruis vigorem reddens et inordinatos motus corrigens (TISSOT *Santé des gens de lettres p. 222.*). Ita et in ea debilitate, quae ex iactura nimia feminis naſcitur (TISSOT *ſur l'onaniſme p. 198.*). In conſueto malo huius fontis, tabe dorſali, omnibus praeferendus (GRAINGER *Hiſt. febr. anom. p. 115.*).

Sequatur praeſtantia eius in morbis ſpaſticis vel conuulſiuis. In ipſa epilepſia auxilio fuiſſe caſu ſingulari teſtatur RITTER (in *A. N. C. Vol. 10. App. p. 153.*). Magni fecit eundem in hunc finem MEAD (*Praecept. med. p. 37.*) ſub connubio radicis Valerianae (V. ſupra *p. 185.*). In epilepſia cuilibet drachmae dimidiae corticis addi ſaepe ſolitus eſt b. WERLHOFIVS (*de febr. Ed.* WICHM. *p. 64. not.* *) guttulam vnam vel alteram olei Caieput. Nec ſine ratione addidit illum electuario ſuo Peruuiano epileptico FVLLERVS (*Pharm. extemp. p. 89.*), quod in varii generis conuulſiuis et ſpaſticis morbis vim ſuam comprobauit. Repudiat autem WERLHOFIVS (*de febr. p. 53.*) eum in

morbis ſpaſticis et conuulſiuis continentibus ſub paroxyſmo: concedens tamen in remiſſione vel intermiſſione. Nimiam infantum ad conuulſiones procliuitatem cortex vna cum balneis frigidis vincit (TISSOT *Avis au peuple §. 395.*). — Sunt et ſpaſmi quibusdam partibus proprii, hacce medela ſanandi. Quorum chorea Sti Viti ſaepe vel ſolo cortice vel adiumento olei animalis Hannoverae curata (WERLH. *l. c.* Ed. WICHM. *p. 88. not.* *). Ita ſternutationem vehementem 1820ies vna ſerie redeuntem, typicam et ſudoribus terminatam, feliciter in femina compeſcuit (Cl. BERGIVS in *Vet. Acad. Handl. 1762. p. 299.*).

Peculiarem conſiderationem ſibi vindicat tuſſis conuulſiua. Incitauit ad vſum analogia eiusdem cum febre tertiana et ſpaſtica natura. Sed iuſto ordine incedendum, praemiſſis nimirum reſoluentibus, vomitoriis et purgantibus, et, ſi res ita fert, venae ſectione et temperantibus. Quibus ipſis ſi paroxyſmus ita mitigetur, vt ſine vomitu ceſſet: ad corticem accedere ſuadetur (STRANDBERG *Vetenſk. Acad. Handl. 1749. p. 260. ſq.*). Sed ſubinde praecocius eo opus eſſe, in epidemia a. 1772. Gottingenſi cognoui, verum tutiſſime in reſoluentium e. c. terrae foliatae tartari connubio, et continuationem per tempus requiri, vtne recidiuae fiant. Corticem extollunt in hoc morbo inter primos olim BRENDELIVS (*Progr. de tuſſi conuulſiua 1747.*) et experientiſſ. STRANDBERG (*l. c.*). Pluri-

rimum tribuit tempeſtiuo eiusdem vſui WHYTT (*Obſ. on nerv. Diſord.* in *Works p. 636.*), antequam obſtructiones pulmonum obortae. Magna etiam in fide eſt apud cl. MILLAR (*on aſthma et hooping-cough. p. 136.*), ſed potius ad robur fibrarum reſtituendum et hecticam auertendam, quam malum in ſua radice ſubigendum. Praemittit vomitoria vel purgationes, ſi collecta colluuies eſt, veſicatorium ſ. ſetaceum vel fonticulos, ſi pulmonum obſtructio metuitur, commoda autem reſoluentia, ſi obſtructio vere iam nata eſt. Nunquam, fatetur cl. BISSET (*Med. Eſſays p. 181.*), ſe potuiſſe ſuffocare tuſſim cortice inſtar febris intermittentis, quin noxium fuiſſe captum in incremento vel vigore morbi, viſcidiorem nimirum reddendo mucum et tuſſim incitando; nec niſi in interuallis, praecipue ſi longa euaſerunt, conuenire, nominatim autem valere ad recidiuas variasque moleſtas ſequelas, vt ſcrophulas rachitidem et phthiſin, arcendas, et ſub finem morbi ad perfectam virium reſtitutionem inſignis pretii eſſe. Cl. MORRIS (*med. Obſerv. et Inquir. T. 3. p. 281. ſq.*) fauſto euentu cortici in hoc morbo Caſtoreum admiſcuit; egr. pulueris illius granis quindecim, huius grana octo, vel decocti corticis vnciae vni Caſtorei grana nouem; cuius ſinguli praebium vnum quater de die ingeſtum.

An haemorrhagias Chinchina ſiſtit? Siſtit tam eas, quae a cauſa putrida naſcuntur (V. ſupra de febri-

bribus putridis dicta) quam alias certis conditionibus, extra illam ortas. Quod ad primum genus, inter praecipua remedia referenda, dum per nares, anum aliaque emiſſaria ſanguis effluxit, ſed addito potui ſpiritu vitrioli; nec parca nimis manu cortex adminiſtretur. Aſt, quoniam quae ad alterum genus pertinent profuſiones ſanguineae plerumque febris vel ſpaſmorum progenies ſint, primum de hiſce ſuperandis vel mitigandis cogitandum eſt, eligendumque tum pro cortice tempus extra nimium orgaſmum, quo mira ſaepe praeſtat, niſi cauſa quaedam grauior interna ſubſit. Saepe anodynis iunctus confert (ACREL *om Chir. handål. förkårt. p. 14.*). Pro mulieribus, ad nimium menſium fluxum et fluorem album, item ad haemoptyſin et vomitum cruentum, et generatim ad omnes haemorrhagias corticem inſtar arcani, edoctus experientia commendat HELD (in *A. N. C. Cent. 3. et 4. p. 383.*). Mictum cruentum enormem eius ope ſedauit cl. DETHARDING (*Diſſ. de cort. Chinae efficacia in gangraena et ſphacelo adhuc dubia* in HALLER *Coll. Diſſ. pract. T. 6. p. 224.*). Et haemorrhagiam ex abortu cl. DE HAEN (*Rat. med. P. 7. p. 57.*). Minus in haemorrhagia ſiſtenda valere, quam robore poſt eam deuictam reſtituendo, deprehendit cl. WHYTT (*on nerv. Diſ. p. 401.*), probans tamen cum fortiori adſtringente miſcelam. Non videtur adſtringendo haemorrhagiam ſiſtere, alias ſupprimeret fluxum menſtruum feminarum,

rum, quod vero non fit, prout nec minuit lochia in femina, cui drachma vna omni trihorio per nychthemerum biduum poſt partum exhibita. Nec ſputa retardauit in variolis (HEBERDEN in *med. Tranſ. Vol. 1. p. 469.*).

Speciatim de haemoptyſi dicendum. Herculeam antidotum vocat corticem MORTONVS (*Oper. T. 1. p. 130. ſ. Phthiſiolog. l. 3. c. 5.*) ea in ſpecie, quae a vitioſa acri ſanguinis corruptela naſcitur et ſibi relicta viam ad phthiſin pandit, et ab hoc vim febrem exſtinguendi, humores vitioſos corrigendi et ipſos pulmones roborandi, exſpectat. Paucis eadem repetit FR. HOFFMANNVS (*Med. ſyſt. T. 4. P. 2. p. 44.*), vt tamen non videatur ex propria experientia loqui. BRVNNERVS (*Gland. duod. c. 5. p. 101.*) non inficiatur initio fidem ſe denegaſſe MORTONO, donec experiundo ſententiam mutare cogeretur tam in ſanguinis ſputo, quam narium haemorrhagia. WAGNERO (*Comment. de haemoptoes curatione* recuſ. in *Collect.* HALLER. *Diſſ. pract. T. 2. n. 55.*) miſcela placuit cum puluere abſorbente WEDELII, cuius praeſtantiam et ipſe confirmare poſſum (Vid. e. gr. *Comment.* mea *de polypis bronchiorum* in *Commentariis nov. ſociet. ſcient. Gotting. T. 4. p. 50.*). Me iudice vero cortex ſolus non tam praeſenti ſanguinis effluentis riuo obturando par eſt, quam robori pulmonibus conciliando, denſando ſanguini, fluidi neruei ataxiae ſedandae, et iterato profluuio auertendo. Et ad hoſce ſcopos attingendos

tanto magis idoneus eſt, quum et febrem coërceat et ſpaſmodicas affectiones, quibus hi aegri obnoxii ſunt, ſopiat. Caue igitur mox initio corticem praebeas, quando febris adhuc valida infeſtat, vel inflammationis in pulmonibus veſtigia apparent, quae potius venae ſectione, diluentibus, antiphlogiſticis, clyſmatibus vel mitioribus laxantibus, quiete corporis et animi, praegreſſis compeſcenda.

In dyſenteria multi cortici fauent, etſi non omnes vna eademque de cauſa. MORTONVS (*Oper. T. 2. p. 237. ſq.*) dyſenteriis eum oppoſuit, ſub quibus latuit febris typum obſeruans, tempore remiſſionis. Sic et ex voto ceſſit cl. CLEGHORN (*Diſ. of Minorca p. 237.*), quando febris vel tormina ſtatuto tempore exacerbationem experta ſunt. Aliquando modo febris profligata, perdurante profluuio. Rarius vero ſpei reſpondit vltimo morbi ſtadio ad gangraenam inteſtinorum praecauendam. Abſtine autem a cortice in dyſenteria, quam febris acuta inflammatoria comitatur. Vigente adhuc, euacuantibus praegreſſis, vi ſua antiſeptica et antiſpaſmodica cortex excellit. Hinc, putrida humorum diatheſi et febre maligna, ſaltim in diriori malo obuia, aphthisque ſenſim obrepentibus et ſingultu, eximiae virtutis fuit (WHYTT in *Eſſ. et Obſervat. phyſ. et lit. T. 3. p. 367.*). Tanto vtilior eſt cortex, quando, vt ſaepe fit, dyſenteria ſeſe iungit febri putridae, quo caſu eundem coniungit cum radice Serpen-

pentariae Virginianae cel. PRINGLE (*Diſeaſ. of the army p. 274.* Conf. MONRO'S *milit. Diſeaſ. p. 89.*). Eſt, qui in dyſenteriis putridae naturae aeque neceſſarium corticem ac vomitoria et purgantia arbitratur. (CLARCK *Diſ. in long voyages to hot countries p. 233.*). Efficacior tamen fuit in febribus, quam dyſenteria putrida; et in hac quidem copula corticis Peruuiani cum Caſcarilla praeſtans (WHYTT *l. c.*). Bene et ſub declinatione morbi capitur, vt roborando inteſtina vlteriori profluuio obex ponatur, et relapſibus obuiam eatur. Quantum hoc fine valeat, cognoſcitur experientia cl. RENEAVME (*Hiſt. de l'acad. d. ſc. 1713. p. 47. 223.*). Salutari conſilio multi corticem pro interno vſu Opio combinarunt, MORTON (*Oper. T. 2. p. 239.*), PRINGLE (*l. c.*) MONRO (*l. c.*). Valuit et contra teneſmos diriores clyſma ex decocti ſaturati corticis vnciis quatuor et aliquot granis Opii, aliquoties de die repetitum (I. HVNTER apud PRINGLEVM *l. c.*).

Nec ſpernendum in ſcorbuto remedium. Ex certiſſimis iudicat LIND (*on ſcurvy*). Sed non ſemper ventriculo tolerabilis fuit; in ptyaliſmo et haemorrhagiis profuit, minus vero in alui fluxu. Decoctum calidum ſemper leuamen attulit, ſi aeger inſudaret. Dedit quoque in infuſo et electuario probo euentu KRAMER (*Diſſ. epiſt. de ſcorbuto*). In maiori adeo ſcorbuti gradu, vlceribus iam ortis in noſocomiis bel-

li-

licis eximiam opem eo tulit BROCKLESBY (*Obſervat. p. 306.*), et eo interprete cl. RANBY in noſocomio Chelſeano et cl. BOONE Senegalliae (*l. c. p. 317.*). Contra vacillationem dentium cum gingiuarum conſumtione prodeſt dentes puluere ope ſcopulae mollis perfricare (*Hannov. Magaz. 1773. p. 1200.*).

Ad vim in ictero etiam diuturniori attentiores reddidit medicos ALEX. CAMERARIVS (*Diſſ. de cortice a febre ad icterum extenſo Tubing 1730.*) ſua, LANZONI rel., experientia, caſibus confirmata; quibus ſubſcripſerunt SCHVLZIVS et WERLHOFIVS (in *Diſſ. epiſtol. ad ill. de Berger p. 32. ſq.*), ſiue cauſa lateat in nimia tenacitate vel copia bilis, vel laxitate ſiue ſpaſmo partium bili vel ſecernendae vel excernendae inſeruientium, vel ipſo calculo obturante, quem tonum fibris impertiendo pellit.

Adduci meretur exemplum ſuppreſſionis lotii, quae orta fuit cum diro dolore absque calculi vllis indiciis. Omnibus fruſtra tentatis poſt corticis drachmas decem conſumtas aeger conualuit. Vitium in relaxatione muſculorum extruſorum vrinae latere viſum eſt. (*Med. Obſ. and Inqu. T. 1. p. 81.*).

Inter anthelmintica locum obtinet, laudante iam RAMAZZINO (*conſt. epid. in Oper. p. 151.*) vſum in verminatione febris epidemicae, et adſtipulante LANZONIO (*Oper. T. 2. p. 398.*) duobus caſibus, primo absque febre, altero eadem coniuncto. Vim corticis con-

contra vermes magni quoque fecerunt Wratislauienſes (*Hiſt. morb. Wratislav. Ed.* HALL. *p. 35.*). Satisfecit in febribus periodicis, lumbricis ſtipatis, quas vna cum vermium numeroſorum expulſione eo curauit TORTI (*de febr. p. 431.*), licet in infuſo corticis lumbrici vitulini diu viuere pergerent. In omnibus febribus verminoſis commodum reperit VAN DEN BOSCH (*Hiſt. conſtit. verm. p. 36.*).

Tanquam arthritidis remedium iam perpendendus eſt cortex, in qua, podagra nominatim, primarium habet vi roborante, mane et ſero ſumtum per longum tempus SYDENHAMVS (*Tract. de Podagra Oper. p. 454.*). Diuinum in podagra vocat HELD (in *Eph. nat. Cur. Cent. 3. et 4. p. 385.*) multiiugam ſuam experientiam citans. Podagrae anomalae quoque mederi, duobus caſibus confirmatur (*Iourn. de med. T. 16. p. 441.*). Eximio TORTI autem non ſucceſſit in hoc morbo, ſed exemplorum meminit feliciter per illum curatae febris intermittentis, cui ſuperuenit arthritis (*de febr. p. 428.*). — Solet a multis arthritis cum rheumatiſmo confundi. Sed in hoc quoque non omni deſtituitur efficacitate. Accelerauit inſigniter curationem tumoris articulorum, poſt applicatas per tempus hirudines vel veſicatoria, vſus balnei frigidi vel corticis (PRINGLE'S *Diſeaſ. of the army p. 160.*). Sunt et, qui in ipſo rheumatiſmo acuto exhibere auſi ſunt, vt primum in lotio ſedimentum apparuit, etſi febris ali-

aliquis gradus adhuc ſuperfuerit et dolores diri aegrum torſerint. Sed in re tam graui pauca tentamina non ſufficiunt (PRINGLE *l. c.*).

Fracto plurimam partem acido apud rachiticos infantes, magna corticis vis in puluere vel extracto eſt, ſed iuncta idonea diaeta (ROSENSTEIN *Barnſjukd. p. 406.*).

Recentius virtus corticis in tumoribus glandularum ſcrophuloſis diſcutiendis explorata eſt. Cl. FORDYCE (*med. Obſ. et Inquir. T. 1. p. 184.*) varios caſus ſiſtit eiusdem comprobatae in tumoribus huius generis mammarum, parotidum aliarumque glandularum ſub habitu debili et languente ſanguinis circuitu. Reſoluendo autem et diſcutiendo absque ſuppuratione id praeſtat. Nec nocuit tum cortex, quando in infantibus criſeos genus conſtituere viſi ſunt. Valuit quoque in vlceribus mali moris, in ophthalmia ſtrumoſa et cachexia cum vlceribus malignis coniuncta (*loc. cit.*). Nouum fulcrum huic rei ſubſternitur experientia cl. FOTHERGILL (*loc. cit. p. 308.*) in affectionibus ſcrophuloſis capta, quas inter varias ophthalmias, tumorem labiorum, cutanea vitia recenſet. Praecipit vero eius decoctum, nonnunquam pilulas e Calomelano coniungens, ſpeciatim vermibus deliteſcentibus vel obſtructione et efflореſcentia cutis humida coniuncta (*p. 303.*). Virtutem deriuat potius a reſtaurato ventriculi vigore, quam actione in ipſum lo-

locum affectum sese exserente. Confirmat cl. BOND hanc corticis potentiam, sed requirit vsum diu continuatum dosеos largae (*Med. Obs. et Inquir. Vol. 2. p. 265.*). Plausum quoque obtinuit cl. WHYTT (*nerv. Dis. p. 424.*) in scrophulis ceruicis per aliquot menses ingestus, exhibita simul dosi Calomelanos et Rhabarbari quouis quarto vel quinto die vesperi, vt bis vel ter mane sequente aluus referetur, quin profuerunt haec febre etsi praesente.

Analogia inter lepram et gangraenam strumasque ansam dedit in lepra quoque eum in Madera tentandi; nec hoc sine fructu factum est (HEBERDEN *med. Transf. Vol. 1. p. 34. 36.*).

Inter morbos externos nullus terribilior gangraena, et qui exinde facile consequitur, sphacelo est, quem vero sistendi facultas insignis cortici competit, modo inter species et conditiones rite distinguatur. Primus qui ex voto illum tentauit, idque iam a. 1709., fuit ill. SLOANE qui, licet non scriptione rem patefecerit, tamen amicis narrauit, (*Transactions philosophiques traduites par M.* DE BREMOND *a. 1732. p. 265.*). Hinc euenit, vt honos inuentionis plerumque Chirurgo Anglo Northamtonienſi IO. RVSHWORTH (*Proposal for the improvement of surgery Ed. 1. 1731. Ed. 2. auct. Lond. 1732.*) adsignetur, nec hic ipse trans a. 1715. extendatur, qui pariter experimenta sua aliquot annos serius vulgauit. Nec agnouit vltra eam gangraenam, quae

quae febris intermittentis comes eſt, corticem praeſidio eſſe. Eo praeeunte, Chir. AMYAND (*V. lib. nouiſſ. cit. p. 14. ſqq.*) multis documentis efficaciam eiusdem poſtea comprobauit, demonſtrantibus ſimul, nimis limitaſſe eam RVSHWORTHIVM et in aliis quoque ſpeciebus gangraenae extra febris intermittentis commercium laetam opem ferre. Eodem fulcro nixi IO. DOVGLAS (*Account of mortifications Lond. 1732.*) SHIPTON (*Phil. Tranſ. Vol. 37. p. 426. 434.*) GOOLDEN (*Medic. Eſſ. et Obſerv. of Edinb. Vol. 3. p. 35.*) PAISLEY (*l. c. p. 43.*) ALEX. MONRO ſen. (*l. c. Vol. 5. p. 99.*) KIRKLAND (*Treatiſe on gangrenes, Nottingh. 1754.*) GOOCH (*Caſes et practical Remarks Ed. 2. p. 371.*) multique alii Angli in medela fiduciam collocarunt. Inter Germanos in rem hanc attentionem conuerterunt inter primos ABRAH. VATERVS (*Diſſ. de efficacia admiranda Chinchinae ad gangraenam Witteb. 1734.*) WERLHOFIVS (*Obſ. de febr. p. 255. p. 331. ſq.* et dein certius in *Commerc. Nor. 1735. p. 4. ſq.* vbi varii caſus cum iſto ab aliis communicati.) HEISTERVS (*Inſtitutiones Chirurg. p. 321. 325.* et in *A. N. C. Vol. 5. Obſ. 156. p. 520.*). Quorum auctoritate vel experientia excitati alii in Germania felices euentus experti ſunt, VAN SWIETEN (*Comment. T. 3. p. 187.*) KLEIN (*Select. medic. p. 88.*) DE HAEN (*Rat. med. P. 3. p. 132.* et *P. 7. p. 52. 114.*) BILGVER (*Abnehm. d. Glied. p. 31.*) HALLER (*Opuſc. path. Obſ. vlt.*) HEVERMANN (*pract.*

Be

Bemerk. Vol. 1. p. 152.) SCHMVCKER (*chir. Wahrnehm. T. 2. p. 511.*) rel. Serius fiducia in corticem ad Gallos manauit; nec prima Parisiis facta tentamina sic cesserunt, vt laudibus ab Anglis in eum collatis subscribi posset (BREMOND *Vers. Gall. Transf. angl. a. 1732. p. 268.*): postea tamen et in Gallia multis documentis vis antigangraenosa constitit, cuius casus exstat a cl. BOVVART (*Hist. de l'ac. d. sc. 1748. p. 61.*) item alius a cl. MVLCAILLE (in *Memoires eiusdem anni p. 526. l. c.*) memoratus, multique plures in diario notissimo cl. VANDERMONDE *Recueil periodique*, continuato a cl. ROVX sub titulo *Iournal de Medecine*, a cl. MARCHAND (*Tom. 6. p. 193.*) DONAT (*T. 9. p. 44.*) PELLICOT (*l. c. p. 45.*) SIGNOLLY (*p. 307.*) DARLVE (*T. 10. p. 209.*), cuius historiae lectu dignissimae sunt, COVLANVOVX (*T. 16. p. 426.*) DVPAS (*l. c. p. 432.*) SALOMON (*l. c. p. 435.*) BOVCHER (*T. 17. p. 403. sq.*) aliisque. Addo experimenta cl. COVSIN (in HAVTESIERKII *Rec. d'Obseruations de Medecine T. 2. p. 529.*). Apud Italos symbolam, inter varios casus frustranei euentus, felicioribus dederunt *Commentari Instituti Bononiensis* (*T. 2. P. 2. p. 196. 206.*) — Sed testibus colligendis, quorum multi ex aliis nationibus, si opus, addi possent, praestat de conditionibus ipsis, sub quibus iuuet vel iners sit, modoque rite eundem adhibendi, dispicere. Nam sunt, qui vim eius arctius circumscribunt (Vid. e. c. DETHARDING

DING (*Diff. de corticis Chinae efficacia in gangraena et ſphacelo adhuc dubia Roſtoch. 1746. in coll. Hall. Diff. pract. T. 6. n. 200.* SHARP (*on the preſent. State of Surgery p. 273. ſq.*) item cl. ACREL (*chir. Händelfer Ed. 2. p. 562.*). Ex dictis ſupra de virtute corticis in febre putrida liquet, vſum non reſtringi ad gangraenam vnice externam, ſed et in interna eximii pretii eſſe. Ex hoc cenſu eſt angina gangraenoſa, quam cl. FOTHERGILL (*Account of the Sore Throat*) maſcule deſcripſit, in qua vero cl.^mo WALL (in *Gentlemans Magazine 1751. p. 497.*) cortex optimam medelam praeſtitit. Sic gangraenae ventriculi periculum diſcuſſit (DONAT *l. c.*). Alius ſignis gangraenae oeſophagi praeſentibus, quam ſecedens poſtea per aluum membranae fruſtum vlterius confirmauit, cortice conualuit (COVLANVAVX *l. c.*). Nec deſtituitur laude SWIETENII in gangraena inteſtinorum (*Comment. T. 3. p. 187.*) — Vincitur vero cortice tam illa externa gangraena, quae vitium aliquod inteſtinum agnoſcit, quam ea, quae absque vitio interno a violentia quadam externa, conquaſſatione, vulnere, vlcere, luxatione, fractura, eryſipelate (*Comment. Bonon. cit. p. 201.* DARLVE *l. c. p. 218.*) enaſcitur. Et hoc quidem beneficium contigit, qualiscunque compagis pars correpta fuerit, artus, genitalia in femina ex difficili partu (MARCHAND *l. c.*), ſcrotum (PELLICOT *l. c.*), genitalia in auriga (LONGIS in *Iourn.*

de

de Med. T. 16. p. 438.), musculi, glutaei cum femore (*Dupas l. c.*), integumenta corporis; item in gangraena ex ligata arteria femorali (HAEN *Rat. med. P. 7. p. 1. sq.*). Successit mirifice in nosocomiis bellicis, dum praeter opinionem vulnera gangraenescerent, grassantibus eodem tempore febribus putridis (SCHMVCKER *l. c.*), prout in vniuersum non rarum est in hominibus mali habitus, pallidi, scorbutici, putridi, ex inflammatione vulnere vel percussione praegressa, vel alia iniuria externa, vel vesicatorio applicato, vel fonticulo, gangraenam fieri, sed itidem cortice vincendam (Conf. *Comm. Bonon. l. c.* et *Med. Ess. et Observ. T. 3. p. 36. et p. 44.*). Haud infrequens pro dolor! est sequela febrium malignarum, in quibus tamen cortici saepe cessit, siue iuniores (*Comment. Bonon. l. c. p. 206.*) siue senes ea afficerentur. Coërcita in sene fere septuagenario ab huius generis febre gangraena pedis dextri (PAPPELBAVM *Diss. de febre maligna per gangraenam soluta Gott. 1773.*) orta. Alium eiusdem aetatis virum, cui secundus vel tertius pulsus intermisit, periculo bis eripuit LÖSECKE (*Mat. med. p. 421.*). Memorabile et exemplum centenarii iam senis, ex decubitu in dorsum, sphacelo regionis lumbaris ad ossa vsque pertingentis correpti, et corticis potissimum ope sanati (MAVTT *Diss. de cort. peruv. in coll.* SANDIF. *p. 191.*). Plura hominum grandaeuorum, sed eadem felicitate potitorum, exempla hinc inde locis citatis consignan-

tur. Vt igitur nec illi aetatis faſtigio, quod prae virium debilitate malo praecipue obnoxium eſt, vim ſuam cortex denegauerit. Cadit igitur cl. DETHARDING (*l. c. p. 229.*) iudicium, in aetate decrepita tantum non ſemper nociuum eſſe. In gangraena epidemica ſicca, qua membra ſubinde quaſi in carbonem combuſta deciderunt, quoque tentatus, ſed vitio aegrorum non tam exacte, vt vera eius vis inde eluceat. Id certe conſtitit non omni caſu vel tempore morbi conduxiſſe, adeo vt ſub impetum febris ingeſtus ſuſcitare gangraenam vel accelerare videretur (BOUCHER *Iourn. de Med. T. 17. p. 413. ſq.*). In vniuerſum abſtinendum a cortice in gangraena, quando vaſorum nimia plenitudo et ſanguis nimis craſſus ſubeſt: relaxatis vero vaſis et ſanguine tenui vel putrida degeneratione reſoluto eximie prodeſt, et tum tam coercendo putredinem, quam vires exaltando confert. — Capiatur igitur cortex ea forma, qua plurimum poteſt, quae et hic in puluere conſiſtit, et debita copia ad vnciam dimidiam vsque per diem, eoque connubio, quod ſcopo faueat, ſpiritus vitrioli ſub corruptela nimia humorum putrida, vini Rhenani ſub nimia virium coctura. Qui praebia per os non tulere, hiſce clyſmata ex cortice ſatisfecerunt (MONRO *Med. Eſſays l. c.*). Simul iuſta partis affectae cura habenda, ſcarificationibus (ſaltim ſecundum vulgarem praxin, quam vero cl. POTT in *chirurg. Obſervations* taxat) et

et cortice in fomento ſaturatiſſimo applicato vel pulueere eiusdem inſperſo ſiue digeſtiuo miſto (HAEN *Rat. med. P. 3. p. 132.*). Placuit miſcela epithematum frigidorum cum ſale ammoniaco (SCHMVCKER *l. c.*). Saepe vero diu pergendum in vſu; HAENIO (*l. c.*) adeo pro vno aegro pulueris libris 52 et extracti vnciis 7 opus fuit. Sic benigna ſuppuratione, quae, ſi opus adiuuanda digeſtiuis, pars emortua a viua ſeparatur, et vlteriori mali progreſſui praeuertitur. Non pugnat contra meritum huius medelae, quod quidam conualuerint absque eius adiumento, in aliis natura ſpontaneam ſeparationem membri effecerit, nec in omnibus ſpei euentus reſponderit. Habent enim medicamina ſuos limites. Haec nominatim virium corticis inopia cognoſcitur in illa gangraena, quae digitos pedis et ipſum pedem corripit et peculiarem ſpeciem conſtituit, deſcriptam practico tenore ab eximio POTT (*chirurgical Obſervations Lond. 1775.* inde a *p. 189.*), in qua fruſtra magnus ille chirurgus corticem tentauit, ſed finem egregie aſſequutus eſt in pleriſque hiſce caſibus extracto Opii (thebaico *Lond.*) vel in connubio cum cortice, vel et Opio ſolo largis doſibus capto (*l. c. p. 196. 198.*); vnde apparet Opio gloriam in hac ſpecie competere. Addo, gangraenam, quae vitiis venereis ſuperaccedit, difficilius longe cortice curari (DARLVE *Iourn. de Medic. T. 10. p. 213.*).

Vtinam verum cancri ſpecificum eſſet. Caſum felicis curationis cancri exulcerati recenſet cl. RITTER (*Act. Nat. Cur. Vol. 10. App. p. 153.*), monens ſimul in Belgio felici ſucceſſu fuiſſe oppoſitum; aliosque narrat cl. DIETRICHS (*Obſ. de vſu cort. peruv. in cancro mammarum exulcerato Ratiſt. 1746. 4.*), quorum vnus ill. SWIETENIVM auctorem habet, eo usque quidem fauſtus, quod cancer exciderit, licet vlcus conſolidationem perfectam recuſaret, alter huic fere ſimilis, tertius completae ſanationis exemplum praebet. Succedat ill. DE HAEN (*Rat. med. P. 3. p. 193.*), ſiſtens feminam cancro mammae detentam, qui periodice dolens febre vaga iunctus erat. Mitigata in hac corticis ope febris dolorque, et ichor in pus mutatus, durities quoque ſoluta, nec niſi vlcuſculum cutaneum remanſit. Conſumtae vero per quinque menſes drachmae tres corticis quotidie (*l. c.*). Ex primariis remediis contra cancrum corticem habet cl. AKENSIDE (in *med. Tranſ. Vol. 1. p. 83.*) ex propria experientia, tantoque certiorem in miſcela Cicutae vel mercurii ſublimati pronunciat. In inueterato autem caſu (*p. 92.*) nec hoc nec aliud vllum illi ſatisfecit. Profuit quoque eximie cl. WARNER (*Deſcription of the Eye p. 55.*) in exulceratis cancris, vicinas partes exedentibus, commixtus cum puluere radicis Serpentariae. Ita et puluis corticis ſolus cum tinctura roſarum in mixturam redactus cancrum exulceratum cum profu-

ſis

ſis haemorrhagiis coercuit. Memorat iam WERLHOFIVS (*Obſ. de febr. p. 355.*) vlcera putrida, tumores glandularum ad carcinomatis fere naturam accedentes, eosque ex febrili fomite ortos, fuiſſe ſanatos. Bis tamen tum ſpe ſua exciderat (*Comm. Nor. 1735. p. 4.*).

In vulnerum ſuppuratione promouenda cortex haud mediocri in exiſtimatione eſt, et gangraenam poſt inſtitutas operationes chirurgicas auertit. (Vid. LAVIROTTE *Diſſ. an legitimae vulnerum ſuppurationi promouendae cortex peruuianus praeſ.* FALCONET *Paris 1757.*). Iuncta venae ſectione haemorrhagias vulnerum ſiſtit, nominatim ſub nimia ſanguinis tenuitate et ſanioſam materiam pallidamque vulnerum in pus bonum vertit (RANBY *method of treating Gun-ſhot Wounds Ed. 2. p. 29. ſq.*). Gangraena infeſtante quando adhibetur, ſub interrupto vſu corticis ſemper peior fit ſuppuratio: ſed bene iterum ſuccedit eodem redintegrato (MONRO *Med. Eſſ. of Edinb. Vol. 5. p. 102.*). In America vix vulnera grauiora absque cortice curari poſſunt (BISSET *med. Eſſays p. 79. p. 101.*). Eius quoque ope auertuntur praecipue conuulſiones adeo in climate calido infeſtae. Vnde decoctum corticis et applicatio externa mox poſt amputationes commendanda (*l. c. p. 101.*). Parotidum tumorem inopia virium retrolabentem reſtaurauit (CAPELL *Diſſ. cort. peruu. Vienn. 1766. in Gott. Anz. 1767. p. 888.*).

Non rara eſt vlcerum deligatio, decocto vel infuſo vel puluere eiusdem facta. Praeſtans hoc fine eſt miſcela cum aqua calcis, ſub qua et putredinem coërcet et ſiccat. Inſignis nominatim efficaciae eſt in vlceribus ex acrimonia acida ortis, vt in vlceribus et carie infantum rachiticorum et ſcrophuloſorum (TODE's *Biblioth. T. 1. P. 3. p. 197.*). Puella rachitica, carie femoris cum vlcere afflicta, conualuit cortice ad vnciam dimidiam per diem ingeſto, vna cum vſu externo decocti ſaturatiſſimi et diaeta lactea (HAEN *Rat. med. P. 3. p. 182.*). Auxilium quoque praeſtitit matronae in deſperatiſſimo caſu ex vlcere femoris, coxendicis et oſſis ſacri cum carie; huicque cortex datus in decocto cum aequali parte lactis caprilli (*l. c. p. 191.*). Similiter in ſpina ventoſa puerorum virtutis ſuae documentum dedit, reliquis conſuetis irritis, ad drachmas duas vel quatuor de die, iuncta ſubinde diaeta lactea (DE HAEN *R. med. P. 3. p. 192.*). Coiit et fiſtula ani fomentis et iniectionibus chinatis (TODE's *Bibl. T. 3. P. 1. p. 184.*).

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

EXTRACTVM CORTICIS PERVV. *Ph. W. p. 89. Edinb. p. 116. Suec. p. 109.* In omnibus hiſce poſt extractionem ſpiritu vini factam ex magmate ſuperſtite reliqua pars ſolubilis aqua coctione elicitur, et vtrumque

que liquidum iunctim inſpiſſatur. Praeſtat hoc ſequente, quoniam reſinoſas cum gummoſis partibus combinatas habet.

EXTRACTVM *Ph. Lond. p. 28.* Fit aqua repetitis vicibus infuſa. Duplexque exſtat, *molle, durum.*

Acceptum multis extractum, quoniam commodius nauſeantibus corticem ob ſaporem ingeritur, forma pilularum, elixirii, mixturae, linctus rel., et quoniam quorundam ventriculus illud melius, quam puluerem vel aliud praeparatum fert. Sed fieri non poteſt, quin partes aromaticae volatiles ſub inſpiſſatione auolent, docente iam odore ſingulari, qui domum, vbi paratur, replet, et empyreumaticum facile euadat. Quare decoctio peragatur mitiſſimo ignis gradu, et euaporatio lente fiat. Improbandum eſt quorundam artificium ope ſalis alcalini extractum parandi, quo tanto plus eruere ſatagunt, quoniam non omnibus caſibus hoc ſal accommodatum eſt. Quod cl. BAVME' (*Elemens de Pharmacie p. 357.*) ex infuſa frigide aqua parauit extractum, debile nimis iudicat cl. QVARIN (*meth. med. febr. p. 24.*). Efficaciſſimum extractum eſt illud, quod methodo Garayana (V. auctoris *Chymie Hydraulique nouv. Edition par* PARMENTIER *a Paris 1775. p. 202.*) per triturationem cum aqua elicitur, quod eo usque *Sal corticis* vocari meretur, quod vna cum aliis partibus ſal eſſentiale ſeruat (V. dedicatio in MODEL'S *Verſuch. üb. d. Salmiak Leipz. 1758.*).

1758.). Huius drachmam vnam efficaciorem quam binas vel tres extracti consueti affirmat cl. QVARIN (*l. c. p. 25.*).

RESINA *Ph. Ed. p. 117.* Digestione spiritus vini rectificati et praecipitatione per affusam aquam. Si gummosae partes seruari debent, inspissetur spiritus vini cortice digestus.

TINCTVRA CORT. PERVV. SIMPLEX *Ph. Lond. p. 69.* Fit spiritu vini tenuiori. Turbida est, vnde patet non omnino solutionem peractam.

TINCTVRA CORT. PERVV. VOLATILIS *Ph. Lond. p. 70.* Ex spiritu salis ammoniaci cortice macerato.

SYRVPVS KINAE KINAE *Ph. Wurt. p. 213.* Ex cortice Peruv. et Cinamomo vino rubro digestis et saccharo post colaturam mistis.

PVLVIS FEBRIFVGVS BEROLINENSIS. Inuentor est medicus et Physicus olim Berolini inclytus, DV CLOS. Sed arcanae compositionis. Hinc coniecturae de ea variae. Ex cortice et admixto quodam praecipitante constare Acta Berolinensia (*Dec. 2. Vol. 1. p. 22.*) tradunt. In promtuario Hannouerano litterario (*Hannöv. Magazin 1770. p. 31.*) duae formulae diuersae proponuntur, quarum vna haec: Rc. Cort. Peruv. ʒiß Rad. Ari ʒj Hellebor. nigr. Gent. rubr. aa ʒij, additis cuilibet dosi aliquot guttis olei amygd. dulc. Eandem inseruit cl. WICH-

MAN-

MANNVS Ed. ſuae WERLHOFII *Obſervat. de febribus p. 185.* adiiciens modo cuilibet doſi, praeter guttas tres olei amygdalarum dulcium, totidem Laudani liquidi. Altera formula nimium ab hac diuerſa, quae cenſetur eadem, quam contra quartanam FR. HOFFMANNVS (*Kurze Anweiſung die Arzneyen zu verſchreiben, Berol. 1761. p. 167.*) obtulit; ſcil. Rc. Limat. mart. ʒj pulv. Cortic. Peruv. ʒjſß Merc. dulc. Sal. Abſynth. Arcan. dupl. aa ʒß Laud. opiat. gr. jß M. F. pulv. divid. in vj. pt. aequ. Nondum igitur res ad certitudinem peruenit. Febrifugi iſtius Cloſiani circiter vnciae quinque pro vna febre olim diſtributae. Doſis vero bis ter vel quater de die repetita. Exquiſitam methodum dubitat vocare b. WERLHOFIVS (*de febr. p. 165.*). HEVERMANNVS (*Bemerkungen P. 1. p. 43.*) debiliorem longe cortice ipſo reperit, quem et ob pretium minus praefert.

DESIGNATIO SPECIERVM IN PRIMO VOLVMINE CONTENTARVM.

STIRPES

A. POLYCOTYLEDONES.

Nomen pharmaceuticum. *Nomen ſyſtematicum.*

ORDO I. CONIFERAE.

1. Pinus	*Pinus ſylueſtris.*	pag. 1
2. Pinea	—— *Pinea.*	13
3. Balſamus carpathicus	—— *Cembra.*	14
4. Terebinthina veneta	—— *Larix.*	16
5. — — communis	—— *Picea.*	26
6. Abies	—— *Abies.*	27
7. Arbor vitae	*Thuya occidentalis.*	31
8. Cupreſſus	*Cupreſſus ſemperuirens.*	32
9. Iuniperus	*Iuniperus communis.*	34
10. Olibanum ſ. Thus	— — *Lycia.*	39
11. Sabina	— — *Sabina.*	41

ORDO II. AMENTACEAE.

12. Salix	*Salix alba.*	44
13. Populus	*Populus nigra.*	47
14. Tacamahaca	—— *balſamifera.*	50
15. Caſtanea	*Fagus Caſtanea.*	52
16. Fagus	—— *ſyluatica.*	53

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
17. Iuglans	*Iuglans regia.*	57
18. Quercus	*Quercus Robur.*	61
19. Suber	—— *Suber.*	64
20. Corylus	*Corylus Auellana.*	66
21. Liquidambar	*Liquidambar ſtyraciflua.*	67
22. Betula	*Betula alba.*	69
23. Alnus	—— *Alnus.*	72
24. Myrtus brabantica	*Myrica Gale.*	73
25. Piſtacea	*Piſtacia vera.*	74
26. Terebinthina cypria	— — *Terebinthus.*	75
27. Maſtix. Lentiſcus	— — *Lentiſcus.*	77
28. Fungus melitenſis	*Cynomorium coccineum.*	81

ORDO III. COMPOSITAE.

29. Bardana	*Arctium Lappa.*	83
30. Carduus Mariae	*Carduus marianus.*	86
31. — — tomentoſus	*Onopordon Acanthium.*	87
32. Carlina	*Carlina acaulis.*	88
33. Carthamus	*Carthamus tinctorius.*	90
34. Cyanus	*Centaurea Cyanus.*	93
35. Behen album	— — *Behen.*	94
36. Carduus benedictus	— — *benedicta.*	96
37. Calcitrapa	— — *Calcitrapa.*	98
38. Cichorium	*Cichorium Intybus.*	100
39. Endiuia	— — *Endiuia.*	102

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
40. Scorzonera	*Scorzonera humilis.*	103
41. Tragopogon	*Tragopogon pratenſe.*	104
42. Taraxacum	*Leontodon Taraxacum*	105
43. Lactuca	*Lactuca ſatiua.*	108
44. Sonchus	*Sonchus oleraceus.*	110
45. Piloſella	*Hieracium Piloſella.*	111
46. Stoechas citrina	*Gnaphalium arenarium*	112
47. Gnaphalium	— — *dioicum.*	112
48. Santonicum	*Artemiſia iudaica.*	113
49. Abrotanum mas	— — *Abrotanum.*	116
50. Abſynthium vulgare	— — *Abſynthium*	117
51. — — ponticum	— — *pontica.*	124
52. Artemiſia	— — *vulgaris.*	124
53. Abſynthium maritimum	— — *maritima.*	128
54. Genipi album	— — *rupeſtris.*	129
55. Tanacetum	*Tanacetum vulgare.*	130
56. Balſamita mas	— — *Balſamita.*	132
57. Eupatorium	*Eupatorium cannabinum.*	133
58. Santolina	*Santolina Chamae-Cypariſſus.*	134
59. Acmella	*Spilanthus Acmella.*	135
60. Petaſites	*Tuſſilago Petaſites.*	138
61. Farfara ſ. Tuſſilago	— — *Farfara.*	139
62. Xanthium	*Xanthium ſtrumarium.*	131

No-

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen syſtematicum.*	
63. Chamomilla noſtras	*Matricaria Chamomilla.*	143
64. Matricaria	— — *Parthenium.*	148
65. Bellis maior	*Chryſanthemum Leucanthemum.*	149
66. Chamomilla romana	*Anthemis nobilis.*	150
67. Cotula foetida	— — *Cotula.*	151
68. Pyrethrum	— — *Pyrethrum.*	152
69. Bellis minor	*Bellis perennis.*	153
70. Enula	*Inula Helenium.*	154
71. Conyza media	—— *dyſenterica.*	156
72. Arnica	*Arnica montana.*	157
73. Doronicum	*Doronicum Pardalianches.*	162
74. Millefolium	*Achillea Millefolium.*	165
75. Genipi verum	*Achillea etc.*	168
76. Ptarmica	— — *Ptarmica.*	169
77. Ageratum	— — *Ageratum.*	170
78. Virga aurea	*Solidago Virgaurea.*	170
79. Senecio	*Senecio vulgaris.*	172
80. Conyza coerulea	*Erigeron acre.*	173
81. Calendula	*Calendula officinalis.*	174

ORDO IV. AGGREGATAE.

82. Behen rubrum	*Statice Limonium.*	176
83. Scabioſa	*Scabioſa aruenſis.*	177

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
84. Morſus diaboli	*Scabioſa ſucciſa.*	179
85. Valeriana minor	*Valeriana officinalis.*	180
86. — — maior ſ. Phu	— — *Phu*	186
87. — — celtica	— — *celtica*	187
ORDO V. CONGLOMERATAE.		
88. Pimpinella italica (Herba)	*Poterium Sanguiſorba.*	188
89. — — italica (Radix)	*Sanguiſorba officinalis.*	190
90. Plantago latifolia	*Plantago maior.*	190
91. Pſyllium	— — *Pſyllium.*	193
92. Cuſcuta	*Cuſcuta europaea.*	194
93. Epithymum	— — *epithymum.*	195
94. Sarcocolla	*Penaea mucronata.*	198
95. Viſcum	*Viſcum album.*	199
ORDO VI. VMBELLATAE.		
96. Eryngium	*Eryngium campeſtre.*	206
97. Sanicula	*Sanicula europaea.*	207
98. Daucus ſatiuus, ſylueſtris.	*Daucus Carota.*	209
99. Seſeli creticum	*Tordylium officinale.*	213
100. Cicuta	*Conium maculatum.*	213
101. Daucus creticus	*Athamanta cretenſis.*	235
102. Oreoſelinum	— — *Oreoſelinum.*	236
103. Peucedanum	*Peucedanum officinale.*	238

No-

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
104. Aſſa foetida	*Ferula Aſſa foetida.*	240
105. Gentiana alba	*Laſerpitium latifolium.*	247
106. Siler montanum	— — *Siler.*	248
107. Leuiſticum	*Liguſticum Leuiſticum.*	249
108. Angelica ſatiua	*Angelica Archangelica.*	250
109. — — ſylueſtris	— — *ſylueſtris.*	254
110. Imperatoria	*Imperatoria Oſtruthium.*	254
111. Branca vrſina	*Heracleum Sphondylium* (male).	256
112. Ninſi	*Sium Ninſi.*	258
113. Ammi verum	*Siſon Ammi.*	260
114. —— vulgare	*Ammi maius.*	261
115. Petroſelinum macedonicum	*Bubon macedonicum.*	262
116. Galbanum	—— *Galbanum.*	262
117. Cyminum	*Cuminum Cyminum.*	266
118. Foeniculum aquaticum	*Phellandrium aquaticum.*	267
119. Cicuta aquatica	*Cicuta viroſa.*	271
120. Meu	*Aethuſa Meum.*	277
121. Coriandrum	*Coriandrum ſatiuum.*	278
122. Cerefolium	*Scandix Cerefolium.*	280
123. Cicutaria	*Chaerophyllum ſylueſtre*	283
124. Seſeli maſſilienſe	*Seſeli tortuoſum.*	283
125. Paſtinaca	*Paſtinaca ſatiua.*	284

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
126. Opopanax	*Paſtinaca Opopanax.*	286
127. Anethum	*Anethum graueolens.*	288
128. Foeniculum	— — *Foeniculum.*	289
129. Carum	*Carum Carui.*	292
130. Pimpinella alba	*Pimpinella Saxifraga.*	294
131. — — alba, nigra	— — *magna.*	296
132. Aniſum vulgare	— — *Aniſum.*	298
133. Petroſelinum	*Apium Petroſelinum.*	301
134. Apium	—— *graueolens.*	303
135. Perfoliata	*Bupleurum rotundifolium.*	306

ORDO VII. HEDERACEAE.

136. Hedera arborea	*Hedera Helix.*	307
137. Vuae	*Vitis vinifera.*	310
138. Ginſeng	*Panax quinquefolium.*	330

ORDO VIII. SARMENTACEAE.

139. Sarſaparilla	*Smilax Sarſaparilla.*	334
140. China	—— *China.*	339
141. Ruſcus	*Ruſcus aculeatus.*	341
142. Vuularia	—— *Hypogloſſum.*	342
143. Cocculi Indi	*Meniſpermum Cocculus.*	343
144. Pareira braua	*Ciſſampelos Pareira.*	344
145. Serpentaria Virginiana	*Ariſtolochia Serpentaria.*	348

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
146. Ariſtolochia rotunda	*Ariſtolochia rotunda.*	351
147. — — longa	— — *longa.*	351
148. — — vulgaris	— — *clematitis.*	356
149. — — trilobata	— — *trilobata.*	357
150. — — anguicida	— — *anguicida.*	358
151. Aſarum	*Aſarum europaeum.*	359

ORDO IX. STELLATAE.

152. Rubia tinctorum	*Rubia tinctorum.*	363
153. Galium luteum	*Galium verum.*	371
154. Galium album	*Galium Mollugo.*	373
155. Matriſylua	*Aſperula odorata.*	374
156. Mungos	*Ophiorrhiza Mungos.*	375
157. Spigelia	*Spigelia Anthelmia.*	378
158. — — marilandica	— — *marilandica.*	380
159. Serpentum lignum	*Ophioxylum ſerpentinum.*	383

ORDO X. CYMOSAE.

160. Caprifolium	*Lonicera Periclymenum*	384
161. Dieruilla	— — *Dieruilla.*	385
162. Coffea	*Coffea arabica.*	386
163. Linnaea	*Linnaea borealis.*	397

ORDO XI. CVCVRBITACEAE.

164. Cucurbita	*Cucurbita lagenaria.*	399
165. Cucurbita	— — *Pepo.*	401

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
166. Citrullus	*Cucurbita Citrullus.*	401
167. Melo	*Cucumis Melo.*	403
168. Cucumis	— — *ſatiuus.*	405
169. Colocynthis	— — *Colocynthis.*	407
170. Cucumis aſininus	*Momordica Elaterium.*	413
171. Bryonia	*Bryonia alba.*	419

ORDO XII. SOLANACEAE.

172. Dulcamara	*Solanum Dulcamara.*	423
173. Solanum	— — *nigrum.*	427
174. Belladonna	*Atropa Belladonna.*	430
175. Mandragora	—— *Mandragora.*	441
176. Hyoſcyamus	*Hyoſcyamus niger.*	444
177. —— —— albus	—— —— *albus.*	455
178. Stramonium	*Datura Stramonium.*	456
179. Alkekengi	*Phyſalis Alkekengi.*	463
180. Tabacum	*Nicotiana Tabacum.*	464
181. Piper indicum	*Capſicum annuum.*	475
182. Nux vomica	*Strychnos Nux vomica.*	477
183. Colubrinum lignum	— — *colubrina.*	485
184. Verbaſcum (Folia, Flores)	*Verbaſcum Thapſus.*	487
185. Verbaſcum (Radix)	— — *nigrum.*	489
186. Digitalis	*Digitalis purpurea.*	490
187. Seſamum	*Seſamum orientale.*	493

Nomen pharmaceuticum.	*Nomen ſyſtematicum.*	
ORDO XIII. CAMPANACEAE.		
188. Scammonium	*Conuoluulus Scammonia*	494
189. Ialappa	— — *Ialappa.*	502
190. Mechoacanna	— — *Mechoacan.*	507
191. Conuoluulus maior alb.	— — *ſepium.*	510
192. Turpethum.	— — *Turpethum.*	510
193. Soldanella	— — *Soldanella.*	512
194. Dentaria	*Plumbago europaea.*	513
195. Lobelia	*Lobelia ſiphilitica.*	514
196. Viola. Violaria	*Viola odorata.*	517
197. Ipecacuanha	—— *Ipecacuanha.*	521
ORDO XIV. CONTORTAE.		
198. Vinca Peruinca	*Vinca minor.*	540
199. Profluuii cortex	*Nerium antidyſenteri-cum.*	541
200. Hirundinaria	*Aſclepias Vincetoxicum*	543
201. Cortex Peruuianus	*Cinchona officinalis.*	546

FINIS VOLVMINIS PRIMI.

ERRATA.

Pag. 8. lin. 15. loco liquidum, leg. *liquidae.*

73. lin. 6. — Brabantici, — *Brabanticae.*

371. lin. penult. — rerum — *verum.*